HISTORIA DIPLOMATICA

FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIUS ET ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS IV.

PARS II

PARISIIS
EXCUDEBAT HENRICUS PLON,
8, VIA DICTA GARANCIÈRE.
MDCCCLV

FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

HISTORIA DIPLOMATICA

FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS IV.

PARS II.

PARISIIS

EXCUDEBAT HENRICUS PLON,

8, VIA DICTA GARANCIÈRE.

MDCCCLV

HENRICI SEPTIMI

ROMANORUM REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

PARS TERTIA.

A MENSE OCTOBRI 1231 USQUE AD MENSEM JUNIUM 1235.

HENRICI SEPTIMI

ROMANORUM REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

TOMI QUARTI PARS SECUNDA.

ANNO 1231. — INDICTIONE 5.

Henricus, Romanorum rex, praeposito et conventui de Denkendorf proprietatem unius patellae salis in civitate sua Hallis libere tenendam et perpetuo possidendam confert. Hallis, 1° octobris.

(Edit. ap. Besold., *Docum. rediv. monast. Wirtemb.*, t. I, p. 465.)

Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus, uuiversis imperii fidelibus quibus hee littere fuerint ostense gratiam suam et omne bonnm. Quoniam sempiterna sedes in Dei palatio constructa est temporale bonum famulantibus Deo et pauperibns erogauti, quod qnidem pia sollicitudine salnbriter adverteutes, siguificandnm duximus uuiversis quos nos de consnlta deliberatione et ex deliberato consilio, dilectis fidelibus nostris preposito et couventui de Denckendorf in civitate nostra Hallis proprietatem nnins patelle salis coutulimus libere teueudam et perpetuo possideudam. Adjicientes de mnnificentia nostra ut predicta bona in posterum possideaut absque omni exactioue, precaria vel collecta. Statuimus igitur et sub interminatione gratie nostre districte precipimns ut nulla unquam persona hnmilis vel alta, ecclesiastica vel secularis, predictam ecclesiam in bouis prelibatis audeat molestare vel ab ipsis aliquam

precariam extorquere. Quod qui facere presumpserit omnipotentis Dei indignationem et nostram gravem offensam se noverit incursurum.

Testes sunt hii S. Maguntinensis archiepiscopus, H. marchio de Baden, Ulricus de Husemeche, Pilgrinus de Emeringen, Hawardus Musechunch, Ulricus et Wernherus notarii, et alii quamplures.

Datum Hallis, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo primo, kalendis octobris (a), indictione quinta.

Apud Augustam, 19 octobris.

Henricus, Romanorum rex, notum facit quod Berngerus Spirensis episcopus sibi contulit advocatiam de Luzheim in feudo, tali pacto ut hanc advocatiam nullo modo ab imperio alienaret.

(Ineditum ex originali in archivo Stuttgart., unde pendet sigillum cereum filis sericis flavi et amaranthini coloris.)

H. Dei gratia Romanorum rex semper augustus, universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre significandum duximus quod Berngerus Spirensis episcopus, dilectus princeps noster, contulit nobis et successoribus nostris advocatiam de Luzheim in feudo, tali interposita condicione ut eandem advocatiam nulli nobis liceat infeudare vel alio aliquo modo ab imperio alienare, sed ipsam ad manus nostras semper retinere debeamus. Ad cujus rei certitudinem et robur perpetuo valiturum, presentem paginam fieri et sigillo majestatis nostre fecimus insigniri.

Datum apud Augustam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo (1) primo, XIIII kalendas novembris, indictione V.

(a) In Besoldo *decimo kalendas octobris*. At ex originali, ut nos monuit Kausler, simpliciter *kalendis* legendum est.

---

(1) Sic in originali, sed legendum *tricesimo*. Nempe notarius in notatione anni evidenter erravit, tum ex indictionis numero, tum quia Berengerus anno 1221 nondum Spirensis episcopus erat.

Henricus, Romanorum rex, ad supplicationem Theoderici Treverensis archiepiscopi, monasterio de Hemmenrod in Eiffalia ecclesiam apud Altripp confert cum omnibus pertinentiis ejus et jure patronatus. Apud Augustam, 5 novembris.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 239, n° 250, ex chartulario Hemmenrod. seculi XIV ap. Treverim, t. III, fol. 50.)

Datum apud Augustam, anno dominice incarnationis MCCXXXI, nonis novembris, indictione quinta.

Henricus, Romanorum rex, ecclesiae Augustensi recognoscit et confirmat medietatem precariarum seu collectarum, quas ipse a civibus Augustensibus deinceps duxerit exigendas. Apud Ulmam, 22 novembris.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 180, n° 702, ex originali unde sigillum valde laesum appendet ex filis sericis rubri et subflavi coloris. Memoratum autem et germanice extractum a Plac. Braun, *Gesch. der Bisch. von Augsb.*, II, 245.)

Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis in perpetuum. Ut in nostris temporibus recognitiones a nobis facte, fideli et prudenti consilio deliberate, certa quadam notitia propagentur in posteros, ne processu temporis per exortam oblivionis caliginem evanescant, litterarum consuevimus indiciis eternari. Meminerit igitur presens etas et cognoscat futura posteritas quod nos recognoscimus ecclesie Augustensi medietatem precariarum seu collectarum quas a civibus Augustensibus deinceps duxerimus exigendas; volentes ut dilectus princeps noster Siboto Augustensis ecclesie episcopus et quilibet succes-

sorum suorum in ipso episcopatu medietatem recipiat sine maliciosa diminucione. Statuimus etiam et sub interminacione gratie nostre inbibemus ne quis officiatorum nostrorum memoratam ecclesiam vel episcopum ejus, dilectum principem nostrum, in premissa recognicione impedire audeat seu molestare; quod cum de jure sit ipsius ecclesie nobiscum precarias sive collectas proporcionaliter a premissis civibus recipere, ipsam medietatem ipsi ecclesie et episcopis ibidem constitutis confirmamus. Ut autem hec recognitio et confirmatio memorate ecclesie et episcopis rata permaneat et inconvulsa, presentem litteram sigilli nostri munimine duximus communiri.

Testes sunt hii : Cuonradus venerabilis Constanciensis episcopus, . . . venerabilis Augensis abbas, R. palatinus comes de Tuwingin, C. burcgravius de Nuorinberc, Willelmus comes de Tuwingin, comes Albertus de Rottinburc, comes Ulricus de Helffinstain, E. dapifer de Walppurc, C. pincerna de Wintterstetin, Heinricus camerarius de Ravinsburc, et alii quamplures.

Actum apud Ulmam, anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo tricesimo primo, X^mo kalendas decembris, indictione V^ta.

Apud Haguenau, 21 decembris.

Henricus, Romanorum rex, sculteto et civibus de Hallis mandat ut nullam ab ecclesia de Schönthal precariam exigant de omni sale quo conventus indiget.

(Edid. JAC. FRID. GEORGIUS, *Uffenheim. Neben-Stunden*, t. I, p. 1206. Notae chronologicae nunc rectius exhibentur ex correctione quam admisit Boehmerus, *Regest. imper.*, p. 240, n° 252.)

Heinricus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, fidelibus suis sculteto et universis civibus de Hallis gratiam suam et omne bonum. Dilecte nobis ecclesie in Schonthal talem fecimus gratiam et dedimus libertatem ut de omni sale quo indigent ad usus proprios non solvant precariam seu sten-

ram; quin imo volumus ut penitus ab his exactionibus sint exempti et extracti, quia ipsam ecclesiam speciali amplectimur devotione. Mandantes universitati vestre [et] per gratiam nostram firmiter precipientes quatenus de reliquo nullam precariam a sale quo indigent exigatis vel requiratis. Quod qui non fecerit indignationem omnipotentis Dei et nostri se noverit certitudinaliter incurrisse.

Datum apud Hagenau, anno dominice incarnationis M.CC.XXXI, XII calendas januarii, indictione quinta.

Henricus, Romanorum rex, villam Tatinriet (Delle) ab Hugone abbate Morbacensi in rectum feudum perpetuo possidendam recipit, ea conditione ut ibidem oppidum construat cujus proventus aequaliter cum abbate dividet, nunquam praedictum oppidum quocumque titulo ab imperio alienaturus. Apud Hagenowe, 31 decembris.

(Edider. Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 366, n° 463, ex tabul. eccles Murbac. — Trouillat, *Monum. de l'anc. évêché de Bâle*, t. I, n° 353.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Condignis sunt beneficiis honorandi quorum servitus et fructuosa promotio nostris et imperii commodis non desinit insudare. Quapropter noverit tam presens etas quam successura posteritas quod dilectus princeps noster Hugo, venerabilis Morbacensis abbas, ad nostram instantem petitionem villam Tatinriet que cum omni integritate et jurisdictione ad ecclesiam spectabat Murbacensem, cum medietate omnium redituum et proventuum ejusdem ville, excepto jure patronatus ecclesie et decimis, nobis in rectum feudum contulit libere tenendam et perpetuo possidendam; tali videlicet pacto et condicto ut in loco eodem munitum oppidum construamus, et omnes proventus judicii, precariarum et exactionum seu possessionum infra ambitum oppidi equaliter dividamus cum abbate ecclesie Murbacensis, et

quod inhabitantes ejusdem loci nobis fidelitatem jurent pariter et abbati, judex etiam eamdem quam nobis fidelitatem abbati faciet memorato. Adjicientes quoque et per presens scriptum firmiter promittentes ut ipsum oppidum nunquam a nobis vel heredibus nostris debeamus aut possimus infeudationis, collationis, venditionis seu obligationis titulo alienare. Statuimus quoque et sub interminatione gratie nostre districte precipimus ut nulla unquam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel secularis, ausu ducta temerario contra tenorem hujus privilegii et libertatem factam ecclesie Morbacensi vel ut supra dictum est venire audeat, vel dampnum ei in hiis aut gravamen aliquod irrogare. Quod qui facere presumpserit, indignationem omnipotentis Dei nostreque celsitudinis offensam se noverit incursurum.

Actum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis M. CC. XXXII (*a*), pridie kalendas januarii, indictione quinta.

Testes hii sunt : B. venerabilis Argentinensis episcopus, Th. abbas Lutrensis, E. abbas Hornbacensis, C. dux de Tecke, H. marchio de Baden, R. palatinus comes de Twingen, comes Willelmus frater suus, comes A. de Hausperg (*b*), comes A. de Rotenberg, comes C. de Eichelberg, Heinricus de Niffen, C. pincerna de Clingenberc, Heinricus camerarius de Ravensperg, Liupoldus de Grindelach, et alii quamplures.

ANNO 1232. — INDICTIONE 5.

Apud Hagenowe, 1° januarii.

Henricus, Romanorum rex, donationem quam pater suus et ipse fecerunt hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum de ecclesia Kunitz, denuo confirmat, non obstantibus litteris per iniquam suggestionem a se obtentis vel quae in posterum fuerint obtentae.

(*a*) Unde liquet notarium anno nativitatis usum fuisse.

(*b*) Sine dubio *Albertus de Habsburg*.

(Edit. ap. *Solothurn. Wochenblatt*, ann. 1828, n° 23, p. 236.)

H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens scriptum exhibitum fuerit gratiam suam et omne bonum. Cum ea que a serenissimo domino imperatore patre nostro necnon a nobis pie et provide gesta sunt, maxime ad subsidium Terre Sancte et ibidem Deo famulantium, de facili non debeamus nec possimus in irritum revocare, cum eadem debeamus potius ampliare, hinc est quod ad notitiam universorum cupimus pervenire quod donationem quam inclitus dominus imperator pater noster et nos postmodum ad imitationem ejus fecisse dinoscimur fratribus domus Theutonicorum hospitalis Sancte Marie in Hierusalem in ecclesia Chuniz ubi quandoque prepositura existebat, ratam habere volumus et perpetuo valituram, non obstantibus quibusdam litteris per iniquam suggestionem quorumdam perversorum a nobis obtentis, quas penitus decernimus non valere. Preterea presentium tenore insinuamus quod si ad instantiam et suggestionem alicujus occulte vel per ignorantiam in prejudicium premisse donationis a nobis in posterum alique litere fuerint obtente, nullius sint momenti et careant firmitate. Ut autem sepefata donatio sortiatur perpetuam firmitatem, presens scriptum conscribi fecimus et sigillo nostre celsitudinis roborari.

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, calendis januarii, indictione quinta.

Henricus, Romanorum rex, civibus de Frankinfort, Wepflaria, Friedberg et Gelnhausen promittit quod nunquam aliquem eorum coget ad maritandam filiam suam alicui de curia vel extra curiam, et in praesenti filiam Johannis Goldstein de Frankenfort a tali coactione eximit. Apud Nuremberg, 16 januarii.

(Edit. ap. *Privileg. et Pacta Francofurt.*, p. 2. — Boehmer, *Cod. diplom. Moenofrancof.*, t. I, p. 55.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, fidelibus suis scultetis et universis civibus de Frankinfort, de Wepflaria, de Frideberg et de Geilinhusen gratiam suam et omne bonum. Constantiam devotionis vestre et fervorem fidei quam multa jam per tempora circa nos et imperium habuistis salubriter advertentes, talem vobis damus gratiam et concedimus libertatem ut nunquam aliquem vestrum pauperem vel divitem cogamus aut arctemus filiam vel neptem suam alicui de curia nostra seu extra curiam nostram copulare aut tradere legitimam in uxorem. Et in presenti filiam fidelis nostri Johannis Goltstein de Frankenfort a coactione quam inceperamus pro R. servo nostro dimittimus absolutam; nolentes deinceps aliquem civem vestrum ad talia cogere vel artare, sed quantum possumus per simplicem petitionem proficere faciemus, nulla tamen mala adhibita voluntate. Ad cujus itaque facti et gratie nostre certiorem evidentiam, presens exinde scriptum fieri jussimus et sigilli nostri munimine roborari.

Datum apud Nuremberc, anno dominice incarnationis M° CC° XXXII°, XVIII kalendas februarii, indictione V.

Apud Geilnhusen, 20 februarii.

Henricus, Romanorum rex, universis burgensibus de Gelnhausen promittit quod nunquam ab aliquo eorum exiget ut pro se recolligat expensas quibus ipse ibi causam dederit, sed quod ejusdem loci scultetus hoc idem facere debeat.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 240, n° 256, ex copia seculi quarti decimi apud Geinhausen.)

Datum apud Geilnhusen, anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, X kalendas martii, indictione V.

Henricus, Romanorum rex, venditionem a Ludovico de Schipfa monasterio de Otterberg cum assensu suo factam de bonis quae habebat in Ormisheim, notam facit et confirmat. Apud Herbipolim, 25 februarii.

(Edider. Frey et Remling, *Urkundenbuch des Klost. Otterberg*, p. 44, n° 59.)

Heinricus, Dei gratia Romanornm rex et semper augustus, universis imperii fidelibus qnibns presens littera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Ut in nostris temporibus venditiones et emptiones facte in nostros perveniant posteros et ne litis occasio prestetur successori, ea qne coram nobis geruntur decrevimus scripture testimonio eternari. Meminerint igitnr presentes et futuri quod fidelis noster Lodowicus de Schiffpha vendidit ecclesie de Otterburg per manus nostras, nobis licentiantibns, bona sua que dinoscitur babuisse in Ormisheim : videlicet decimam quinque mansinm et qnadraginta jngera agrorum et decimam unius vinee et nnins orti pro centum libris metensium. Cum igitnr talis emptio et venditio nobis consentientibus sit facta et reqnisitis, ipsam tenore presentium profitemnr et confirmamus, nt nunquam aliquis snorum heredum memoratam venditionem audeat revocare vel infringere. Quod qui fecerit iram nostram sentiet et offensam. Demum mandamus et sub obtentu gratie nostre firmissime precipimns ut nullus sit qui premissam ecclesiam nobis dilectam in memorata emptione inquietare audeat vel gravare. Et ut minor sit snper ipsa emptione ambiguitas, presentem litteram sigillo nostro duximns communiri.

Testes snnt bi : Fridericus de Trubindingin, Bnrkardns prepositns de Aschaffinburg, Ebirbardus de Hertingisberg, et alii quamplures.

Actum apud Herbipolim, anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, quinto kalendas martii, indictione V.

Apud Augustam, 17 martii.

Henricus, Romanorum rex, consulibus et universis civibus Wormatiensibus indulget ut juxta formam privilegiorum eis a praedecessoribus suis indultorum, jura, libertates et consilium habeant, salva tamen libertate ecclesiae Wormatiensis.

(Edider. Moritz, *Abhandlung von Worms*, p. 162. — Hansselmann, *Diplom. Beweis des haus. Hohenl.*, t. II, p. 277. — Ludewig, *Reliq. manuscr.*, t. II, p. 182.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, fidelibus suis, consulibus et universis civibus Wormatiensibus gratiam suam et omne bonum. Pia animadversione considerantes preclara obsequia que pluries exhibuit nobis universitas vestra et in posterum, dante Domino, poterit exhibere, jura et libertates vestras a divis progenitoribus nostris vobis indultas illesas volumus conservare, fovere vos volentes et manutenere, prout regie congruit honestati. Sane quia serenissimus dominus imperator pater noster nostre ditioni deputavit terram Allamanie plenius et commisit, intendimus in ea disponere et ordinare quod nobis et fidelibus nostris videtur expediens et consultum; statuentes et auctoritate regia vobis indulgentes ut juxta formam privilegiorum vobis a divis imperatoribus et regibus indultorum, salva tamen libertate ecclesie Wormatiensis, jura et libertates vestras et consilium habeatis (1), et secundum vestram consuetudinem approbatam, velut hactenus, civitatis vestre honori et commodo fideliter intendatur.

Datum apud Augustam, XVI kalendas aprilis, indictione quinta.

(1) Quod penitus cassatum est, intervenientibus privilegiis Henrico Wormatiensi episcopo paulo post in curia Utinensi indultis. Cf. supra, p. 335 et seqq.

Henricus, Romanorum rex, Gregorio papae nuntiat se spontanee juravisse quod quidquid et quoties imperator pater suus ore vel litteris mandaverit faciendum, id voluntarie et bona fide complebit, etc. [Apud Sibidatum, aprili.]

(Memorat. in *Summar. privileg. Eccl. Rom.*, ex cod. card. Ottoboni, ap. MARTENE, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1248.)

Littera Henrici regis Romanorum domino Gregorio pape directa. . . . . continens quod idem rex domino pape notum facit quod ipse motu proprio et spontanea voluntate juravit quod quidquid et quotiens dominus Fredericus Romanorum imperator, rex Jerusalem et Sicilie, pater suus, cnm eodem rege disponet vel ore sno aut litteris mandaverit faciendum, ipse rex voluntarie et bona fide complebit, et quod non erit in dicto, consilio, facto vel consensn ant litteris publicis vel occultis procurabit aliquid vel quidqnam faciet quod ad incommodum et damnnm persone sue, terre, honoris, dignitatis ipsius patris cedat. Et si aliquis ei qnidquam contra ipsnm patrem snggeret publice vel occulte, eidem patri suggerentium talium nuntiabit et nominabit personas.

[Datum apnd Sibidatum in Foro Julii, anno dominice incarnationis M. CC. XXXII, mense aprilis, V indictionis (1).]

Henricus, Romanorum rex, abbati [Sancti Georgii] apud Stein [super Rhenum], ad imitationem Friderici imperatoris patris sui, Apud Sibidatum, 17 aprilis.

(1) Notae chronologicae omnino desunt. Inspecta tamen quam supra denuo edidimus Gregorii papae epistola, p. 474, nihil dubii superest quin istae eaedem sint regis litterae de quibus ibidem mentio fit. Unde datum facile supplemus, collato patriarchae Aquilegiensis et caeterorum nobilium instrumento, quod supra, p. 325.

monetam apud Stein ab imperio tenendam et juxta consuetudinem renovandam concedit.

(Extract. potius quam editum ap. Meyer, *Die Bracteaten der Schweiz*, p. 60, in *Mittheilung. der antiquar. gesellsch. in Zurich*, tom. III. Usque adhuc, sed perperam Henrico tertio privilegium tribuebatur.)

Hainricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus, etc., gratiam suam et omne bonum. Ad notitiam universorum, etc., cupimus pervenire quod nos, ad imitationem dilecti genitoris nostri domini Romanorum imperatoris (1), dilecto fideli nostro ... abbati de Steine indulsimus monetam apud Steine a nobis et imperio tenendam et juxta morem debitum et consnetudinem approbatam renovandam, quemadmodum principes nostri et imperii suas monetas de nostra gratia et permissione soliti sunt permittere (*sic*) et renovare; mandantes, etc., et precipientes ut nullus sit [qui] ipsum abbatem in moneta ipsi a nobis et domino imperatore licentiata et indulta audeat impedire seu molestare...

Datum apud Sibidatum, anno Domini M.[CC.]XXXII, XV kalendas maii, indictione V.

Apud Sibidatum, 27 aprilis.

Henricus, Romanorum rex, Sifrido archiepiscopo Maguntino et ecclesiae ejus confirmat donationem principatus ecclesiae Laurissensis a patre suo in sua praesentia eidem archiepiscopo factam.

(Edider. Joannis, *Rer. Mogunt. script.*, t. III, p. 99. — Lunig, *Reichsarchiv*, t. XVI, p. 34, ambo tamen minus integre, praesertim quoad testium nomina; quae tamen restituimus ex cod. Biblioth. Stuttgart. *Histor.*, n° 247, fol. 15 recto.)

(1) Fueritne id privilegium monasterio Steinensi concessum quod supra memoravimus, p. 329, an aliud, temporis tamen ejusdem, non plane scimus. Cf. in *Additamentis* ad hujus voluminis calcem.

Henricus, Romanorum rex Dei gratia semper augustus, universis imperii fidelibus paginam hanc visuris gratiam suam et omne bonum. Regali munificentie cedit ad gloriam si dignis extollit honoribus, si rerum amplificat incrementis sui cultores lateris et suorum conscios secretorum. Hinc enim devotio pullulat in subjectis et augetur numerus in devotis, multiplicante munificentia per exemplum quicquid potuit per gratiam contulisse. Inde est quod notum esse volumus universis nostris fidelibus tam presentibus quam futuris quod constitutus in presentia nostra dilectus princeps noster Sifridus archiepiscopus Moguntinus celsitudini nostre supplicavit attente ut donationem et concessionem principatus Laurissensis ecclesie cum omni honore, vasallis, ministerialibus, castris, oppidis, proventibus, juribus et pertinentiis suis, a domino et patre nostro Friderico invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, nobis presentibus et consentientibus, laudabiliter sibi factam et ecclesie Moguntine (1), denuo ratam habere et conservare inviolabiliter deberemus. Nos igitur attendentes grata obsequia que dicta ecclesia Moguntina nobis et progenitoribus nostris noscitur impendisse, considerantes etiam servitia debita imperio que per impotentiam monasterii memorati ei hactenus sunt subtracta, per dictum archiepiscopum et successores ejus posse congrue exhiberi, concessionem et donationem predictam tanquam de assensu nostro factam ratam habentes, presentis regalis pagine sancimus edicto quatenus nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, ei ausu temerario contraire presumat. Quod si quis attentaverit, preter indignationem quam ex hoc incidet, quinquaginta libras auri se noverit compositurum, quarum medietatem curie nostre, alteram vero parti passe injuriam volumus applicari.

Testes hujus confirmationis nostre sunt : B. patriarcha Aquilegiensis, E. Salzburgensis archiepiscopus, H. Herbipolensis, E. Bambergensis, S. Ratisbonensis imperialis aule cancellarius, Heinricus Wormatiensis, C. Frisingensis episcopi, abbas Sancti Galli, Saxonie, Meranie, Karinthie

---

(1) Cf. supra, p. 326 et seqq.

duces, de Baden, de Burgaw marchiones, de Meileburg (*sic*) (*a*), de Scowenburg, de Waldeck comites, C. de Durnen, H. de Liesberg, G. de Eppenstein, G. de Butingen, G. et C. de Hohenloch, W. de Bolanden, ... de Amxenburg (?), ... de Bapenheym, W. de Lympurg, ... de Rahs, et alii quamplures.

Datum apud Chindacum (*b*), anno Domini M. CC. XXXII, V kalendas maii, indictione V.

Apud Augustam, 18 maii.

Henricus, Romanorum rex, de providentia consilii sui confirmat privilegium quod imperator pater suus praeposito et capitulo Sancti Servatii in Trajecto super divisione bonorum praepositurae et capituli contulit.

(Inedit. ex *Chartul. Mss. S. Servatii Traject.*, in Biblioth. reg. Paris., tom. III, fol. 5 recto.)

Henricus septimus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus, universis imperii fidelibus hanc litteram inspecturis gratiam suam et omne bonum. Ad utriusque vite felicitatem prodesse nobis non ambigimus cum loca divino cultui mancipata juvaverimus ampliare, et eorum quieti et tranquillitati providemus ne scandala in ipsis et dissentiones valeant suboriri. Quapropter significandum duximus universis tam presentibus quam futuris quod nos e providentia consilii nostri confirmationem et privilegium quod serenissimus dominus imperator pater noster preposito et capitulo Sancti Servatii in Trajecto super divisione bonorum preposituro et capituli memorati contulit, habemus ratum auctoritate regia confirmantes. Statuimus igitur et sub interminatione gratie nostre districte precipimus ut nulla unquam persona ecclesiastica vel secularis

(*a*) Vid. supra, p. 272 et 273, not. *b*.

(*b*) Sic in impressis et in ipso codice. Luce tamen clarius legendum *Sibidatum* (*Cividale*); cf. supra, p. 321, not. 1.

ordinationem et divisionem bonorum ecclesie prelibate infringere audeat aut cujusquam ingenii scrupulo permutare. Quod qui facere presumpserit, indignationem Dei omnipotentis nostreque celsitudinis gravissimam offensam se noverit incursurum. Ad hujus itaque facti nostri perennem memoriam et stabilem firmitatem, presens exinde conscribi privilegium et sigillo nostro jussimus insigniri.

Actum apud Augustam, anno dominice incarnationis MCCXXXII, XV kalendas junii, indictione V.

Henricus, Romanorum rex, abbati et conventui Sanctae Crucis apud Donauwerth concedit ut minister loci ejusdem jure debito quod dicitur *Vogetmuete* debeat esse contentus et quemcumque ex officiatis imperii voluerint, sibi eligant in defensorem; aliaque jura a praedecessoribus suis indulta eisdem confirmat. Apud Werdam, 24 maii.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. XVI, p. 35, in *Monum. Werdens.*)

Heinricus septimus Dei gracia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus presens scriptum inspecturis gratiam suam et omne bonum. Vestre innotescat universitati quod a predecessoribus nostris Romanorum imperatoribus et regibus monasterio Sancte Crucis in Werda et abbati et conventui loci ejusdem hactenus est concessum quod ministro loci ejusdem et insuper nulli hominum licere debeat quod a colonis eorum aliqua accipiat stipendia, aut bona ejusdem monasterii destituere vel instituere aliquibus personis, aut in personas easdem aut aliqua bona ejusdem monasterii exercere indebitas exactiones, sed tantum jure debito quod in vulgari Vogetmuete dicitur debeat esse contentus; quod ipsius monasterii advocatia non debeat ab imperio aliquatenus alienari vel sequestrari. Item ipsis est concessum ut quemcumque ex officiatis imperii voluerint, sibi eligant in gubernatorem et defensorem advocatie monasterii memorati, quod ille non debeat ipsis in personis propriis aut quibuslibet

jurisdictionibus eorum vel bonis eorum immeritam inferre molestiam aut aliquatenus presumere debeat indebite perturbare. Verum quicumque ad hujusmodi gubernationem et conservationem supradicte libertatis supradicto monasterio concesse inutilis aut flagitiosus extiterit, eo ipso idem abbas et conventus liberam debent habere potestatem alium ad hujusmodi ministerium eligendi. Pecora etiam eorum debent specialiter in nemore nostro apud curtim Lederstat et etiam in aliis omnibus pratis, pascuis et nemoribus civilibus et legalibus (*a*) liberam habere potestatem evagandi. Cum igitur supradictis abbati et conventui hec eadem longe a retroactis temporibus a predecessoribus nostris sint concessa, nos culmini nostre magnificentie in hac parte satagentes, supradictas concessiones eisdem concessas de liberalitate nostre majestatis approbantes perpetuo confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. (*sic*).

Datum apud Werdam, IX kalendas junii, indictione V.

Apud Egram, 29 junii. Henricus, Romanorum rex, nomine suo renovat confoederationem mutuam inter Ludovicum Francorum regem et patrem suum initam, et eam in anima sua jurari praecipit.

(Inedit. ex Registro sive Chartulario Philippi Augusti, ap. Bibl. reg. Paris., n° 8408, fol. 168 recto, et 170 verso, ubi tamen non ad integrum, sed quasi sub compendio exhibetur.)

Confederatio inter Henricum regem Romanorum filium predicti Frederici et eumdem Ludovicum regem [de] verbo ad verbum, sicut in confederatione precedenti (1); que sic incipit : « H. Dei gratia Romanorum

(*a*) Forsitan legendum *regalibus*.

(1) Ea scilicet quae supra integra datur, p. 354 et seqq., sub dato apud Portum Naonis, maio 1232.

rex et semper augustus. Sincere dilectionis affectus et cetera, » et ita terminatur : « Predictam itaque confederationem precepimus et injunximus jurandam pro nobis et in anima nostra a Cunrado curie nostre cappellano preposito de Egra et Henrico camerario nostro de Nurembere.

» Actum anno dominice incarnationis M° CC° XXX° secundo, III kalendas julii, indictione quinta.

» Datum apud Egram, anno, kalendis, indictione prenotatis. »

Henricus, Romanorum rex, cives Ratisponenses sub quibusdam conditionibus in gratiam suam se recepturum fore promittit, condonatis eis injuria ac temeritate ab eis in se factis. Apud Egram, 1° julii.

(Edit. a GEMEINER, *Regensb. stadtchronik*, I, 329 in nota. — Et ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars I^a, n° 713, p. 202, ex originali in archivo ord. praedic. Ratisp., cujus sigillum periit.)

H[einricus], Dei gratia Romanorum rex semper augustus, dilectis fidelibus suis judicibus, consilio et universis civibus Ratisponensibus gratiam suam et omne bonum. Ex mansuetudine nostre paciencie quam habere volumus ad benignos et devotos, indulsimus vobis multiplices excessus vestros quos commisistis temeriter [in] injuriam nominis nostri, licet uberiorem vindictam reffundere possemus in quosdam concives consorcii vestri, quorum nomina congnovimus et vos cognovistis, qui inpediverunt cum nequiter tum potenter quod a consorcio universitatis vestre non preveniebamur condignis honoribus, immo a vobis recessimus ultimo nec tamquam rex et dominus vester, nec exhibitis hiis in modicis nobis vel in magnis que utriusque competerent honestati. Statuimus igitur pro pena et vindicta eisdem quos una vobiscum nocentes cognovimus in premissis, ut de pecunia nobis promissa solvant quemadmodum ex deliberacione vestri consilii eisdem, cum fuerint auctores ignominie nobis illate, duxeritis inponendum ; et si recusaverint inposita ipsis se non daturos,

exclndimns ipsos a gratia uostra, quam non consequentur uisi solvant de pecnnia nobis datnra ipsis inposita et injnncta. Et tamen vobis precipimus per gratiam uostram ut ipsos ad id compellatis, nichilominus ipsos a vestro consorcio exclndentes tamquam frivolos uostros et imperii et contumaces, vendicando bona ipsorum uostre potestati.

Datnm apud Egram, kalendis julii, indictione V^a.

Apud Egram, 1^a julii. Henricus, Romanorum rex, cives Ratisponenses in gratiam suam iterum recipiens, per nuncios eorum modum eis praescribit, quo ex sententia principum pro temeritate eorum in se facta satisfaciant.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars I^a, n° 714, p. 203, ex originali unde sigillum valde laesum appendet ex segmento membranaceo. — Memoratum quoque a Gemeiner, *Regensb. Stadtchronik*, I, 330, in nota.)

H[einricus], Dei gratia Romanorum rex et semper angustus, dilectis fidelibns suis jndicibns, consilio et universis civibus Ratisponensibus gratiam suam et omno bonum. Ammovimus fnnditus a corde nostro iram, odium et rancorem quem pro mnltiplicibus excessibus contra vos conceperamns, dantes vobis gratiam nostram quemadmodum vestri nnncii vobis dicent viva voce. Ad qnorum instantem reqnisicionem talis coram nobis lata est sententia et ab omnibus priucipibus et magnatibus imperii approbata : qnod quilibet vendens et emens et uomen mercatoris habens promissam nobis pecuniam proporcionaliter solveret quam datnri estis pro recuperacione gratie nostre, et quicunque recuset dare de promissa uobis pecunia partem qne ipsum contigit et sicut ipsi fuerit inpositum, quod exclusns sit a gratia nostre majestatis, et tamen compellatur manu forti ad dandum quod ipsi dinoscitnr impositum, et proinde res sne nostre vendicentur potestati. Statuimus igitur et sub interminatione gratie uostre precipimus firmissime ut si sunt aliqni qui iu hujusmodi se velint eximere

serviciis universitati vestre impositis, quod tales a vestro consorcio et collegio excludatis, ut pro temeritate nobis facta in res et personam ipsorum vindictam condignam reffundamus. Nolumus esse exemptos a serviciis nobis promissis qui censeri poterunt nominibus mercatorum.

Datum apud Egram, kalendis julii, indictione V.

Henricus, Romanorum rex, monasterio Waltsassen donationem bonorum in Culme in partibus Olsniz per Reimbotonem de Stracenberg fratresque ejus sub certis conditionibus illuc factam confirmat, cum bona illa in feodum a rege obtinuisset lantgravius Thuringiae, a lantgravio comes de Eberstein, ab eo denique praedictus Reimboto. Apud Egram, 1° julii.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXXI, pars I^a, p. 554, e libro copiali antiquiss. Memoratum autem a BRUSCHIO, *Monasteriologia*, p. 249.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. H. Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, omnibus fidelibus presentem paginam intelligentibus gratiam suam et omne bonum. Quoniam ex commisso nobis regni gubernaculo quamlibet ecclesiam sub jure nostre ditionis positam et maxime ordinem Cisterciensem toto conamine augmentare promovereque tenemur et affectamus, cenobium in Waltsassen ex consensu quorumdam fidelium nostrorum quibusdam bonis ditare dignum duximus. Sciant ergo tam presentes quam futuri quod cum illustris lantgravius H. de Turingia cum fratre suo Cunrado in partibus Olsniz feudum quoddam nomine Culme a nobis, comesque Cunradus de Eberstaine a predicto lantgravio et Reimboto de Stracenberch ab eodem comite tenuerit, idem Reimboto cum omnibus fratribus suis et eorum successoribus jamdicta bona et omnia illorum pertinentia una cum predictorum baronum auctoritate nobis absolute resignavit : sub tali forma ut ecclesia nostra in Waltsassen pro anime sue et omnium affinium suorum remedio post obitum suum, remota omni

exactione et servitio, redditus in perpetuum possideat resignatos. Quod si processu temporis predicti fratres jamdicta bona vendere seu cambire in usus suos voluerint, cum voluntate fratrum sepedicti Reimbotonis vel successorum suorum hoc fiat; ita dumtaxat ut nulla exactio hujus rei causa a memoratis fratribus ab aliquo exigatur. Porro si successores seu fratres sepedicti R. eadem bona quolibet modo emere voluerint, primam electionem libere habeant (1). Et ne temeraria presumptione hanc solempnem donationem quis infringere presumat, sigilli nostri impressione roborare decrevimus.

Hujus rei testes sunt: domnus abbas de Walderbach, ... comes de Stalberch (*a*), comes Fridericus de Bichenlin (*b*), duo fratres de Sparnberch Arnoldus et Rudegerus, Harmannus de Salenberch, Theodericus camerarius de Mulhusen, Heinricus de Hebenstein, Ulricus de Tullestete, duo Nothafti fratres Albertus et Heinricus, et alii quamplures.

Datum apud Egram, anno incarnationis Domini M. CC. XXXII, kalendis julii, indictione V.

Apud Haguenau, 30 julii.

Henricus, Romanorum rex, monasterium de Porta Coeli, quondam Tennenbach vocatum, cum omnibus mancipiis et possessionibus ejus sub sua protectione recipit, eique specialiter praedium in Mundingen confirmat.

(Edid. Marian, *Austria sacra*, pars I*, *Diplom. Beylage*, p. 303.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus VII, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. In conspectu divine majestatis de cujus

(*a*) Alibi vero *de Stolberch*.
(*b*) Scilicet *de Beichlingen*.

---

(1) Id est exemplum hujus juris dicti *protimeseos*, ad cujus regulam constitutionem Fridericianam supra edidimus, p. 229 et seqq.

muneratione venit ut cum felicitate regnemus, aliqua semper offerre volentes que Deo grata resideant, religiosis personis eo libentius favorem volumus regie benignitatis impendere quo magis conversatione gratissima Dominum creatorem omnium venerantur, reges ad beneficia provocant et ad ejus obsequium nonnullos alliciunt et invitant. Cumque ob reverentiam Regis regum loca religiosa consideratione pia respicere teneamur, omnibus imperii fidelibus tam presentibus quam futuris duximus declarandum quod nos attendentes precipuo fervorem religionis que in sancto monasterio, quod Porta Celi dicitur et antea Thennenbach vocabatur, per effectum operis Domino exhibetur, ut nostre benignitatis favorem agnoscat, ad imitationem serenissimi domini imperatoris patris nostri, illius intuitu apud quem nec meritum deperit nec quemquam irremuneratum relinquit, pro remedio quoque animarum parentum nostrorum pie memorie divorum augustorum, recepimus ipsum monasterium cum omnibus mancipiis et possessionibus suis sub specialem regie magnitudinis protectionem; de gratia serenitatis nostre jamdicto monasterio et fratribus illic Domino militantibus dantes, concedentes atque confirmantes in perpetuum predium in Mundingen quod idem monasterium ab Hospitalariis comparavit cum universis appendiciis suis, justitiis, rationibusque ad illud predium pertinentibus. Concedimus ad hec eidem monasterio et confirmamus quecumque concessione pontificum, largitione principum, dono comitum vel baronum et aliorum oblatione fidelium juste et rationabiliter possidet et in presentiarum aut in futurum justis modis concedente Domino poterit adipisci; volentes etiam concambia, donationes et venditiones omnes a ministerialibus et hominibus nostris eidem monasterio factas de bonis imperii vel patrimonii nostri, firmas semper et illibatas permanere. Utque supradictum monasterium nostre gratie plenitudine gaudeat et in statu pacis consistat, et ut hec concessio nostra et confirmatio stabilis et illibata consistat, presens inde privilegium conscribi jussimus et nostre majestatis bulla communiri.

Hujus rei testes sunt: Bertholdus Argentinensis episcopus, abbas Sancti Galli, comes Henricus de Werda, et alii (*sic*).

Acta sunt hec anno M. CC. XXXII, tertio kalendas augusti, indictione

quinta, regnante Henrico VII, Romanorum rege glorioso, anno regni [ejus] XI.

Datum apud Hagenaw.

Apud Franchenfort, 1ª augusti.

Henricus, Romanorum rex, canonicos et universum clerum ecclesiae Aquensis sub sua speciali protectione recipit, et advocato, sculteto, scabinis, burgensibusque Aquensibus mandat ne illos in personis aut rebus molestare praesumant.

(Edid. Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 93.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, fidelibus suis advocato, sculteto, scabinis et universitati burgensium Aquensium necnon omnibus presens scriptum intuentibus gratiam suam et omne bonum. Cum regalem nostram deceat majestatem omnium ecclesiarum utilitati prospicere, recognoscendo profitemur quod ecclesie Aquensis promotioni specialius tenemur intendere, ut sicut a piissimo Karolo fundata, ab antecessoribus nostris pie promota et usque ad nos paterne defensata speciali gaudet privilegio, sic et nostre protectionis desiderato sibi gaudeat solatio. Nos igitur, ad imitationem serenissimi domini F. Romanorum imperatoris progenitoris nostri, eandem ecclesiam, canonicos et universum clerum sub nostra speciali protectione recipimus; in ea qua nobis tenemini fidelitate firmiter injungentes et sub obtentu gratie nostre districte precipientes ne quis vestrum eos verbo vel facto, in personis aut rebus presumat molestare, sed honorem et reverentiam quam decet pro posse vestro studeatis impendere eisdem. Si quis autem vestrum post prenotatum nostrum mandatum ausu temerario contra memoratos nostros cappellanos et clerum presumpserit aliquid attemptare, gravem offensam et indignationem nostre celsitudinis se noverit incurrisse. Et nos sculteto qui pro tempore fuerit sub obtentu gratie nostre precipimus ut sic temeritatem unius studeat coercere ne consi-

mile quis alius in sepefatos capellanos nostros et clerum audeat attemptare.

Datum apud Franchenfurt, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, kalendis augusti, indictione V.

Henricus, Romanorum rex, confirmat donationem ab Ottone Aquensi et Trajectensi praeposito canonicis Aquensibus factam; scilicet ut pro hospitalitatis incommodis in recompensationem quinque de centum marcis de oblationibus percipiant. Apud Franchenfurt, 1° augusti.

(Memorat. ap. Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 91, not. 2; qui quidem tantummodo donationem Ottonis sub n° 177 in integrum exhibet. Originale vero confirmationis regiae in archivo Düsseldorfensi asservatur.)

Datum apud Franchenfurt, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, kalendis augusti, indictione quinta.

Henricus, Romanorum rex, capellanis suis canonicis Aquensibus confert jurnalem unum terrae suae circa eorum curiam apud Düren. Apud Franchenfurt, 2 augusti.

(Edid. Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 93, n° 183.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium ad notitiam universorum cupimus pervenire quod nos dilectis capellanis nostris canonicis Aquensibus de in-

nata nobis benignitate contulimns jurnalem unum terre nostre circa curiam eorum Duriu jacentem ad ipsorum curiam ampliandam, talem donationem presentibus litteris nostris et sigillo nostro roborantes.

Datum apud Frainkinfortum, anno millesimo ducentesimo tricesimo secundo, IIII nonas augusti, indictione quinta.

---

3 augusti. Henricus, Romanorum rex, monasterio dominarum Cisterciensis ordinis apud Harste omnia bona et possessiones quae ipsis collata fuerunt confirmat, et licentiam talibus donationibus de caetero adhibet.

(Edid. Möser, *Osnabr. Geschichte*, III[a] pars, *Docum.*, n° 158, ex copia Rull.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii quibus he littere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Ex injuncto nobis officio et innata benignitate tenemur Dei ecclesiarum fidelis provisor existere et earum redditus de nostre largitatis munificentia prout possumus ampliare. Cognoscentes si quidem defectum et paupertatem monasterii et conventus dominarum ordinis Cisterciensis apud Harste, eisdem omnia bona seu possessiones, res mobiles et immobiles, alias quasque pro salute iu remedium animarum suarum ipsis contulerunt (*a*)... plenarie confirmamus, bonam nostram voluntatem et licentiam talibus donationibus adhibentes nec ullatenus permittentes quod in eisdem bonis vel in data sibi tali eleemosyna occasione aliqua indebite et contra talem nostram confirmationem ab aliquo molestentur. Ut autem hec nostra donatio et confirmatio in perpetuum rata permaneat, litteras nostras eisdem donavimus sigillatas.

Datum apud ...., anno Domini M° CC° XXXII°, III° nonas augusti, indictione V.

(*a*) Quaedam ut videtur ibi desunt.

Henricus, Romanorum rex, notum facit se minime monetas, pedagia et justitias episcopi Osnaburgensis, quae a suis praedecessoribus tenet, minui velle, sed e contra haec eidem in pristino statu confirmari, non obstantibus litteris quae a se vel ab imperatore patre suo in praejudicium episcopi ejusdem impetrari potuerint.

Apud Franchenfurt, 3 augusti.

(Edit. ap. Möser, *Osnabr. Gesch.*, t. IV, p. 350, in edit. de anno 1843, cujus exemplar nondum reperire potuimus.)

Datum apud Franchenfurt, anno Domini M. CC. XXXII, III nonas augusti, indictione V.

Henricus, Romanorum rex, auctoritate regia et ex potestate quam nuper a Friderico imperatore patre suo adeptus est, omnia privilegia ab antecessoribus suis civibus Wormatiensibus indulta confirmat, et jubet ea in robore absque calumpnia in posterum remanere.

Apud Frankenfurt, in solemni curia, 3 augusti.

(Edider. J. Fr. Moritz, *Abhandlung von der Stadt Worms*, append., p. 163, n° 11. — Hansselmann, *Diplomatisch. Beweis des hauses Hohenl.*, t. II, p. 277.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus septimus, divina favente clementia rex et semper augustus. Si ea que per sanctiones divorum augustorum imperatorum ac regum salubriori consilio disponuntur, regio patrocinio confirmamus, jura sua illesa cuilibet conservantes, fideles imperii credimus per hoc ad promptiora obsequia invitantur. Noverit igitur tam presens etas quam successura posteritas quod

nos cognoscentes fidem et devotam nec non obseqniosam voluntatem fidelium nostrorum universorum civium Wormaciensinm, quam nobis et predecessoribus ac progenitoribus nostris exhibuernnt hactenus indefesse, ipsis singula et universa privilegia a predecessoribns nostris imperatoribus ac regibus Romanorum et nominatim ab imperatore Friderico proavo nostro, ab imperatore Heinrico avo nostro et a serenissimo domino imperatore patre nostro eisdem indulta, anctoritate regia et ex gratia et potestate quas a serenissimo domino imperatore patre nostro nuper sumns adepti, confirmamus; volentes ea velut hactenus in sno robore et vigore absqne calumpnia in posterum permanere. Statuimus igitur et sub interminacione gratie nostre districte precipimus ut nulla nnquam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel secularis, huic facto et confirmationi nostre audeat contraire vel ausu temerario in aliqno obviare. Quod qui facere presumpserit, iram nostram gravem sentiet et offensam, et penam reatus sni centum libras auri componet, medietatem camere nostre, reliquam passis injnriam persolvendas. Ad hujus itaque facti nostri et confirmationis memoriam evidentem et robur in posterum valiturum, presens exinde privilegium conscribi et sigilli nostri mnnimine jussimns roborari.

Testes hii sunt : S. venerabilis Moguntinus et . . . Treverensis archiepiscopi, B. Argentinensis, Cameracensis, Osnaburgensis episcopi, C. abbas Fuldensis, H. marchio de Baden, H. dux de Limborg, O. Aquensis et Trajectensis prepositus (a), C. prepositus de Tanne, comes Walramus de Lucilnborg, comes E. de Urach, H. marchio de Burgowe, comes H. de Habigsborg, comes A. de Roteniborg, Gerlacus de Budingen, Godefridus de Hohenloch, W. dapifer de Bonlant, W. pincerna de Schiphe, E. dapifer de Walborg, C. pincerna de Winterstetin, C. pincerna de Clinginiborg, Ludewicus de Schipha, et alii quamplures.

Actum [anno] dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, III mensis augusti, indictione quinta, anno regni ejus undecimo.

(a) In impressis *prepositi,* male.

Signum domini Heinrici Romanorum regis invictissimi. (*Monogramma.*)
Datum apud Francenfort in solempni curia nostra, anno, mense, indictione prenotatis.

Henricus, Romanorum rex, Wormatiensibus civibus mandat se eorum consilia et confraternitates in posterum auferre, ad eos mittens archiepiscopum Moguntinensem, H. marchionem de Baden et Gerlacum de Budingen ut cum episcopo Wormatiensi de statu civitatis ordinent et disponant. Apud Frankenfort, 4 augusti.

(Edider. SCHANNAT, *Hist. episc. Worm.*, p. 370, sed minus integre et correcte, cum id imperatori Friderico attribuat. — BOEHMER, *Font. rer. German.*, t. II, p. 219, n° 5, ex libro copiali episc. Wormat. saec. XV apud Darmstadt.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper angustus, fidelibus suis universis civibus Wormaciensibus gratiam suam et omne bonum. Instructi de plenitudine consilii nostri, consilia et confraternitates que in civitate vestra hucusque habuistis, vobis potestate regia auferimus, vosque deinceps a tali consuetudine cessare penitus jubemus (1); mittentes ad vos dilectum principem nostrum venerabilem archiepiscopum Moguntinensem et dilectos familiares nostros H. marchionem de Baden et Gerlacum de Budingen, ut cum episcopo Wormatiensi consedeant et ad ho-

(1) Non concordat instrumentum cum privilegio pridie dato, quod consiliarii et cives Wormaciae in litteris hoc ipso tempore contra Henricum episcopum diffusis (cf. BOEHMER, *Fontes*, II, 219) ita laudabant : « Privilegium quoddam apud dominum imperatorem obtinuit per quod omnia jura nostre civitatis antiqua et privilegia ab imperatoribus, regibus, archiepiscopis, episcopis sancita nititur infirmare. Verum cum hec intellexissemus, domino nostro regi conquerendo significavimus, qui litteris suis apertis nobis indulsit ut ipsius auctoritate in jure nostro antiquo subsisteremus, cui consensimus. » De mandato autem contrario quo quadraginta consules hactenus civitati praesidentes auferebantur, nulla ibidem mentio fit. Unde conjiciendum videtur regem Henricum non ex voluntate sua, sed ob metum paternae indignationis, generali privilegio suo specialem exceptionem quasi invitum addidisse.

norem nostrum et ipsius episcopi de statu civitatis ordinent et disponant. Et volumus ut vos talibus eorumdem ordinationibus sine re. . . . . . . catione unanimiter obediatis.

Datum apud Frankenfurd, II nonas augusti, indictione quinta.

In castris apud Thungen, 18 augusti.

Henricus, Romanorum rex, pro gratis et praeclaris obsequiis Conradi abbatis Sancti Galli, curiam suam apud Griessern cum omnibus appenditiis eidem confert.

(Edid. Neugart, *Cod. Alemann. diplomat.*, t. II, p. 166.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hee littere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Recognoscentes grata et preclara obsequia que dilectus princeps noster C. venerabilis abbas Sancti Galli pluries nobis exhibuit et exhibet incessanter, de plenitudine consilii nostri contulimus ei curiam nostram apud Criesserrun (1) cum omnibus appenditiis suis, videlicet hominibus, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, libere tenendam et perpetuo possidendam. Mandantes et sub interminatione gratie nostre firmissime precipientes ut nullus sit qui dictum principem nostrum in prelibata curia impedire audeat aut dampnum ei vel gravamen aliquod irrogare. Ad cujus etiam scripti nostri robur in posterum valiturum, presentem ei litteram conscribi et sigillo nostro jussimus insigniri.

Datum apud Thungen in castris (2), XV kalendas septembris, indictione V^a.

---

(1) *Griessern* parochia ad sinistram Rheni ripam, supra lacum Bodamicum in valle Rhenana. *Neugartii nota.* — Curtis Cressaris, *Griessern*, ad Rheni littus e regione oppidi Feldkirch sita, plures complectebatur communitates, videlicet Montlingen, Oberried, Kobelwald et montem Kamor et loca trans Rhenum. *Pertzii nota.*

(2) Scilicet *Thiengen* in provincia dicta Schwarzenberg, juxta Waldshut ad dexteram Rheni

Henricus, Romanorum rex, de mandato imperatoris patris sui promissionem abbatiae de Odenheim factam renovat super advocatia ejusdem ecclesiae et curiarum ejus nullo titulo ab imperio alienanda.

Apud Wimpinam, 9 septembris.

(Inedit. ex chartul. Odenheimensi, fol. 23, in archivo Carlsruhensi.)

Henricns septimns, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustns. Cnm propter defensionis et pacis tranquillitatem ad nos et imperium subterfugere consueverint viri religiosi, teuemur eornm indempnitatibns providere, ac eorum bona et defensiones eorumdem nostris retinentes nsibns regio sub patrocinio confovere. Noverint igitur tam presens etas quam snccessura posteritas quod cum claustrum de Otenheim serenissimnm dominnm imperatorem patrem nostrum et nos in speciales elegerit advocatos et defensores, idem dominus imperator et nos promisimus eisdem prestita fide et regali sanctione confirmavimus qnod nunqnam advocatia predicte ecclesie seu aliqnorum bonorum ejns a nostra et imperii potestate et dominio alienetnr. Nunc vero de mandato et petitione serenissimi domini imperatoris, eamdem eis promissionem et landamentum factum denno duximns innovandum; promittentes eidem claustro, abbati quoque et conventui ejusdem ut, quemadmodum est predictum, nnnquam ipsam advocatiam ecclesie memorate sive bonorum ipsius et nominatim

ripam. De ista simul donatione et expeditione haec memoral Conradus de Fabaria ap. Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. II. p. 180 : « Rogatus venerandus abbas a rege ut veniret cum militibus ad Noricum, cum magnam secum adduxisset militum copiam, regi gratus et acceptus curtem in Cressarim ab ipso recepit in proprietatem ecclesiae Sancti Galli servituram, cum familia copiosa, cum pascuis, agria, monlibus et planis ac omnibus suis appendiciis. » Cf. *ibidem*, p. 182; ubi sub nota 13 dicitur diploma 15 aug. 1229 Thengae in castris, a Friderico datum; erronee tamen, dum Fridericus imperator anno 1229 in Alemannia morari non potuerit. Qua vero causa rex Henricus circa Rheni superioris partes anno 1232 cum exercitu versaretur, non bene constat.

advocatias curiarum ecclesie, videlicet Gartach, Westheim, Rethencheim et Hancoshusen, a nobis et imperio venditionis, infeudationis vel obligationis titulo alienare possimus vel debeamus aut etiam alicui elargiri, non (nec) in concambio pro possessionibus aliis transmutare. Mandamus igitur et sub interminatione gratie nostre firmissime precipimus ut nulla unquam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, contra prelibatum laudamentum et promissionem nostram venire audeat aut alicujus ingenii scrupulo immutare. Quod qui facere presumpserit, indignationem tremendi judicis nostreque celsitudinis gravissimam offensam indubitanter se noverit incursurum.

Actum apud Wimpinam, anno dominice incarnationis M^mo CC^mo XXXII°, quinto idus septembris, indictione sexta.

Apud Swinfort, 14 septembris.

Henricus, Romanorum rex, ratam habet donationem boni cujusdam apud Eschinber ex parte Ludewici de Wangenheim monasterio Vallis Sancti Georgii factam.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 242, n° 276, ex exemplari quod transcripsit Hesse in *Copialbuch S. Georgenthal* de anno 1380, fol. 40.)

Hujus rei testes sunt : Henricus de Schwartzberg, Guntherus de Kevernburg, Albertus de Wye, Meinhardus de Tundorf comites, Ludevicus de Frankenstein, etc.

Datum apud Swinfort (1), anno dominice incarnationis MCCXXXII, XVIII kalendas octobris, indictione sexta.

Apud Wimpinam, 26 septembris.

Henricus, Romanorum rex, per manus comitis Hartmanni de

(1) Scilicet *Schweinfurt* super Moenum.

Dillingen Godeboldo abbati et conventui de Neresheim confert praedium apud Zurtin, quod ministerialis suus Ulricus de Truchtelingen in manus suas contradidit.

(Edit. ap. *Deduction für Neresheim*, ann. 1759, p. 440, Beylagen, n° 50.)

Henricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus he litere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Ad utriusque vite felicitatem prodesse nobis non ambigimus, si loca divino cultui mancipata curaverimus ampliare et eorum commodo intendere et honori. Hinc est quod significandum duximus universis tam presentibus quam futuris quod ministerialis noster Ulricus de Truhtelingen predium apud Zurtin emptum a ministeriali nostro Reimbotone de Voheburc cum omnibus appendiciis, ecclesia, molendino, mancipiis, agris cultis et incultis, nemoribus, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus et piscina in manus nostras contradidit et donavit. Nos itaque, ad petitionem ipsius Ulrici, predictum predium ecclesie de Nersheim ex deliberato consilio et consulta deliberatione necnon ..... Godeboldo abbati et conventui ejusdem loci ac successoribus eorumdem per manus dilecti fidelis nostri comitis Hartmanni de Dilingen contulimus et contradidimus pleno jure libere tenendum et perpetuo possidendum; mandantes et sub interminatione gratie nostre districte precipientes ut nulla unquam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, huic donationi contraire audeat ausu ducta temerario, aut abbati et conventui prelibatis vel successoribus eorum in ipso predio damnum aut gravamen aliquod irrogare, seu ecclesiam in eodem presumat alicujus ingenii scrupulo molestare; alias qui facere presumpserit, indignationem tremendi judicis nostreque celsitudinis gravem offensam indubitanter se noverit incurrisse. Ad cujus etiam facti et donationis nostre memoriam evidentem et robur in posterum duraturum, presens exinde privilegium conscribi et sigilli nostri munimine jussimus insigniri.

Testes hi sunt : Fridericus abbas Campidonensis, H. marchio de Baden, comes Hartmannus de Wirtinberc, comes Ulricus de Helffinsteine,

C. dux de Tecke, R. palatinus comes de Tuwingen, comes Willelmus de Tuwingen, Fridericus de Truhendingen, Albertus de Niffen, Eberhardus de Achaim, Anshelmus de Justingen, Pilgrinus de Balisheim, E. dapifer de Walpen (*a*), C. pincerna de Winterstetten, Dietho de Ravenspurc, Albertus Rûndsmûl, Hildebrandus de Trugenhufen, Conradus de Werda, Heinricus Spisarius de Giselingen, Herwardus de Holzwanc, Reinboto de Altheim, et alii quamplures.

Actum apud Wimpinam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, septimo kalendas octobris, indictione sexta.

Apud Spiram, 30 septembris. Henricus, Romanorum rex, Johanni de Scharpfeneck ejusque haeredibus aut successoribus praefecturam et wildpannum totius districtus Haingereide vocati, circa castrum eorum Scharpfeneck justo feudali titulo concedit.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXXI, pars I*, p. 555, ex copia vidim. ann. 1564.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus. Tenore presentium recognoscimus publice profitentes quod nos nobili viro fideli nostro Johanni de Scharpfeneck, ejus heredibus ac successoribus auctoritatem dedimus faciendi bona predalia in inter et circa montes vulgariter Rossbach et Urlesberg dictos, quorum etiam montium venationes una cum adherentibus nemoribus seu campis hinc inde in quatuor millium passunm distantia tali (*b*) eorum castro Scharpfeneck competere discernimus, necnon prefecturam et wildpannum totius districtus vulgariter Heingereiden vocatum, eis justo feudali titulo concessimus; mandantes et firmiter precipientes ne quis eos alicujus ingenii scrupulo perturbare aut huic facto obviare audeat. Quod si quis facere presumpserit, offen-

(*a*) Sic in impresso; sed legendum *de Walperg* seu potius de *Waldpurg*.

(*b*) Sic : legendum forsan *distantibus*.

sam nostram se graviter incurrisse sciat presentium testimonio litterarum.

Datum apud Spiram, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo secundo, pridie calendas octobris, indictione sexta.

Henricus, Romanorum rex, ratam habet emptionem villae Winmotsheim (Wimbsen) quam Gozwinus abbas et conventus de Maulbronn a Gotefrido comite de Vaihingen comparaverunt, promittitque quod advocatiam villae ejusdem nunquam ab imperio alienabit.

Apud Wimpinam, 2 octobris.

(Edit. ap. BESOLD, *Docum. rediv. monaster. Wirtemberg.*, t. I, p. 496.)

Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus in perpetuum. Ut ad nostros successores perveniant firma ea que coram nobis litterarum indiciis duximus perhennari, ad notitiam igitur tam modernorum quam futurorum volumus pervenire quod Gozwinus abbas et conventus de Mulenbrun juste et rationabiliter comparaverint villam Winmotsheim pro comite Gotfrido de Vehingen et heredibus suis, cum ecclesia, cum advocatia et agris, pascuis, aquis et aquarum decursibus et agris tam incultis quam cultis, cum omnibus appenditiis; et ipsi venditioni et emptioni adhibuimus manus nostras et tenore presentium ipsi ecclesie in perpetuum confirmamus. Et quia totalis advocatus sumus ecclesie memorate, promittimus ut advocatiam ville pretaxate a nobis et imperio nunquam alienemus per obligationem vel venditionem vel infeodationem, et si in contrarium fecerimus immemores, decernimus nichil esse.

Testes sunt hii : Ludewicus comes de Rienecke, Anselmus de Justingen, E. dapifer de Waldpurc et C. pincerna de Wintersteten, Wilhelmus de Wimpina, et alii quamplures.

Actum apud Wimpinam, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo tricesimo secundo, VI nonas octobris, indictione sexta.

Apud Nuremberg, 19 octobris.

Henricus, Romanorum rex, monasterio Caesariensi (Kaisersheim) donationem ministerialis sui Heinrici de Kallindin et uxoris ejus de quatuor nominatis praediis illuc factam, confirmat.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars I^a, n° 716, p. 205, ex originali cujus sigillum periit, remanentibus tantum filis disruptis violacei, albi et flavi coloris.)

Heiuricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Deo creatori nostro gratum et placens prestare nou ambigimus obsequium, si loca divino cultui mancipata curaverimus ampliare et eorum promotioni ac defensioni intenderimus cum effectu. Qua de re uoveriut tam preseus etas quam successura posteritas quod uos de pleua cognovimus veritate et multorum veridico ex relatu et ex literis et confirmatione serenissimi domini imperatoris patris nostri coram nobis lecta, quod ministerialis noster Heiuricus de Kallindiu et uxor sua Bena pari voto et animo concordi monasterio Cesariensi universa bona et predia que habebant apud Egewilr, Vebermvotshoven, Wezelsheim, Wachsteiue et Volperstetiu, contradiderunt et coutulerunt libere tenenda et perpetuo possidenda : tali tameu coudicto videlicet et pacto quod annuatim ab eisdem bonis libram cere pro censu persolvatur ecclesie memorate, et si alterum ipsorum premori contingat, superstes predia pro eodem censu dum vixerit obtinebit, et ambobus defunctis eadem predia monasterium libere et absque coutradictione qualibet possidebit. Hoc etiam pacto interposito quod si viro mortuo dicta Bena supervixerit, ipsa bona pro ceusu prenotato ad ejus vite terminum obtiuebit, et si forsan viro alio superducto generabit pueros et heredes, hii iu prelibatis bonis nullam hereditatem vel justiciam habebunt hereditandi, nec alicujus ingeuii scrupulo ea poterunt ab ecclesia alienare. Regia igitur auctoritate nostra et legali sanctione supradictam donationem ecclesie Cesa-

riensi duximus confirmandam. Mandantes et sub interminatione gratie nostre districte precipientes ut nulla umquam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, huic confirmationi nostre vel donationi antefate contraire audeat aut eam aliquo presumat ingenio infirmare. Quod qui facere presumpserit, omnipotentis Dei indignationem nostreque celsitudinis gravissimam offensam se noverit incursurum.

Testes hii sunt : H. marchio de Baden, comes Heinricus de Ortenberc, Fridericus de Truhendingen, E. dapifer de Walpurc, C. pincerna de Winterstetin, Albertus Rindsmulus, L. et L. fratres de Grindelach, Ludewicus de Schipsse (Schipffe), Eberhardus de Hertingisperge, Heinricus Spisarius de Giselingen, Dietherus de Egra, Rudegerus de Wolprands hostiarii, et alii quamplures.

Actum apud Nuorenberc, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXXII, quarto decimo kalendas novembris, indictione sexta.

Henricus, Romanorum rex, abbati et conventui de Creutzlingen apud Constantiam promittit quod nunquam villas eorum Hirslatt et Horgunzell et alia bona ejusdem ecclesiae alienabit vel advocatiam a suo dominio sequestrabit.

Apud Rzzelingen, 26 octobris.

(Ineditum ex copia quam nobis liberaliter communicaverunt egregii viri Staelin et Kausler, quorum unus *Wirtembergische Geschichte*, alter *Wirtembergische Urkundenbuch* pari studio in laudem patriae suae ediderunt. Insertum habetur hoc diploma litteris Conradi II Suevorum ducis, anno 1267, V kal. febr., Constantiae exhibitis et in archivo Cruzelingensis monasterii asservatis. Memoratum et extract., sed minus recte, ap. PUPIKOFER, *Regest. des Stiftes Kreuzlingen*, p. 9, n° 34, ann. 1853.)

Henricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Si commodo et promotioni ecclesiarum Dei et nominatim earum que in nostro sunt patrimonio constitute, intenderimus cum effectu, Deum creatorem nostrum proinde nobis non ambigimus premia elargiri

sempiterna. Noverit igitur tam presens etas quam successura posteritas quod nos ad imitationem serenissimi domini imperatoris patris nostri, dilectis fidelibus nostris abbati et conventui de Cruzelino in Constantia qui partem dederunt pecunie ut a Gniftingo de Raderay redimerentur in nostram denuo potestatem, fide data promisimus ut numquam bona eorum, videlicet villas Hirslat et Horgunzelle et alia bona predicte ecclesie in ipso confinio attinentia, possimus vel debeamus titulo vendicionis, infeudacionis, obligacionis seu collacionis ab ipso claustro alienare, vel alicujus ingenii scrupulo dictam advocatiam absque consensu abbatis et conventus a nostro dominio vel demannio sequestrare. Mandamus igitur et sub interminacione gratie nostre districte precipimus, ut nullus sit qui contra predictum promissum nostrum venire audeat seu illud per aliquod ingenium suffocare. Volumus etiam ut, si forsan inmemores date fidei contra promissum nostrum veniemus aliquo persuadente, hoc quod de predicta advocatia fecerimus nullum robur obtineat firmitatis. Ad cujus etiam promissi nostri certam evidentiam, presens privilegium conscribi et sigillo nostro jussimus insigniri.

Testes hii sunt : C. Sancti Galli venerabilis abbas, H. marchio de Baden, H. marchio de Burgowe, C. burgravius de Nurenberc, comes E. de Aichilberc, Albertus de Rossewac, Heinricus marschalcus de Bappenheim, E. dapifer de Walpurc, C. pincerna de Winterstetin, H. et F. camerarii de Ravenspurc, Dietherus de Egra, Ulr. de Lere hostiarii, et alii quamplures.

Actum apud Ezzelingen, anno dominice incarnationis MCCXXXII^do^, septimo kalendas novembris, indictione VI^a^.

Apud Esslinger, 29 octobris.

Henricus, Romanorum rex, ad supplicationem abbatis de Bebenhausen, bona quae idem monasterium in Esslingen juste possidet, ab omni data et exactione eximit.

(Edit. ap. Besold., *Docum. rediviv. monast. Wirtemb.*, t. I, p. 381.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos, ad supplicationem venerabilis abbatis in Bebenhusen fidelis nostri, inspecta quoque religione ibidem degentium qua divino cultui famulantur, divine pietatis intuitu et pro remedio animarum divorum augustorum progenitorum nostrorum memorie recolende ac incolumitate nostra et salute anime nostre, eximimus bona sua que monasterium memoratum in Esslingen juste tenet et possidet ac in antea justo titulo poterit adipisci, ab omni data et exactione, et ipsum volumus amodo in eisdem bonis esse liberum et immune; ministerialibus et civibus ejusdem loci specialiter inhibentes quatenus nullus illud contra presentis exemptionis et immunitatis nostre paginam molestare presumat. Quod qui presumpserit tanquam mandati nostri transgressorem se noverit indignationi nostri culminis subjacere. Ut autem hec nostra exemptio firma semper et inconcussa permaneat, presens scriptum fieri fecimus sigillo majestatis nostre munitum.

Hujus rei testes sunt : H. marchio de Baden, . . . abbas Sancti Galli, . . . dapifer de Walpurc, . . . pincerna de Winterstettin, Ulricus Wernherus notarius (*a*).

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo tertio (*sic*), quarto kalendas novembris.

Datum apud Esslingen, indictione sexta.

Henricus, Romanorum rex, confirmat donationem domui hospitalis Sancti Spiritus in Stephansfeld a comite Sigeberto de Werda et ab Henrico et Theoderico comitibus ejus filiis factam de parte nemoris apud Brumat et de quodam molendino cum aquarum decursibus. Apud Hagenoam, 13 novembris.

(*a*) Anno tamen 1231 memorantur insimul *Ulricus et Wernherus notarii*. Vid. supra, p. 556.

(Edid. Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 367, n° 465.)

Henricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex semper augustus, universis quibus hee littere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Solum ea sunt ad perpetuos usus et ad animarum remedia salubriter deposita et conservata que a munificentia nostra manus pauperum deportant. Quare saluti nostre salubriter consulentes, eam donationem quam dilectus fidelis noster comes Sigebertus de Werda et Heinricus et Theodericus comites filii sui, videlicet partem nemoris silve inferioris que spectat ad Brumat, totum videlicet nemus cum paludibus et pratis que de via que dicitur Breittweg inter paludem et silvam domini Burckardi de Blyde usque ad Rhenum tendit cum omni jure et libertate quo illud tenebat, domui hospitalis Sancti Spiritus in Steffansfelt jure hereditario dederunt, ratam et firmam habemus; tamen pro censibus predicti fratres duos cappones in curiam Nazarii singulis annis dare tenentur. Confirmamus et donationem prefatis fratribus factam in molendino, que locum habet super aquam que dicitur Durroso cum aquarum decursibus, ita quod annuatim de ipso molendino duo solidi in curiam comitis persolvantur. Insuper confirmamus eis eam gratiam qua ex parte aque de omnibus bonis suis et de pecudibus in banno ville Brumat decimam non persolvant. Ut autem hec nostra donatio et confirmatio rata in perpetuum permaneat, litteras nostras eisdem fratribus dari jussimus sigillatas.

Testes autem qui aderant sunt hii : . . . marchio de Baden, . . . pincerna de Winterstett, H. de Ravenspurg, frater B. de Tannenrode, et alii quamplures.

Actum apud Hagenoam, anno ab incarnatione Domini M.CC.XXXII, idibus novembris, indictione VI.

Apud Hagenoe, 1° decembris. Henricus, Romanorum rex, omnibus licentiam concedit se transferendi cum rebus et personis ad fratres hospitalis sui de Haguenau, eosdemque ab omni servitio sibi debito, quod ad dispendium hospitalis redundare posset, eximit.

(Inedit. ex cod. sub initio seculi decimi octavi exarato, dicto *Chartulaire des prémontrés de Haguenau*, in archivo Argentinensi, fol. 18, 32 et 104.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, scultetis qui pro tempore fuerint Hagenoe ceterisque imperii fidelibus quibus hec litera exhibita fuerit, gratiam suam et omne bonum. Religiosam vitam habentibus regale debet adesse presidium, ne cujusvis temeritatis incursus aut eos a bono proposito revocet aut in eis, quod absit, robur sue conversationis infringat. Hinc est quod ad notitiam singulorum volumus pervenire quod nos pro anime nostre salute hospitali nostro in Hagenau de liberalitate regia duximus indulgendum quod quicumque homines nostri, zelo fidei ac devotionis accensi, se cum rebus et personis ad fratres hospitalis ipsius transferre voluerint, sive in habitu religionis sive in seculari habitu, Domino servituri in ipsius ordinis confratria, quocumque modo nobis attineant, transferendi se illuc liberam habeant facultatem, nec postea teneantur nobis in aliquibus servitiis que in hospitalis valeant redundare dispendium vel gravamen. Per gratiam quoque (*a*) nostram firmiter inhibemus ne quis scultetus aut officialis noster sive alia persona predictum hospitale in hac gratia sibi facta (*b*) presumat aliquomodo molestare et etiam contra ipsam venire; quod qui attemptare (*c*) presumpserit, triginta marcas auri componat, quarum medietas cedat nobis; reliqua medietas passis injuriam persolvatur.

Datum apud Hagenoe, calendis decembris, indictione sexta.

Henricus, Romanorum rex, Waltero de Hochdorf monasterii Montis Angelorum bona in Aargau sita, quamdiu abbati ejusdem ecclesiae placuerit, tuenda commendat. Apud Hagenowe, 2 decembris.

(*a*) Alias *ergo*.
(*b*) Alias *vel statu*.
(*c*) In omnibus *acceptare*, male.

(Memorat. ap. *Versuch einer Darstell. des reichsfreien Stift. Engelb.*, p. 68, not. 5. Adsunt in *archivo Engelberg.* duo hujus mandati exemplaria, ambo originalia, unum penes abbatem, alterum penes defensorem monasterii verisimiliter remansura. Huic primo desunt notae chronologicae, quae leguntur in fragmento pergamenae nunc trans originale insuto. Secundum autem integrum infra exhibemus ad ann. sequentem, 11 januarii.)

Data apud Hagenowe, IIII nonas decembris, indictione VI.

Apud Spiram, 9 decembris.

Henricus, Romanorum rex, scholas in Mühlhausen, sicut sibi cives ipsi jus recognoverunt, ecclesiae Sancti Blasii donat, Alberto plebano et successoribus ejus concedens ut ipsas scholas cum elemosina regali ordinare possint.

(Inedit. ex copia ab Heinrico abbate de Volkolderode anno 1348 transumpta et in archivo Dresdensi asservata.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hee littere fuerint ostense, gratiam suam et omne bonum. Cum omne jus patronatus earum ecclesiarum quarum donatio ad nos pertinere dinoscitur et eas parochias magis semper augmentis et aliis dignitatibus exaltare (*a*), notum esse volumus universis quod nos scolas in Mulhusen, sicut ipsi cives nostri in ejusdem (*b*) assignatione nobis jus recognoverunt, ecclesie Sancti Blasii de cetero concessimus et dedimus locandam; eamdem gratiam Alberto tunc temporis ibi plebano et nostro cappellano et aliis suis successoribus de nostra munificentia facientes, ita quod de cetero ad voluntatem eorum regimen scolare et ipsas scolas etiam cum elemosina que in eadem civitate nostra Mulhusen dicitur elemosina regalis, ordinare possint, sicut suis justitiis et utilitatibus viderint expe-

(*a*) Deest in copia *debeamus* vel hujusmodi.

(*b*) Sic et infra quoque *locandam* singulariter, licet ad vocem *scholas* referantur.

dire. Ut autem hec donatio nostra rata in perpetuum permaneat, litteras nostras eidem ecclesie dedimus sigillatas.

Datum apud Spiram, V idus decembris, indictione sexta.

Henricus, Romanorum rex, Ludovicum Francorum regem rogat ut contra se, comitem Barrensem et cives Metenses nullum episcopo Metensi auxilium impendat vel ab hominibus regni Franciae impendi permittat. [Circa annum exeuntem.]

(Inedit. ex collect. De Camps, t. LXVII, in Biblioth. praecipua Paris., ubi dicitur « *extr. du* lib. principum *de la bibl. Colb.*, t. I, fol. 26 recto. »)

Ludovicus, Dei gratia Francorum rex, dilectis et fidelibus suis universis baronibus et hominibus suis ad quos presentes pervenerint, salutem et dilectionem. Litteras charissimi fratris et amici nostri illustrissimi Romanorum regis et semper augusti recepimus in hec verba :

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, charissimo fratri et amico suo Ludovico illustri Francie regi salutem et sincere dilectionis affectum. Cum nos de providentia nostri [consilii] principi nostro Metensi episcopo, velut tenemur authoritate imperii, de fidelibus nostris civibus Metensibus plenam de quibuslibet lesionibus satisfactionem voluissemus justitiam exhibere (*a*), idem episcopus boni non consentiens, sed omnia volens in strenuitate sua et malitia tractare, a jamdictis civibus recusabat justitiam acceptare. Propter quod mandavimus dilecto fideli nostro comiti Barrensi et rogavimus eumdem ut amore nostri memoratis civibus assisteret, ipsos contra dictum episcopum pro viribus adjuvando (1). Sane quod veridico

(*a*) Sic. Verisimiliter legendum *secundum justitiam exhiberi.*

(1) « De civitate Metensi non est praetereundum quomodo episcopus Johannes per quoddam castrum Sancti Germani cum adjutoribus suis fere per biennium cives impugnaverit, et quo-

cognovimus ex relatu quod prelibatus episcopus ad nocumentum predictorum civium nostrorum magnatnm ac baronum regni vestri auxilium invocet et reqnirat, sinceritatem vestram rogamus cum instantia et monemns quatenus sepedicto episcopo contra nos et comitem Barrensem ac cives Metenses nullum prorsus consilium vel anxilium impendatis aut hominibns regni vestri impendere permittalis, memorie nostre salnbriter revocantes quod. . . . .

[*Henrici litterarum finis omnino desideratur* (1).]

Qnia igitur predicto regi stricto pacis et amicitie federe tenemur astricti, vobis mandamus et inhibemus ne contra eumdem regem vel predictum comitem Barri seu cives Meteuses consilium vel auxilium impendatis episcopo memorato.

Actum apnd Sanctum Germanum in Laya, anno Domini millesimo dncentesimo trigesimo secundo, mense januario.

---

modo [Henricus] comes Barri episcopum deseruit, et mediante pecunia Metensibus quos impugnabat reconciliatus et eis associatus, multa castra urbi contraria dejecit. Episcopum et ducem Matthaeum nepotem suum impugnavit, donec dux ipse relicto episcopo, de necessitate reconciliatus est avunculo, et ita factus est Metensis adjutor. » ALBERIC. TRIUMFONT., ad ann. 1232, ap. LEIBNITZ, *Access.*, tom. II. Castra autem de quibus apud Albericum mentio fit, erant dicta Florange, Virey, Neufchatel et Sancy. Paulo post dux Lotharingiae, Barrensis comes et Metenses coadunatis viribus castrum Sancti Germani vi ceperunt. Bello tamen quo tamdiu partes istae ferbuerant, finis anno 1234 imposita est. Cf. DUCHESNE, *Hist. de Bar*, et *Hist. de Metz par des relig. bénédictins*, t. III, passim.

(1) Quum in copia hic legatur « déchiré sur l'original, » pauca admodum spes remanet de reperiendis aliunde chronologicis notis. Litteras tamen circa annum 1232 exeuntem, tum ex rerum serie, tum ex ipso Ludovici noni mandato, non inepte reponendas esse censemus. Ludovicus enim, anno nostra computatione 1233 ineunte, apud Sanctum Germanum in Laya revera morabatur.

ANNO 1233. — INDICTIONE 6.

Henricus, Romanorum rex, fratribus monasterii de Brumbach indulget ut res proprias per Rhenum et Moganum seu per terram sine ullo unquam teloneo deducere possint, suisque ministerialibus in Frankfurt, Oppenheim, Boppardia et Wertheim mandat ut hanc indulgentiam eisdem fratribus conservent. Apud Gelnhausen, 9 januarii.

(Edit. ap. Jos. Aschbach, *Gesch. der Grafen von Wertheim*, pars II, Urkundenb., p. 27, n° XXI.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis quibus he littere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Cum ex summi Regis decreto ad regnum simus temporale vocati, ejus nos credimus beneplacito deservire quotiens servitio suo insistentibus incessanter utilitatis commodo providemus. Hinc est quod fratrum de Brunnebach quos specialiter dignamur amore, precibus pietatem explorantibus favorabiliter annuentes, ipsis regali munificentia indulgemus ut de rebus propriis quas per Rheni seu Moguntinum alveum sive per terram habuerint deducendas sive usibus propriis adducendas, nullus hominum nullo unquam tempore theloneum sive exactionem aliquam extorquere presumat, sed ab omni semper exactione penitus sint immunes; quos etiam et res ipsorum et personas nostre volumus jugiter protectionis securitate gaudere. Res autem alienas, si quas deduxerint, ab hac indulgentia decernimus esse remotas. Vobis autem, officiales nostri in Frankfurt, Oppenheim, Popardia et Wertheim, speciali mandato injungimus ut hanc eisdem fratribus indulgentiam inviolabiliter conservetis nec ulla eis sitis exactione molesti. Si quis autem contra tam liberalem nostre munificentie indulgentiam venire presumpserit, nostre se noverit indignationis animadversione plectendum.

Datum apud Gelinghausen, V idus januarii, Verbi incarnati anno M.CC.XXXIII, indictione VII (1).

Apud Geilnhausen, 11 januarii.

Henricus, Romanorum rex, Waltero de Hochdorf monasterii Montis Angelorum bona in Aargau sita, quamdiu abbati ejusdem ecclesiae placuerit, tuenda commendat.

(Edit. ap. *Versuch einer Darstellung des reichsfreien Stiftes Engelberg*, p. 114, n° 6, ex originali.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilecto fideli suo W. (2) de Hohdorf gratiam suam et omne bonum. Licet ex debito regie majestatis status omnium ecclesiarum teneamur Deo auctore in prospero conservare, illas tamen in quibus religio sancta cum sinceritate devotionis laudabilius perseverat, celsitudinis nostre protectione specialius confovere et volumus et debemus. Cum igitur monasterium Montis Angelorum in quo utriusque sexus devotio gloriose Virgini matri Crucifixi jugiter famulatur, fundatum plenaria libertate in bonis suis nullum habere debeat advocatum, sic[ut] in nostris et progenitorum nostrorum litteris plenius est expressum, nisi quem a celsitudine imperiali sibi petierint defensorem et quamdiu idem expedit ipsi loco, mandamus tibi sub obtentu gratie nostre firmiter injungentes quatenus bona ecclesie memorate in Argogia ne ab aliquo lacerentur seu indebite distrahantur, quamdiu dilecto fideli nostro. . . (3) abbati monasterii supradicti placuerit et utilitas ipsius ecclesie id exposcat, auctoritate nostra manuteneas et defendas; mandatum nostrum adeo efficaciter exequens et devote ut per hoc nostrum

(1) Indictio unitate abundat, quum hoc documentum anno potius 1233 quam 1234 adscribendum sit.

(2) Cognomen istud *Walterus* indicat auctor, *ibid.*, p. 67, not. 3.

(3) Scilicet tunc temporis *Henricus* nomine secundus.

mandatum augeatur et nos super hiis possimus tuam diligentiam commendare.

Datum apud Geilinhusin, III idus januarii, indictione VI^a^.

Henricus, Romanorum rex, fratribus domus Teutonicorum in Nurenberg emtionem praediorum in Kapfesdorf et Urach, a socru Craftonis de Lare illi venditorum, in praesentia sua factam, ex plenitudine totius consilii sui confirmat. Apud Nuremberg, 13 februarii.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars I^a^, p. 206, n° 716, ex originali, unde sigillum fere integrum et bene expressum appendet ex filis sericis rubri et viridis coloris.)

Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis in perpetuum. Quanto fratres domus Teutonicorum devotos nostros in ipsorum empcionibus solidamus, tanto propensiori et uberiori studio ipsos ad nostrum et imperii obsequium invitamus. Meminerint igitur presentes et futuri quod socrus Craftonis de Lare vendidit cum omni jure fratribus domus Teutonicorum in Nuorenberc duo sua predia, unum situm in Kapfesdorf et alterum situm in Urach, et nos ipsi vendicioni et emptioni adhibuimus et adhibemus plenum assensum nostrum, cum in presentia nostra facta fuerit, et per manus nostras et ex plenitudine tocius nostri consilii ipsam emptionem eidem domui confirmamus, ut in perpetuum ipsa bona possideat cum omnibus adpendiciis suis pleno jure. Ad removendam igitur omnem ambiguitatem que suboriri poterit propter temporum decursum et labilem hominum memoriam, presentem litteram memorate domui indulsimus sigilli nostri munimine communitam.

Testes sunt hii: frater Cunradus de Michelvelt, Ruodolfus frater hospitalis Sancti Johannis, Ludewicus de Offenhein, Lupoldus scultetus in Rotenburc, Schade de Lare, Krafto de Lare, Alwic scultetus, Eberwinus in Rotenburc, Cunradus buttiglarius in Nuorenberc, Cunradus Bigenot,

Cunradus Judeus, Ulricus Turhreche, scultetus qui dicitur Anguilla, Dietricus de Wizenburc, Cunradus de Wizenburc, Berhtolt Schuteloc, Lupoldus Spete Spiser, Heinrich Huonliu, Heinrich Tiufelliu, Burkardus de Ruotmarsberge, Sibot Hake Gize, Heinrich maritus filie Huonlini, Junior Schieko, Sifrit Goldener, Eberhardus de Gunzelinesrute, Herman de Osternach et ipsius domina mater (1), et alii quam plures.

Actum apud Nuorenberc, anno Domini M. CC. XXX° III°, idus (idibus) februarii, indictione VI^a.

Apud Nuremberg, 16 februarii.

Henricus, Romanorum rex, Sifrido Ratisponensi episcopo et imperialis aulae cancellario, propter servitia sibi et genitori suo Friderico II imperatori exhibita, concedit et donat ad vitam ejus omnes proventus, jurisdictiones et justitias, ex Judeis in Ratispona degentibus et ad suam et imperii cameram spectantibus.

(Edit. in Ried, *Cod. Diplomat. Ratisb.*, t. I, p. 371, n° 387, et ap. *Monum. Boica*, tom. XXX, pars I^a, p. 208, n° 717, ex originali cujus sigillum illaesum appendet ex filis sericis rubri et subflavi coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Sicut in omnibus imperii negociis promovendis principes nostros coadjutores habemus et quasi coherens brachium imperatorie majestatis, ita et nos tenemur eos liberaliter adjuvare muneribus et beneficiis ampliare. Notum igitur fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes multa et grata servicia que dilectus princeps noster Sifridus venerabilis Ratisponensis episcopus, imperialis aule cancellarius, glorioso genitori nostro F. Romanorum imperatori semper augusto, Jeru-

(1) Notandum quod inter hos testes, plerosque inferioris gradus, adest singulari casu una femina, scilicet mater Hermanni de Osternach.

salem et Sicilie regi, et nobis dudum exhibuit et incessauter satagit exhibere, sperantes iusuper ab eo recipere gratiora, de inuata gratia nostra concessionem et douationem quamdiu vixerit omnium proventuum, jurisdictionum et justiciarum omuium Judeorum degeutium et habitautium in Ratispoua cum omni jure et iutegritate, quemadmodum ad nostram et imperii cameram spectare noscuntur, gratam ratam habemus et firmam; presentium auctoritate maudantes quateuus ammodo nulla persona sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundaua, contra presentis donatiouis et coucessionis uostre paginam venire presumat. Qnod qui presumpserit, preter offeusam nostre majestati illatam, XX libras auri puri se compositurum aguoscat. Qnarum medietas camere nostre et reliqua parti passe iujuriam persolvetur. Ad hujus itaque gratitudinis et rati memoriam, presentem litteram couscribi et majestatis uostre sigillo jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt: Cuouradus de Smidelvelt, Eberhardus de Hertingisperge, Heinricus iuter Latinos, Albertus triscamerarius de Rabiustaiue, Hawardus de Holtzwanc, Rudolfus de Fneuenberc, et alii quamplures.

Actum anuo domiuice iucarnationis millesimo dncentesimo tricesimo tercio, XIIII kaleudas marcii, indictioue VI^a, regnante domino Heiurico Romanorum rege illustrissimo, auuo regni ejus uudecimo.

Signum domiui Heiurici septimi Dei gratia iuvictissimi Romauorum regis semper augusti.

Datum apud Nnoremberc, anno, mense et iudictioue pretitulatis.

Henricus, Romanorum rex, notam facit formam compositionis accedente suo consensu inter Henricum Wormatiensem episcopum cum ecclesia ejus et cives Wormatienses factae, scilicet de novo statu civitatis ordinando per consilium cui praesidebunt novem cives ab episcopo et sex milites ab eisdem civibus electi. Apud Oppenheim, 27 februarii.

(Edit. ap. Schannat, *Hist. episc. Wormat.*, cod. probat., p. 114, n° CXXIII, ex archiv. episc. Wormat.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Hec est forma compositionis nostro accedente consensu inter dilectum principem nostrum Henricum Wormatiensem episcopum cum ecclesia sua et cives Wormatienses. Prepositus major vel decanus vel custos Nove Domus, unus istorum, jurabit in animam episcopi quod ipse episcopus eliget inter cives IX cives, quos esse viderit potiores et utiliores sibi et ecclesie ac toti civitati. Iidem IX jurati eligent VI milites in civitate quos esse crediderint potiores et utiliores episcopo, ecclesie ac civitati. Qui XV una cum episcopo semper consilio presidebunt. Quod si episcopus ierit extra provinciam, personam idoneam que nomine suo consilio presideat, subrogabit. Item episcopus cum istis XV super juramentum prestitum eligent scultetum cum officiatis in festo Martini, ita quod nec episcopus nec ipsi XV unquam exigent vel recipient inde aliquam pecuniam, tales eligendo qui possint episcopo et civitati servire, nullam amicitiam vel inimicitiam in his eligendis attendendo. Item ad constituendum exactionem vel ungelt, episcopus cum predictis XV de qualibet parochia IV viros assumet, eorum et XV consiliariorum consilio civitatis commodo provisurus. Si unus ex illis IX decesserit, episcopus alterum substituet sub forma prioris juramenti; si de VI militibus quisquam decesserit, illi IX prestito juramento sub forma predicta alterum subrogabunt. Si quis vero XV consiliariorum contra juramentum suum venerit, convictus duabus vel tribus personis de consortio suo auctoritate episcopi a consilio ejicietur, altero illi sub forma priori subrogando. Si de VI militibus aliquis se per annum absentaverit, alter in locum ejus ab illis IX eligetur : si vero de IX civibus se aliquis per annum absentaverit, dominus episcopus in locum ejus alterum subrogabit. Si quis autem de XV consiliariis peregrinatus fuerit, alter usque ad reditum illius assumetur, ita quod si fuerit miles, IX consules alterum militem assument, si fuerit civis, episcopus alterum civem substituet. Ut autem hec rata et inconvulsa permaneant et inviolabiliter observentur, formam hanc compositionis sigillo nostre celsitudinis jussimus roborari.

Testes autem Cunradus Spirensis episcopus, Hermannus marchio de Baden, Eberhardus de Eberstein, W. dapifer de Bonlandia, C. pincerna de Clingenburg, C. de Smidelvelt, E. de Hertingesberg, Hawardus de Holzwanc, et alii quamplures.

Acta apud Oppenheim, anno Domini MCCXXXIII, tertio kalendas martii, indictione VI.

Sequitur ibidem forma compositionis ejusdem sub eisdem verbis, mutatis mutandis, a civibus Wormatiensibus edita, cum testibus et notis chronologicis eisdem; ubi tamen ad caudam legitur : « Ut autem hec rata permaneant et inconvulsa et inviolabiliter observentur, formam hanc compositionis, domini regis et domini episcopi ac majoris ecclesie sigillis roboratam, civitatis etiam sigillo fecimus communiri. »

Extant autem duo alia compositionis ejusdem exemplaria : scilicet Henrici episcopi apud MORITZ, *Abhandlung von Worms*, p. 167, et Landolfi decani capitulique Wormaciensis apud BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 221; multo integriora quam apud SCHANNAT, dum post verba « episcopus alterum civem substituet », ita pergant :

« Si vero predicti quindecim super aliquo consilio inter se dissenserint, assentiendum est majori parti. Item dominus rex ex novem burgensibus consiliariis eliget unum in magistrum civitatis, mutando ipsum si placuerit de anno in annum, vel immutatus ab eo in eodem officio pro sue voluntatis arbitrio permanebit. Sed dominus episcopus de sex militibus unum eliget in festo Martini, et ipsum de anno in annum commutabit. Item omnes fraternitates Husgenoz et Wiltwerkere illis exceptis ammodo penitus cessabunt. Preter hec omnia que supradicta sunt, dominus episcopus omnia jura, omnia privilegia, bonas consuetudines civitatis salvas conservabit, confirmabit et meliorabit. Ut autem hec rata, etc. (1). » Adsunt peculiares testes, sed eaedem chronologicae notae.

(1) Cf. quae supra notavimus p. 581, not. 1. Dissidium tamen super regimine civitatis exortum ex tali compositione non adhuc plane deferbuit.

Apud Boppardiam, 6 martii.

Henricus, Romanorum rex, ministerialibus suis de Sintzig notum facit quod cum bona sua conservari velit imperio et fermam suam banni custodiae subjacere, Gerhardo de Sintzig mandavit ut transgressores emendet.

(Edid. Guden., *Cod. Dipl. Magunt.*, t. II, pars II, p. 939, ex autographo in archivo Landscr.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, fidelibus suis universis ministerialibus de Sinzeche gratiam suam et omne bonum. Volentes universa bona et res ditioni nostre attinentes tam in possessionibus quam in fermis illesas nobis et imperio conservari necnon fermam nostram banni custodie subjacere, fideli nostro Gerhardo de Sinzech dedimus in mandatis ut si qui mandati nostri transgressores extiterint, eosdem juxta honorem nostrum et imperii debeat emendare. Hinc est quod universitati vestre mandamus per gratiam nostram firmiter precipientes quatenus ipsi circa predicta auxilium impendentes impedire nullatenus presumatis.

Datum apud Bopardiam, II nonas martii, indictione VI[a].

Apud Bopardiam, 8 martii.

Henricus, Romanorum rex, Bertholdum episcopum Argentinensem, familiam ejus, consilium et universos cives Argentinenses, ex intimo foederis vinculo quo sibi sunt adstricti, sub sua speciali protectione recipit, ita ut ubicumque per imperium regio patrocinio defendantur.

(Edid. Wencker, *Apparatus archivorum*, p. 162, n° III.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis

imperii fidelibus hanc litteram inspecturis gratiam suam et omne bonum. Regie congruit honestati devotorum et fidelium suorum lesiones tanquam proprias vindicare et pleniori cum effectu ipsorum intendere commodo et honori. Igitur cum dilectus princeps noster B. venerabilis episcopus, capitulum, ministeriales, consilium et universi cives Argentinenses nostre se taliter astrinxerint majestati quod nostra gravamina sint eorum lesiones et eorum lesiones nostra gravamina reputemus (1), significandum duximus universis quod nos ex consulta deliberatione predictos fideles nostros episcopum et omnem familiam Argentinensem et nominatim cives specialem sub nostram recepimus protectionem; volentes ut ubicumque per imperium proficisci vel negotiari necesse habuerint, regio patrocinio defendantur. Quapropter mandamus sub interminatione gratie nostre districte precipientes ut nullus sit qui ausu ductus temerario, sepedictos fideles nostros Argentinenses in personis vel in rebus molestare audeat vel dampnum eis aut gravamen aliquod irrogare. Quod qui facere presumpserit, gravem offensam nostram se noverit incursurum [et] non evadet nostre celsitudinis ultionem.

Datum apud Bochperdiam, anno dominice incarnationis MCCXXXIII, VIII idus martii, indictione VI.

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem civium Bremensium ratum habet quod archiepiscopus Bremensis statuendum duxerit super delendis teloneis et exactionibus, quae non ex debito jure habebantur. Apud Weselam, 9 martii.

(Edid. Joh. Phil. Cassel, *Sammlung ungedruck. Urkunden* (Bremen, 1768), p. 461.)

(1) Id sedulo notandum est, dum quasi principium nunc animadvertamus horum sacramentorum, quae postea a principibus et civitatibus, volentibus vel invitis, rex Henricus contra patrem suum exigere praesumpsit.

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens scriptum fuerit exhibitum in perpetuum. Regie majestatis interest devotorum et fidelium imperii partes rationabiles animadvertere et eos in his ex officii debito liberaliter exaudire. Inde est quod per presens scriptum notum esse volumus universis quod nos ad petitionem fidelium nostrorum civium et populi totius civitatis Bremensis, universa telonea et exactiones omnimodas que non ex debito et antiquo jure habeantur, quas dilectus princeps noster venerabilis archiepiscopus Bremensis pro terre commodo generali in sua diocesi eradicavit et delevit, juxta quod in litteris suis proinde confectis plenius continetur, authoritate regia delendas duximus et eradicandas; confirmantes tenore presentium quod dictus princeps noster duxit super hujusmodi statuendum. Ut autem hec nostra confirmatio robur obtineat, et dicti cives nostri super premissis a nulla persona humili vel alta possint amodo perturbari, presentes eis dedimus litteras sigillo nostre celsitudinis roboratas.

Datum apud Weselam (1), anno dominice incarnationis M° CC° XXXIII°, VII idus martii, indictione VI.

Apud Sunnisheim, 23 martii.

Henricus, Romanorum rex, paupertati ecclesiae Uterinae Vallis (Eussernthal) compatiens, quum illam ad omnia caritatis et hospitalitatis opera oporteat esse paratam, ecclesiam suam in Annweiler cum vacabit eidem coenobio confert.

(Edid. Wurdtwein, *Nov. Subsid. Diplomat.*, t. XII, p. 144.)

Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Cum constet nobis ecclesiam Uterine Vallis

(1) Locus nomine *Oberwesel* distinctus, supra Rhenum, non procul a Bopardia versus meridiem.

Cysterciensis ordinis a progenitoribus nostris fundatam, cunctis supervenientibus tam divitibus quam pauperibus, infirmis et peregrinis ad omnia caritatis et hospitalitatis opera, licet ad hoc minus sufficiat, oportere semper esse paratam; hanc ipsius insufficientiam misericordia ducti aliquantulum sublevare cupientes, significamus universitati vestre quod nos de innata nobis regia benignitate ecclesiam nostram in Annewilre cum omni jure suo beate Marie Virginis dominio in eodem loco liberalitate regali cum vacabit contulimus, ad predictos pietatis usus perpetuo possidendam. Ad hujusmodi igitur facti nostri memoriam roborandam, presentem litteram sigillo nostro communitam fratribus ipsius ecclesie duximus assignandam.

Testes sunt hii: Cunradus abbas Sancti Galli, Cuno abbas de Wizenburc, Heinricus comes de Werda, Anshelmus de Rapoldstein, Eberhardus dapifer de Walppurc, H. camerarius de Ravensburg, F. frater suus, et alii quamplures.

Actum apud Sunnisheim (1), anno dominice incarnationis M.CC.XXXIII, X kalendas aprilis, indictione sexta.

Henricus, Romanorum rex, ratam habet et confirmat donationem quam Fridericus ministerialis de Nordlingen hospitali Sancti Spiritus de Nordlingen de praediis suis fecit. Apud Werdam, 30 martii.

(Edid. DAN. EBER. DOLP, *Gründlicher Bericht von Nordlingen* (1738), Anhang, n° LXII.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus hanc paginam inspecturis in perpetuum. Ad regiminis nostri gloriam et ad salutem convenit animarum ut, pensitata pauperum Dei miseria et egestate, petitioni eorum faciles inveniamur, ut que digne pos-

(1) Scilicet *Sinsheim*, media via Heidelbergam inter et Heilbronn.

tulaut per majestatis regie clementiam exaudiantur. Hinc est quod presentinm tenore notum fieri volnmns tam presentibus qnam futuris quod nos donatiouem fidelis nostri Friderici ministri (*sic*) de Nordelingeu, quam idem de prediis suis hospitali quod constructum est in honore Saucti Spiritus apud Nordelingen in salutem constituit animarum, ratam habemus et auctoritate regia confirmamus; mandantes et per gratiam nostram firmiter precipientes qnatenns nullus contra hanc confirmationis nostre paginam dictum hospitale in predictis reditibus presumat vel audeat molestare (1). Quod qui fecerit, noverit se offensam gratie nostre irrecuperabiliter incursurum.

Datum apud Werdam (2), III kalendas aprilis, indictione sexta, anno videlicet Domini M. CC. XXXIII.

Werdae, (martio.) Henricus, Romanorum rex, fratribus Minoribus in Ratispona et ecclesiae eorum, nimirum Sancti Salvatoris, duo horrea, in vicinitate sita, donat.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars I*, p. 210, n° 718, ex originali cujus sigillum periit. Indictionis numero locus vacuus in membrana relictus est, et desideratur mensis aut diei notatio. Non autem dubitandum quin ad mensem martium vel aprilem pertineat.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, omnibus in perpetnum. Cum ex dignitate regie majestatis qua Deo favente fungimur, sacras teneamur religiones plautare, plantatas eciam non minus protegere ac fovere, considerantes necessitudinem necnon et periculum quod evidenter patuit habitationi dilectorum pauperum Christi et nostrorum fratrum, videlicet Minorum in Ratispona commorantium, ex vicinitate duorum

---

(1) Adest ap. Dolp, *ibid.*, n° LXIII, confirmatio omnium bonorum eidem hospitali a Gregorio IX papa facta : Dat. Laterani, X kal. januarii, pontificatus anno XI°.

(2) Hic agitur de civitate dicta *Donauwerth*.

horreorum que ipsi fratres fatentur vix ad septem pedum sita distantiam, gratiam nostram qnam facere et aliis consuevimus sacrosanctis ordinibus et ipsis subtrahere non possumus nec debemus. Notum igitur sit omnibus tam presentibus quam posteris quod proprietatem horreorum predictorum et fundi et aree ecclesie Salvatoris nostri in Ratispona, in qua supradicti fratres Domino famulantur, perpetuo contulimus adherendam. Ut autem hec nostra donatio in irritum non revocetur, stabilis vero ac firma permaneat, volumus eam presenti pagina et sigilli nostri munimine roborari.

Datum Werde, anno incarnationis dominice M° CC° XXXIII°, indictione [VI].

Henricus, Romanorum rex, Gregorio papae nuntiat se, ad mandatum imperatoris patris sui, paratum esse in conferendo subsidio Ecclesiae et forti militia in Italiam mittenda. Apud Ratisponam, 10 aprilis.

(Memorat. ap. *Summ. privil. Eccl. Roman.* ex cod. card. Ottoboni ap. Martene, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1249. Extract. quoque in *Catalogo chart. eccles. Rom.* ap. Muratori, *Antiq. Ital. med. aevi*, t. VI, p. 86; ubi tamen pessime sensus litterarum subvertitur, licet notae chronologicae anni et mensis indicentur.)

Littera Henrici, Romanorum regis, domino Gregorio pape directa, qua eidem significat quod, licet ab Ecclesia plnries suo nomini sit detractum, vult tamen ad monitionem et mandatum imperatoris patris sui intendere, ut in conferendo subsidio Ecclesie Romane et mittendo in Italiam fortem militiam ad honorem imperii et commodum Ecclesie (1), deserviat beneplacito dicti patris. Et rogat quod dominus papa dictum patrem suum et eum paterno amore confovere dignetur. [Incipit sic : *Reverendo in Christo patri et domino,* fol. XXV, pag. 1.]

---

(1) Cf. supra de subsidiis ab imperatore contra rebelles Ecclesiae summo pontifici conferendis, p. 376, 394, not. 1, 402, 409, 422, 423, 457.

Datum apud Ratisponam, anno dominice incarnationis MCCXXXIII, IV idus aprilis (1), [indictione VI.]

Spigelberg, 23 aprilis.

Henricus, Romanorum rex, Henrico Constantiensi episcopo concedit libertatem construendi et habendi forum septimanale in suburbio castri Mersburg.

(Inedit. ex *Chartul. episcopat. Constanciensis*, fol. 106, in archivo Carlsruhensi.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hec litere ostense fuerint, gratiam suam et omne bonum. Si devote nobis et fideliter famulantibus de providentia consilii nostri gratiam impendimus specialem, non ambigimus per hoc alienos ad promptiora obsequia invitare. Hinc est quod nos attendentes preclaram fidem et obsequiosam devotionem dilecti principis nostri H. venerabilis Constantiensis episcopi, gratiam ei talem fecimus et dedimus libertatem construendi et habendi forum septimanale in suburbio castri sui Mersburg in ea die sicut de consilio suo duxerit statuendum, id ipsum forum ei suisque successoribus auctoritate regia confirmantes. Qua de re mandamus sub interminatione gratie nostre districtius precipientes ut nullus sit qui jamdictum principem nostrum suosque successores in gratia a nostra celsitudine sibi data andeat impedire vel dampnum ei suisque successoribus aut gravamen aliquod irrogare. Quod qui ausu ductus temerario facere presumpserit, iram nostram gravem sentiat et offensam. Ad cujus facti nostri robur in posterum valiturum, presens privilegium conscribi et sigillo nostro duximus insigniri.

Acta sunt hec in castro Spiegelberc, multis presentibus quorum nomina

---

(1) Notas chronologicas quae omnino apud Martene desiderantur, nunc primum integras addimus, ex notitia archivi Vaticani ap. Pertz, *Archiv*, t. VII, p. 30. Optime enim tum rerum ordini, tum itineri Henrici regis conveniunt.

subnotantur, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo tricesimo tertio, VIIII kalendas maii, indictione sexta.

Wernherus decanus, Ulricus thesaurarius, Lutoldus de Rotellin archidiaconus, Burchardus de Castello canonicus ecclesie Constantiensis, Eberhardus dapifer de Walpurg, Heinricus de Ravenspurg, Rudolphus Faveberg, Heinricus de Giselingen, Hermannus de Credona, et alii quamplures.

Henricus, Romanorum rex, conventui Omnium Sanctorum in Nigra Sylva confert bona quaedam in privilegio nominata, quae Bertholdus de Winterbach a se in feudum tenebat. Apud Hagenowe, 21 maii.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 244, n° 298, ex transumpto quondam a Grandidier exarato et nunc inter Boehmeri cimelia servato.)

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis MCCXXXIII, XII kalendas junii, indictione VI.

Henricus, Romanorum rex, cives Spirenses, ad petitionem Cunradi Spirensis episcopi, ab exactione thelonei in Oppenheim liberat. Apud Esslingen, 2 junii.

(Edit. ap. Lehmann, *Speyrische chronick*, p. 525. — Lunig, *Reichsarchiv*, t. XIV, p. 465. — *Monum. Boic.*, t. XXX, pars 1ª, p. 211, n° 719. — Remling, *Urkundenb. der bisch. Speier.*, t. I, p. 198.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens scriptum exhibitum fuerit, graciam suam et omne bonum. Ex insinuatione presentium pervenire cupimus ad noti-

tiam universorum quod nos ad instantiam et petitionem dilecti principis nostri Cunradi Spirensis episcopi, fidelibus civibus nostris Spirensibus necnon propter devota obsequia eorumdem que nobis et imperio sepius exhibuerunt et exhibent incessanter, talem gratiam fecimus de mera benignitate regia ut absque qualibet exactione telonei cum bonis suis apud Oppenheim transeant in descensu et ascensu libere et quiete. Quapropter auctoritate regia et sub obtentu gracie nostre districte precipimus quatinus nullus ausu ductus temerario apud locum memoratum a bonis civium prelibatorum exactionem thelonei requirere presumat. Quod qui attemptaverit gravem offensam nostre celsitudinis se noverit incurrisse. Ad majorem itaque evidentiam premisse nostre donationis, sepefatis nostris civibus presentem paginam, sigillo nostre celsitudinis communitam, jussimus exhiberi.

Testes qui interfuerunt hii sunt : H. marchio de Baden, comes H. de Wirtinberc, H. Nifarius (a), C. (E.) dapifer de Walpurc, C. pincerna de Winterstete, H. de Ravenspurc, Fouebere (b), et alii quamplures.

Datum apud Ehelingen (Ezelingen), anno dominice incarnationis M°CC°XXX° tercio, quarto nonas junii, indictione sexta.

Esslingen, 2 junii.

Henricus, Romanorum rex, donationem areae et cujusdam viae adjacentis, fratribus Praedicatoribus a civibus suis in Ezzlingen factam, ratam habet et confirmat.

(Ineditum ex originali in archivo Stuttgart. asservato.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis hoc scriptum inspecturis gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre notum facimus quod donationem aree et cujusdam vie adjacentis fra–

(a) Scilicet *de Niffen*, sub forma tunc temporis frequentius usurpata.

(b) Verisimiliter idem qui supra vocatur *Rudolphus de Fuenenberc* et alias *Faveberg*. Vid. p. 601 et 611.

tribus Predicatoribus a civibus nostris in Ezelingen noviter collatam, ratam habemus, immo nobis in hoc impensum servitium reputamus. Quicquid vero predictis fratribus in eadem area per sententiam judicum ejusdem civitatis est adjudicatum cum via contigua, confirmamus, et ne quisquam super hoc ipsos audeat perturbare, presentem paginam sigilli nostri munimine roboramus. Si quis autem ausu temerario contraire presumpserit, indignationem nostram gravissimam incurrisse se noverit et offensam.

Datum Ezelingen, anno dominice incarnationis M° CC° XX° XIII°, quarto nonas junii, indictione VI°.

Henricus, Romanorum rex, hospitali noviter fundato in Wimpina jus patronatus apud Fline in donum concedit. .... 4 junii.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 244, n° 301, ex libro manuscripto Wurdtweinii, dicto *Monast. Wormat.*, apud Heidelberg asservato, t. I, fol. 267.)

Testes hujus rei sunt : C. abbas Sancti Galli, C. dux de Tecke, R. palatinus comes de Tubingen, comes W. frater ejus, Hartmannus comes de Dillingen, H. marchio de Baden, H. marchio de Burgaw, H. de Kiburg, ... comes de Urach, Heinricus et Albertus de Niffen, et alii quamplures.

Datum (*a*) anno dominice incarnationis MCCXXXIII, pridie nonas junii, indictione sexta.

Henricus, Romanorum rex, officiatis et procuratoribus suis in Apud Esselingen, 5 junii.

(*a*) Deest in codice mentio loci; verisimiliter tamen subaudiendum credimus *apud Ezzelingen*.

Uri mandat ut monasterium de Wettingen defendant neque in homines ejus exactiones indebitas exerceant.

(Edid. Tschudi, *Chronic. Helvet.*, t. I, p. 128.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, officiatis et procuratoribus ceterisque fidelibus suis in Ureu constitutis gratiam suam et omne bonum. Mandamus vobis quatenus monasterium de Wettingen quod sub nostram protectionem recipimus, auctoritate nostra modis omnibus defensetis nec in possessiones seu in homines ejusdem monasterii exactiones seu tallias aliquas faciatis. In locis vero que nostre attinent advocatie de quibus nobis servitia fieri consueverunt, volumus quod honeste atque modeste ipsos tractetis nec pejoris eos conditionis faciatis quam temporibus fundatoris sui fuerint. Siquidem sub nostra dominatione ampliori eos volumus pace atque securitate gaudere.

Datum apud Etzelingen, nonis junii, indictione sexta.

[Hallis, junio.] Henricus, Romanorum rex, profitetur Cunradum de Nortenberg sibi tertiam partem advocatiae in Gebsattel resignavisse, et se postea conventui de Kamberg (Comburg) eamdem contradidisse.

(Memorat. apud Boehmer, *Regest. imper.*, p. 244, n° 304, ex quodam *vidimus* Ludovici Bavari de anno 1318, 6 novembris, in archivo Wirzburgensi.)

Testes hii sunt : Dietricus Treverensis archiopiscopus, Hermannus Herbipolensis episcopus, Bertholdus Argentinensis episcopus, Hermannus marchio de Baden, Conradus pincerna de Clingenberc, etc., Fridericus quondam scultetus Hallensis, Heinricus Inmodicus Hallensis.

Datum anno Domini MCCXXXIII (1).

(1) Deest notatio loci et mensis. Ex nominibus vero ultimorum testium, callide conjecit

Henricus, Romanorum rex, capitulo Goslariensi advocatiam in Egla et duas alias advocatias quas a comite Aschariae idem capitulum redemit, donat cum omni jure et banno perpetuo possidendas. Apud Nuremberg, 26 junii.

(Edid. LEUCKFELD, *Antiquit. Poeld.*, appendix IV, p. 288, n° XVI.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis in perpetuum. Non solum utilis, sed necessaria est autenticarum cautio scripturarum, que gestorum seriem fideliter conservat et veraciter representat, iniquarum mentium dolos eliminans et oblivionis dispendium non admittens. Ad notitiam itaque tam modernorum quam futurorum volumus pervenire quod nos de innata nobis regia liberalitate licentiam dedimus capitulo Goslariensi ut redimat advocatiam in Egla et duas alias quibus comes Ascharie a nobis et imperio dinoscitur infeudatus, et cum ipse tres advocatie vel aliqua ipsarum ab ipso redemte fuerint et solute, easdem donavimus cum omni jure et banno et libertatibus ecclesie prelibate perpetuo tenendas et possidendas, ipsas dicto capitulo de nostra munificentia confirmantes. Mandamus igitur sub interminatione gratie nostre firmissime precipientes ne quis dictum capitulum in premissis advocatiis impediat vel infestet. Qui vero super hoc fecerit, XX libras auri persolvat, quarum medietatem fisco nostro et alteram partem prefate ecclesie volumus applicari.

Testes sunt hii : Sifridus Moguntinus et Theodoricus Trevirensis archiepiscopi, H. Herbipolensis episcopus, . . . Fuldensis et Sancti Galli

Boehmerus privilegium Hallis datum fuisse. Unde sequitur ut idem in serie documentorum mensis junii inseramus, dum locus optime itineri regis ab Esslingen ad partes Norimbergae transeuntis conveniat. Cf. *Uneinreihbare Stücke*, ap. BOEHMER, *ibidem*, p. LXXXVII.

abbates, Gerlacus de Budingen, C. pincerna de Winterstet, C. de Hinidevelt (a), et alii quamplures.

Actum apud Nurenberg, anno dominice incarnationis M. CC. XXXIII, VI kalendas julii, indictione VI.

Apud Moguntiam, 25 julii. Anno Domini MCCXXXIII, octavo kalendas augusti, rex et Moguntinus [archiepiscopus] et magister Cunradus de Marburc Moguntiae conventum episcoporum et comitum atque clericorum fecerunt pro quibusdam infamatis de haeresi (1). Inter quos comes de Seine accusatus inducias expurgationis ulteriores obtinuit (2). Super reliquos vero qui non comparuerunt nec se

(a) Verisimiliter legendum *de Smidevelt.*

---

(1) Hujus persecutionis auctores fuisse dicuntur quidam frater dictus Conradus Dorso, de ordine Praedicatorum, et quidam secularis nomine Johannes « qui erat luscus et mancus et » vere totus nequam. » Qui postquam multos de plebe tanquam haereticos, minime tamen judicio convictos, flammis tradidissent, « sdtraxerunt sibi Heinricum regem et dominos in bunc modum : « Ecce nos comburemus divites multos et bona ipsorum habebitis. Et in » civitatibus episcopalibus, recipiet episcopus medietatem et rex vel alius judex aliam partem. » Et gavisi sunt domini assistentes ipsis et ducentes eos in civitates et villas suas.... et sic multi innocentes interierunt propter bona sua per dominos ipsa accipientes. Videns haec populus misertus et timens dixit ad eos : « Quare sic proceditis » ; et ipsi enormiter respondendo dicebant : « Vellemus comburere centum innocentes inter quos esset unus reus. » ... Illi duo ut fortiores fierent, accesserunt ad fratrem Conradum de Marburg, qui erat confessor sanctae Elizabethae et quasi propheta reputabatur. Et attrahentes sibi illum, processerunt in omni facto suo, quia ipse erat judex sine misericordia. » *Annal. Wormat.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 175 et 176. Cf. Alberic., ap. Leibnitz, *Access.*, II, 544, et *Gest. Trevir.*, ap. Hontheim, 798.

(2) « Valde institerunt domino Heinrico illustri comiti Seinensi qui erat vir christianus, praepotens et dives et honestissime vivens, quem affirmabant equitasse in cancro, dicentes nisi confiteretur, quod castra sua quae erant peroptima, ipsi cum veteribus mulieribus vellent auferre et inquirere. Ipse vero comes suam fidem catholicam volens toto posse defendere, rogavit Sifridum archiepiscopum Moguntinensem ut suos suffraganeos episcopos et clerum totius suae provinciae convocaret, etc. » *Annal. Wormat.*, loco supr. cit., p. 176.

legitime excusaverant, praedictus Cunradus de Marburc ibidem populum crucesignavit. Quapropter illi felle amaritudinis commoti, jamdicto Cunrado in reditu insidias ponentes, juxta Marburc ipsum una cum Gerhardo Minoris ordinis fratre, probatae vitae viro, III kalendas augusti crudeliter occiderunt (1). *Chronic. Erphordiense* ap. Boehmer, *Fontes*, II, 390.

Henricus, Romanorum rex, ad imitationem patris sui Friderici Romanorum imperatoris, Henrico Wormatiensi episcopo et ecclesiae ejus villam Neckerauwe contradit, a qua per ducem Bawariae palatinum comitem Rheni violenter fuerat ejectus. Apud Moguntiam, 26 julii.

(Inedit. ex Chartulario Wormatiensi, fol. 331 recto, in archivo Darmstadensi.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Ne propter labilem hominum memoriam evanescant a nostra munificentia gesta, dignum duximus ea scripture testimonio committere, que ad nostros posteros volumus certiora pervenire, ut per ipsius testimonium calumpniis quibuslibet occurratur. Tam modernis igitur quam futuris tenore presentium intimamus quod nos, ad imitationem dilecti genitoris nostri domini F. Romanorum imperatoris semper augusti, dilecto principi nostro H. venerabili Wormatiensi episcopo suisque successoribus et ecclesie Wormatiensi recognoscimus et contradimus villam Neckerauwe cum universis usibus et appendiciis suis, restituentes ipsum possessioni ejusdem

---

(1) « Frater Conradus de Marburg et frater Gerhardus Lutzelcolbo de ordine Minorum, suus socius, volentes ire domum et sic equitantes, quidam milites et alii quos ipsi tam in parentibus eorum quam in propriis personis infamaverant et dampnificaverant, ipsos insequentes occiderunt. Frater vero Dorso fuit occisus apud Argentinam et Johannes suspensus apud Frideberg. » *Annal. Wormat.*, loco supr. cit., p. 177. — Cf. Godefr. Colon., *ibidem*, p. 365.

ville Neckeranwe a qua per palatinum Rheni ducem Bawarie violenter ejectus dinoscebatur. Mandantes et sub interminatione gratie nostre firmissime precipimus ut nulla omnino persona sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundana, dictum episcopum et ecclesiam suam contra presentis donationis et recognitionis nostre paginam molestare presumat vel turbare. Quod qui presumpserit centum libras auri se in vindictam temeritatis sue compositurum agnoscat, medietatem camere nostre et reliquam partem injuriam patienti. Ad hujus itaque rei evidentiam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus sigilli nostri munimine communitum.

Hujus rei testes sunt : Syfridus Maguntinus, Th. Treverensis archiepiscopi, C. Spirensis, R. Tullensis episcopi, E. de Ebirstein, H. de Niffin, G. de Budingen, C. de Hoenloch, W. de Bonlandia dapifer, D. de Ravinsburg, C. pincerna de Clingenburg, et alii quamplures.

Actum apud Maguntiam, anno ab incarnatione Domini M° ducentesimo tricesimo tertio, VII kalendas augusti, indictione sexta.

Ego Syfridus Ratisponensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Moguntini archiepiscopi totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Apud Frankinfort, 28 julii.

Henricus, Romanorum rex, domui Sanctae Mariae Theutonicorum apud Frankfort confert rubeam paludem (*Röderbruch*) sitam inter Wrowinvegin (*Frauenweg*) et villulam Rodin (*Niederrad.*)

(Edider. Fichard, *Archiv*, II, 97. — Boehmer, *Cod. Moenofrancf.*, I, 58. — Hennes, *Cod. ord. Theuton.*, p. 99, n° 88.)

Heinricus, Dei gracia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens litera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Ut in nostris temporibus collata a nostra munificentia rata perma-

neant et ad nostros successores perveniant illibata, literarum indiciis fecimus eternari ea que conferimus propter Deum. Tenore igitur presentium tam modernis quam futuris innotescat quod nos fratribus hospitalis Sancte Marie domus Teutonice in Frainkinfort contulimus de liberalitate regia rubeam paludem de Wrowinvegin usque ad villulam que vocatur Rodin attingentem, ut ipsam paludem in usus suos redigant et convertant et possideant pleno jure. Ad hujus itaque collationis evidentiam et certitudinem, presentem literam sigilli nostri munimine fecimus communiri.

Testes sunt hii : Theodericus venerabilis Treverensis archiepiscopus, Gerlacus de Buttingin, Cunradus pincerna de Clinginburc, Dietho de Ravinsburc, et alii quamplures.

Actum apud Frainkinfort, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo tricesimo tertio, quinto kalendas augusti, indictione sexta.

[Apud Moguntiam] collecta militia rex contra ducem Bawariae proficiscitur. In campis itaque Lici secus Augustam fere sex millia militum in exercitu regio sunt inventa. Inde profectus brevi tempore Bawariam subjugat et ducem in deditionem recipit. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes,* t. II, p. 366. — Otto dux Bawariae curiam celebrandam Ratisponae indixit, quam propter indignationem regis Heinrici et aliorum quorumdam principum sibi non faventium, apud Landshut celebravit. Sed postmodum rex cum multis principibus et magno exercitu Bawariam intravit ducem destructurus, sed mediante archiepiscopo Salzpurgensi, in graciam eum recepit, et filium ejus puerulum in obsidem regi dedit. Et tandem curiam solempnem Ratisponae dux celebravit, cui archiepiscopus Salzburgensis et omnes episcopi Bawariae interfuerunt. HERMANN. ALTAH. ap. BOEHMER, *Ibid.*, p. 503. — Rex vero collecto exercitu movit expeditionem adversus ducem Bawariae [In Bavariam, augusto.]

qui propter mortem patris sui non bene sentiebat cum rege. Dux autem non valens sustinere tantam multitudinem et impetum regis et suorum, datis obsidibus venit ad deditionem et fecit pacem. *Annal. Argentin.* ap. Boehmer, *Ibidem*, t. III, p. 107. — Postea rex Heinricus imperatoris filius cum exercitu magno contra ducem Bawariae perrexit, coegitque eum quod se potestati suae tradidit. *Histor. imper.* ap. Mencken, *Script.*, t. III, p. 126. Cf. *Epist. Henr. regis ad episcop. Hildesh.*, quae infra, 2 sept. 1234.

In castris Ratisponae, 1° septembris.

Henricus, Romanorum rex, Rudigero Pataviensi episcopo mandat ut jurisdictionem in cometiis ipsius et ecclesiae ejus exerceat et exercendi facultatem habeat, non obstantibus litteris quae suppresso earum tenore a rege fuerint impetratae.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. XXXI, pars 1ª, p. 557, e cod. Passav., III, 72. — Extractum autem ab Aventino in *Excerptis Passav.*, ap. Oefele, I, 715, a.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilecto principi suo R. venerabili episcopo Pataviensi gratiam suam et omne bonum. Justis petentium desideriis tam vigor equitatis nos inducit annuere quam ordo exigit rationis. Eapropter petitioni tue grato concurrentes assensu, mandamus tibi per gratiam nostram firmiter precipientes [ut] jurisdictionem tuam in comeciis tuis et ecclesie tue, faciendo judicium et justitiam a te requirentibus, exerceas et exercendi habeas liberam facultatem, non obstantibus litteris que suppresso harum tenore a nostra majestate fuerint impetrate.

Datum anno dominice incarnationis MCCXXXIII, in castris Ratispone (1), kalendis septembris, indictione VI.

---

(1) Ex litteris Bertholdi Argentinensis episcopi visitatoribus Apostolicae Sedis super claustro

---

In castris Ratisponae, 1° septembris.

Henricus, Romanorum rex, ad preces Hermanni de Lobdeburg, religiosae domui de Hugestorf centum et quinquaginta jugera in monte Nobus confert; quae quidem hactenus ab imperio idem Hermannus in feudum tenebat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 246, n° 308, ex copia seculi octavi decimi apud Weimariam.)

Testes hi sunt : Hermannus Herbipolensis episcopus, Hartmannus de Saleberc frater ejus, Hartmannus et Hermannus de Lobdeburg, Hartmannus de Bergowe, et alii quamplures.

Datum anno dominice incarnationis MCCXXXIII, in castris Ratispone, kalendis septembris, indictione sexta.

Ratisponae, 2 septembris.

Henricus, Romanorum rex, conventionem inter Hildegardim abbatissam monasterii de Niedermunster in Ratispona et comitem Henricum de Ortenburg initam confirmat, qua dicta abbatissa ministerialem ecclesiae suae Mathildim, Jordani de Lengenfeld filiam et Conradi de Husen ministerialis ejusdem comitis uxorem, eidem transfert comiti, sub hac conditione quod si Mathildis filios procreaverit, hi omnes sine exceptione ad se pertineant.

(Memorat. ap. Huschberg, *Gesch. des Gesammt-Hauses Ortenb.*, p. 86, ex co''ce MSS. quem *Gallisch* vocat.)

Gengenbach directis, datis in castris apud Ratisponam, VII kal. septembr., ann. 1233 (ap. Guillimann, *De episc. Argent.*, p. 277, extr.), patet regem vicesimo sexto die augusti jam apud Ratisponam castra defixisse.

Actum anno Domini M. CC. XXXIII, indictione VI. Datum Ratispone, IV nonas septembris (1).

Apud Nurimberg, 19 septembris.

Henricus, Romanorum rex, ad instantiam Henrici majoris filii ducis Lotharingiae, homines de nova civitate apud Silvam (Bois-le-Duc) a theloneis quae in Rheno ad manus habet in perpetuum absolvit, ita tamen quod ipsi nec res aliorum deferant nec de eis negocientur.

(Edidit WILLEMS, *Cod. diplom. ad* chron. JOANN. DE KLERK *adjunct.*, tom. I, p. 636 (Bruxelles, 1839), ex chartular. ducat. Brab. B., fol. 5 recto.)

Henricus, Dei gratia rex Romanorum et semper augustus, universis presens scriptum visuris salutem. Noverint universi quod nos ad instantem postulationem predilecti affinis nostri Henrici, majoris filii illustris viri fidelis nostri Henrici ducis Lotharingie, universos homines suos de nova civitate apud Silvam (2) qui nunc ibi sunt et in posterum illuc ad manendum convenerint, exceptis nostris hominibus qui ibidem recipi non debent, a theloniis nostris que nos ubicumque in Reno ad manus nostras habemus, regali benignitate in perpetuum absolvimus; ita videlicet quod de rebus que sue sunt nullum nobis vel necessario (*sic*) nostro persolvant theloneum nullaque in eos vel res ipsorum fiat exactio, ipsique aliorum res nec deferant nec de eis negocientur. Statuimus igitur et regali auctoritate sanximus ut nulla omnino persona humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, predictos homines de nova civitate apud Silvam qui ibi pro tempore fuerint, preter nostros homines quos recepimus (*a*), contra hanc

(*a*) Verisimiliter legendum *excepimus*, ut supra.

(1) Instrumentum autem conventionis hujus, datum in eodem loco et cum notis chronologicis eisdem, extat in eodem codice et etiam memoratur ap. LANG, *Regest. Boic.*, t. II, p. 220.

(2) Haec est civitas hodie nominata *Bois-le-Duc*, pauco ante aedificata.

majestatis nostre concessionem gravare audeat vel eos aliquatenus impedire vel molestare. Qnod si quis attentaverit, triginta libras auri puri pro pena componat, dimidium camere nostre et reliqnum passis injuriam. Ad cujus rei certam in posterum evidentiam, presentem paginam inde conscribi jussimus et majestatis nostre sigillo communiri.

Hujus rei testes sunt: Maguntine sedis et Treverensis archiepiscopi, Seinensis et Clevensis comites, Gerlacus de Budingen, Henricus de Nifen, et alii quamplures.

Datum anno Domini M° CC° tricesimo tertio, apud Nurinberc, XIII° kalendas octobris, indictione septima.

Henricus, Romanorum rex, burgravio de Werda et imperii fidelibus notificat se Henrico majori filio ducis Lotharingiae deputasse ducentas marcas colonienses apud theloneum suum in Werda annuatim percipiendas, salvo quod super hoc voluntas domini imperatoris requiratur. Apud Nurinberg, 20 septembris.

(Edider. Butkens, *Troph. du Brab.*, I, 17. — Lunig, *Cod. Germ.*, II, 1098. — Willems, *Cod. diplom.*, loco supr. citat., p. 637, ex eodem chartulario.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, G. burcgravio de Werda et imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium protestamur quod nos dilecto affini nostro Henrico de Lovanio (1) deputavimus ducentas marcas colonienses apud theoloneum nostrum in Werda singulis annis percipiendas; hoc subjuncto quod a nobis et ab ipso super hujusmodi voluntas domini imperatoris requiratur, et ipse medio tempore ipsam summam pecunie accipiat singulis annis, quousque noster et suus nuntius ad dominum

(1) Hic agitur de filio majori Henrici ducis Lotharingiae et Brabantiae, de quo supra.

imperatorem revertantur super hujusmodi a domino imperatore instructi. Ad cujus facti evidentiam, presentem litteram sigillo nostro communitam ipsi affini nostro duximus assignandam.

Datum apud Nurinberc, anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo tricesimo tertio, XII° kalendas octobris, indictione septima.

Wormatiae, 19 novembris.

Henricus, Romanorum rex, notum facit se Conrado de Clingenburg et Ludewico de Schipfe super quasdam curias monasterii de Brunbach simplicem defensionem, non vero advocatiam commisisse, quum ipse solus ejusdem monasterii advocatus esse velit.

(Edid. GUDEN., *Sylloq. varior. diplomat.*, p. 594.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis fidelibus suis ad quos presens scriptum pervenerit, gratiam suam et omne bonum. Meminit optime sublimitas nostra quemadmodum ante annos aliquot, ad instantiam abbatis et fratrum Burnebacensium, fidelibus nostris Cunrado de Clingenburg curias Bolach, Durrebach et Cleuicheim et Ludewico de Scipphe curiam Meysenheim commiserimus nostra auctoritate tuendas. Sed quia, crescente in dies malitia, cum filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sint, plerumque quod provisum est ad quietem vergit in occasionem prejudicii et gravaminis amplioris; ne fratribus memoratis hujus defensionis occasione graviori contingat vexationum molestia laborare, usurpantibus sibi prefatis fidelibus nostris Conrado et Ludewico sive ipsorum heredibus jus advocaticium in possessionibus supradictis, regali nos oportet providentia precavere. Quocirca universitatis vestre notitie duximus presentibus liquido declarandum nullum nos predictis nostris fidelibus sive ipsorum heredibus in prescriptis bonis advocandi aditum prebuisse; sed simplicem, et hoc quamdiu fratribus visum fuerit, nec aliter nec diutius, defensionis sollicitudinem injunxisse, quandocumque ipsis fratribus non placuerit, continuo cessatu-

ram. Nostram quippe gloriam aliis non daturi, sepedictos fratres ab omni exactione et jurisdictione advocaticia decernimus alienos, quorum nos solus et unicus dicimur et sumus advocatus. Universas igitur presentibus contrarias assertiones, ut pote vacuas veritate, irritas decernimus et inanes et ab omni penitus robore peregrinas.

Testes sunt hi : Sifridus venerabilis Moguntinus archiepiscopus, Hermannus Wirzeburgensis episcopus, Heinricus Wormatiensis episcopus, Hermannus comes [de] Harzisberg, Eberhardus de Eberstein, Heinricus de Niven, Raymundus abbas de Eberbach, Conradus abbas de Schonaugia, Degenhardus prepositus de Houge, Giso archidiaconus et canonicus, Waltherus canonicus Herbipolensis, et alii quamplures.

Datum per manum Ulrici notarii apud Wormatiam, XIII kalendas decembris, indictione VII, Verbi incarnati anno MCCXXXIII.

ANNO 1234. — INDICTIONE 7.

Henricus, Romanorum rex, monasterii in Weingarten possessiones et jura omnia confirmat; decernit quid in jure censualium sive morticinorum eidem ecclesiae cedere debeat; jus simul monasterii de novalibus in sylva Altorfensi excultis diffinit, hoc addens quod nullus colonorum ipsius monasterii aream in Altorf vel in Ravensburg jure fori possidere valeat, pluraque insuper privilegia adjungit.

Apud Hagenowe, 25 januarii.

(Inedit. ex originali in archiv. Stuttgart., quod nobis communicavit Kauslerus. Sigilium vel aurea bulla, si quando aderat, periit nec nisi filorum rubrorum flavorumque laciniae supersunt. Privilegium suspectum habuit Boehmerus, et non sine causa, dum inter Winegartenses chartas quaedam certissime spuriae habeantur. (Cf. quid supra notaverimus, t. I, p. 941.) Istud tamen nihil aliud

est nisi renovatio unius privilegii Friderici regis de anno 1215 (vid. t. I, p. 386) et alterius ipsius Henrici de anno 1226 (vid. t. II, p. 872), de quibus nulla legitima suspicio oriri potest. Quae vero ibidem adduntur, neque solitam redactionis formam neque juris regii fines excedunt. Justi praeterea testes adhibentur, quos falsarium, si fraudem admisisset, quasi divinitus indigitare oportuisset. Unde, licet in notis chronologicis quiddam dubii supersit, privilegium inter spuria reponendum esse non censemus.)

Heinricus, divi augusti imperatoris filius, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Licet ad omnes ecclesias serenitatis nostre aciem extendere teneamur, earum tamen paci et tranquillitati propensius debemus intendere in quibus laudabiliter sancte observatur ordo religionis, nobisque et imperio unica et speciali inherere censentur dilectione. Qua propter ad universorum imperii fidelium presentis etatis et successure posteritatis noticiam duximus perferendum quod nos monasterium in Winegarten ab antecessoribus nostris divis Romanorum imperatoribus, regibus et principibus constructum, quod et nobis specialiter dinoscitur pertinere, divine remunerationis intuitu et personarum ibidem Domino famulantium, sub omnimoda serenitatis nostre suscipimus tuicione cum omnibus pertinentiis suis. Confirmantes eis omnia jura et consuetudines ac universas possessiones quecunque in presentiarum possident, aut in futurum Domino concedente justo titulo poterunt adipisci. Ad hec etiam quia prenominati monasterii et suis fratribus (*sic*) regia benignitate nostra duximus indempnitati utiliter providendum, decernimus et concedimus eis ut homines et bona eorum ubicunque sita in nostra semper potestate sine aliqua donatione seu concessione permaneant, et ad nullum nisi ad nos nostrosque heredes et successores debeant habere respectum; ita etiam ut si aliquando prefate nostre donationis inmemores concessione[m] aliqua[m] de supradicti monasterii possessionibus vel de hominibus nos facere contingat, sine omni in irritum deducatur contradictione. Insuper confirmamus ipsi ecclesie ut in jure censualium sine morticinorum quod vulgariter dicitur val, si sine herede aliquis homo ipsius ecclesie defunctus fuerit, omnia que reliquerit sive in mobilibus sive in inmobilibus usui ipsius ecclesie cedant; sive vero de-

functus pueros habuerit qui condicionem suam sequantur, quod vulgo dicitur gnoz, tunc inter habita quod melius fuerit, sicut vulgariter dici solet Fürstegut, ad usum ecclesie cedet. Si vero pueri conditionem paternam non secuntur, tunc medietas omnium habitorum et possessorum pueris cedet; alia vero medietas ecclesie remanebit. De novalibus quoque in silva Altorfensi excultis tam in agris quam in pratis et in decimis novalium, que in ipsa silva Altorfensi, scilicet Onriet et alias in silva excoluntur, sicut antea nos fecisse recognoscimus (1), ita quoque denuo per hoc privilegium sepedicte ecclesie plenum jus in perpetuum conferimus; volentes etiam ut quantumcunque per excisionem lignorum vel fruticum ad culturam agrorum homines ecclesie predicte elaborare poterunt, totum ipsi ecclesie in quieta possessione perpetuo pertinebit. Quicunque etiam aliorum hominum cuicunque pertinentium in novalibus dicte silve aliquid elaboraverit, de laboribus suis dicte ecclesie decimam persolvet. Statuentes etiam ut sepedictum monasterium ligna de silva Altorf ad necessarium ignem, ad omnia edifitia et ad victum porcorum habeat sufficienter. Preterea de colonis qui predia prelibate ecclesie coluerunt, statuimus ut cuiquam ipsorum non liceat jure fori aream in Altorf vel in Ravenspurc possidere; ita quod pretextu talis possessionis agri sepedicte ecclesie inculti relinquantur, nec inter cives vel mercatores nostros, licet ejusdem ecclesie sint homines, reputentur. Si vero aliquis memoratorum colonorum, agricultura postposita, ad supradictos cives se transtulerit et aream jure fori ibidem acquisierit, si infra annum abbas Winegartensis ipsum repetierit, cum pleno jure restituatur eidem. Insuper conservantes ipsi ecclesie concessiones et gratias quas eidem progenitores nostri de imperatoria et regia sibi celsitudine facere decreverunt; indulgentes ipsi monasterio quod faciat emptiones, permutationes et cambia possessionum suarum cum ecclesiis et hominibus nostris, concedimus etiam quod [si] possessiones quocunque ad nos nomine pertinentes tam a ministerialibus burgensibus nostris quam ab aliis hominibus nostris ad nos quocunque titulo

(1) Cf. supra t. I, p. 722.

spectantibus per emptiones sive cambia nec non elemosinarum largitionem ad ipsum monasterium devolute fuerint, libere possideat et quiete quicquid ab eisdem tam de mobilibus quam suis immobilibus conferatur. Confirmamus etiam ipsi ecclesie ut quicquid ex largitione pontificum, concessione principum, donatione comitum, baronum seu aliorum fidelium in presentiarum juste ac rationabiliter possidet vel in futurum juste donationis titulo poterit adipisci, firma et illibata sibi permaneant (*sic*), Domino nostro Jhesu Christo feliciter concedente. Ad cujus rei perhennem memoriam, presentem paginam conscribi jussimus et majestatis nostre bulla consignari, regia auctoritate districte precipientes ut nulli unquam persone licitum sit hanc nostre confirmationis paginam infringere seu aliquo ei temeritatis ausu obviare. Que qui facere presumpserit, in sue presumptionis penam centum marcas (*a*) argenti examinati componat, quarum medietas fisco nostro, pars reliqua passis injuriam persolvatur.

Testes hii sunt : B. venerabilis Argentinensis episcopus, C. abbas Sancti Galli, comes Heinricus de Werda, comes Wolf. de Vergen (*b*), Heinricus de Nifen, Albertus frater ipsius, Eberhardus de Eberstaine, E. dapifer de Walpurc, Heinricus camerarius de Ravenspurc, Fridericus frater suus, Eberhardus de Hertingesberge, et alii quamplures.

Actum anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXX° IIII°, indictione septima, regnante domino Heinrico Romanorum rege invictissimo, anno regni ejus tercio decimo (1). (*Monogramma.*)

Datum apud Hagenowe, mense februario, octavo kalendas februarii (2).

(*a*) In privilegio Friderici *centum libras*.

(*b*) Verisimiliter comes *Wolframmus de Veringen*, omisso abreviationis signo. Idem qui paulo infra, p. 640.

(1) Si annus regni computetur a 23 aprilis 1220, nunc *quartus decimus* esse deberet; si vero ab octavo maii 1222, *duodecimus*.

(2) Cum notae chronologicae non inter se concordent, potius ultimis sistendum credimus quae vicesimum quintum januarii diem indicant, nisi forte amanuensis octavo kalendas *februarii* pro *martii* (22 febr.) per oscitantiam scripserit.

Henricus, Romanorum rex, principum dictante sententia, possessionem argenti fodinarum et fossionum montium per Brisgauviam, super qua inter marchionem de Baden et comitem de Urach lis vertebatur, ad Henricum episcopum et ecclesiam Basiliensem pertinere decernit. Apud Frankfurt, 1ª februarii.

(Edit. ap. Trouillat, *Monum. de l'évêché de Bâle*, t. I, p. 530, nº 356, ex cod. diplomat. eccles. Basil., fol. 49 *b*.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex Romanorum semper augustus, universis imperii fidelibus hanc litteram inspecturis gratiam suam et omne bonum. Noverit tam presens etas quam successura posteritas quod cum lis et contentio verteretur inter Hermannum marchionem de Baden et comitem Egenonem de Urach super argenti fodinis et fossionibus montium per Brisgauviam constitutis, coram nobis et principibus, videlicet S. venerabili Moguntinensi archiepiscopo, Ekenberto Babinbergensi episcopo, S. Ratisponensi episcopo, imperialis aule cancellario, C. abbate Sancti Galli et Alberto duce Saxonie, aliisque quampluribus magnatibus imperii, et hinc inde multis discep[ta]tionibus dissentirent, dilectus princeps noster Heinricus Basiliensis episcopus surgens e medio per sufficiens testimonium privilegiorum suorum, testium aliorum, predictas argenti fodinas et fossiones Basiliensi ecclesie de collationibus imperatorum ac regum pleno jure attinere obtinuit et evicit; usque adeo quod talis lata est sententia et ab omnibus approbata, etiam astantibus adversariis, coram nobis et principibus prenotatis quod deinceps super eisdem gaudere deberet possessione pacifica et tranquilla, et a nullo super proprietate earumdem argenti fodinarum et fossionum jure previo possit vel deberet ab aliquo postmodum impulsari. Ad cujus sententie certam evidentiam et robur in posterum valiturum, presens scriptum sigillo nostro jussimus communiri.

Datum Frankenfurt, anno Domini MCCXXXIII (1), kalendis februarii.

Frankenfurt, 2-6 februarii. Anno Domini MCCXXXIIII, rex Heinricus curiam solempnem Frankenevurt in Purificatione (2 febr.) celebravit, multis ibidem principibus et episcopis congregatis ac multorum ordinum fratribus, scilicet Cisterciensibus, Praedicatoribus atque Minoribus et caeteris religiosis personis...... Rex in conventu principum Hildensheimensem episcopum accusare coepit, pro eo quod supra haereticos populum crucesignavit. Qui se probabiliter excusans, exhortatione competenti facta pro crucis negotio, omnibus poscentibus [crucesignari] se constanter exsolvebat, ac cum fratre Ottone, ordinis Praedicatorum, partem magistri Cunradi defuncti diligenter tuebatur..... Deinde feria secunda (6 febr.) rex cum omnibus principibus ac praelatis qui aderant civitatem egrediens, in campo praesedit judicio, ibique comes de Seine se cum octo episcopis et duodecim grisei ordinis abbatibus ac totidem Minoribus fratribus et tribus Praedicatoribus ac etiam Nigrorum abbatibus, et clericis seu nobilibus laïcis personis non paucis, publice et confidenter expurgavit. Idemque comes de Solmis cum suis fecit, obortis lacrimis publice fatendo se tantum mortis metu haeresim fuisse professum. Et quoniam legitimi accusatores non aderant, ad infamiae expurgationem admitti jure debuerant. *Chronic. Erphord.* ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 391-393. Cf. *Gest. Trevir.* ap. HONTHEIM, p. 798.

---

(1) Deest indictionis nota. Intelligendum tamen anno 1234, quum paulo post, scilicet quinto decimo die ejusdem mensis, eadem sententia quasi recentior memoretur.

Henricus, Romanorum rex, in protectionem suam suscipit monasterium sanctimonialium Himmelthal, specialiter concedens ut quaecumque bona, a ministerialibus sive inbeneficiatis aut servis regiis acquisita et deinceps acquirenda, eidem rata permaneant. Apud Frankenfurt, 6 februarii.

(Edidit Gudenus, *Cod. diplomat. Magunt.*, tom. II, p. 64, n° 43, ex autographo.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Regie majestatis nostre titulos eterne vite premio et temporalis glorie incremento crescere credimus et augeri, si religiosarum personarum desideriis favorem prebuerimus efficacem, et nec eas pravorum hominum molestiis agitari nec in bonis eis attinentibus ipsas patiamur dispendium sustinere. Quapropter noverit presens etas et omnis secutura posteritas nos claustrum quod dicitur Himeldal (1) cum omnibus ejus personis, rebus et universis possessionibus tam cultis quam incultis quas Deo propitiante nunc possidet aut in futurum largitione regum vel principum, concessione pontificum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, in nostram tuitionem defensionemque omnimodam suscepisse. Specialiter autem prememorato monasterio et sacro sanctimonialium collegio in Himeldal regali auctoritate concedimus ut quecumque bona, quascumque possessiones a ministerialibus sive inbeneficiatis aut servis nostris per coemptionem vel concambium receperunt vel processu temporis aliquo emptionis vel commutationis sunt titulo recepture, aut si ministeriales vel inbeneficiati seu servi nostri aliqua eis in monasterio pretaxato pro Deo bona contulerint vel presenti tempore contulerunt, rata eis et incon-

(1) Anno 1232, 17 novembr., Ludewicus comes de Rieneck dederat Salomoni canonico Herbipolensi monasterium, villam, molendinum et caetera attinentia in Wollberg, ea conditione ut ibidem coenobium monialium Cisterciensis ordinis constitueret; quod postea Himmelthal (vallis Coeli) vocatum est. Cf. Guden., *Cod. diplom.*, t. I, p. 515.

vulsa maneant in perpetuum. Statuimus quoque et regali edicto sancimus ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc nostram institutionem audeat infringere vel monasterium nominatum aut personas aliquo lesionis modo perturbare. Quod qui facere attemptaverit a nostre celsitudinis gratia se noverit alienum. Ad cujus certam in perpetuum evidentiam, presentem paginam inde conscribi jussimus et nostre sigillo magnificentie communiri.

Datum apud Frankenvurt, nonis februarii, indictione septima, incarnationis dominice anno M. CC. XXXIIII°.

Hujus rei testes sunt : Sifridus archiepiscopus Maguntinus, Theodericus archiepiscopus Treverensis, Heinricus archiepiscopus Coloniensis, Cunradus episcopus Hildensheimensis, Hermannus episcopus Herbipolensis, Ekkebertus episcopus Babenbergensis, Arnoldus abbas Campensis (*a*), Rimundus abbas Eberbacensis, Heinricus abbas de Hemmenrode, Heinricus abbas de Heisterbach, Heinricus abbas de Monteveteri (*b*), Gerardus abbas de Otterburc, Albertus abbas de Arnesburc, Goteschalcus abbas de Burnbach (*c*), Wigandus abbas de Aulisburc; laici vero : Otto dux Meranie, Albertus dux Saxonie, Hermannus comes de Orlamunde, Boppo comes de Hennenberc, Reinhardus de Hagenowe, Hartwicus magister coquine, et alii quamplures.

Apud Frankenfort, in solemni curia, 6 februarii.

Henricus, Romanorum rex, profitetur ministerialem suum Giselbertum de Eschborn, una cum Cunegunde ipsius uxore, claustro de Arnsburg curtem ipsius in Herlisheim cum omnibus pertinentiis de assensu suo per manus suas contradidisse.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 246, n° 314, ex copia ipsi a Kindlinger communicata.)

(*a*) Scilicet *de Kempen.*

(*b*) Scilicet *de Altenberg.*

(*c*) Scilicet *de Brumbach.*

Testes iidem fere qui in praecedente, nisi quod adsunt : C. Spirensis, E. Nanmburgensis, et H. Eistetensis episcopi, H. comes Seine, et alii quamplures.

Datnm Frankenevort in curia solempni, anno dominice incarnationis MCCXXXIV, nonis februarii, indictione septima.

Henricus, Romanorum rex, abbati et conventui de Porta, Nuenburgensis dioecesis, concedit ut quascumque possessiones quocumque titulo a fidelibus imperii obtinuerint, sine omni contradictione in perpetuum possideant.

Frankenevort, in curia solempni, 6 februarii.

(Inedit. ex originali in archivo Dresdensi asservato, unde anno 1849 pendebat adhuc sigillum cereum.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus VII, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Ad hoc divina disponente providentia ad regni gnbernacnla nos esse credimns snblimatos, nt servorum Dei in temporalibns snbsidiis utilitatibus liberalitate regia consnlamns et propensiori cautele diligentia privilegiornm nostrorum confirmatione prospicere stndeamus. Inde est quod universis imperii fidelibus esse volumns manifestum quod nos, imitatione patris nostri serenissimi Romanorum imperatoris et semper angnsti Friderici, petitioni religiosorum virorum abbatis et conventus de Porta, Cisterciensis ordinis, Nuenbnrgensis diocesis, satisfacere cnpientes, pro remedio anime nostre hanc eis gratiam et licentiam duximus concedendam ut quascumque possessiones in agris videlicet, vineis, pratis, silvis, aqnis, pascuis, terris cnltis vel incultis a fidelibus imperii titnlo donationis, emptionis seu concambii optinuerint vel prius optinnerant, sine omni prorsus contradictione in perpetnum nostre majestatis anctoritate possideant. Ut autem hec nostra donatio rata in posterum et inconvnlsa perduret, presentem paginam super ea conscribi et sigilli nostri impressione fecimus commnniri.

Hujus rei testes sunt : S. Maguntinus, T. Treverensis, H. Coloniensis, G. Bremensis archiepiscopi, B. Magdeburgensis electus, H. Herbipolensis, E. Babinbergensis, H. Eistetensis, C. Frisiensis, H. Wormatiensis, C. Spirensis, R. Tollensis, C. Hildinsheimensis, E. Nuenburgensis, L. Monasteriensis, B. Paderburnensis, L. Verdensis, C. Osinbruggensis, S. Augustensis, H. Basiliensis episcopi, O. Trajectensis, V. Curiensis electi, C. Fuldensis, L. Hersfeldensis, C. Sancti Galli, H. Corbiacensis abbates, A. Saxonie, O. Bawarie, O. Meranie duces, O. marchio Brandenburgensis, H. comes Ascarie, H. comes de Urah, W. de Bolandia imperialis aule dapifer, H. de Bappinheim imperialis aule marscalcus, H. Nifarius, G. de Butingin, E. de Eberstein, E. dapifer de Walpurg, C. pincerna de Winterstete, et alii quamplures.

Signum domini Heinrici VII Romanorum regis invictissimi. (*Monogramma.*)

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus, [vice] domni Sifridi Maguntini archiepiscopi totius Germanie archicancellarii, cancellarius recognovi.

Datum Frankenevort in curia nostra sollempni, anno incarnationis Domini M° CC° XXXIIII, indictione VII, VIII idus februarii, anno regni nostri undecimo.

Frankenvort, in solemni curia. 10 februarii.

Henricus, Romanorum rex, notam facit sententiam in praesentia sua latam et ab abbate Sancti Galli publicatam : scilicet quod nullus seculari foro proscriptus vel ecclesiastico judicio excommunicatus facultatem habeat a domino suo jus feudale exquirendi, dum si quis in hac fuerit conditione positus, minime ad judiciarios actus admitti possit.

(Edit. ap. Möser, *Osnabr. Geschichte*, (edit. ann. 1843), t. IV, p. 350. Libro Parisiis frustra disquisito, argumentum chartae et chronologicas notas tantummodo exhibemus.)

Datum Frankenevorde, in solempni curia, IIII idus februarii, indictione VII.

Henricus, Romanorum rex, notum facit universis, sententiam dictante comite Egenone de Urach, a se diffinitum fuisse quod si treugae violatae fuerint, illi cujus interest incumbit probatio, vel si testes habere non potuerit, in monomachia cum reo congredi debet. Frankenvort, in solemni curia, 10 februarii.

(Edider. Möser, *Osnabr. Gesch.*, 3ª pars, Docum. nº 161, descript. ab Henseler, ex autogr. — Pertz, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 300.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa, gratiam suam et omne bonum. Omnibus esse notum volumus quod in solempni curia nostra Vrankenevorde, plerisque imperii principibus nobis assistentibus, comite Egene de Ura sententiam dictante, a nobis sententialiter fuit diffinitum quod si manuali fide interposita treuge date sunt et aliquis illas violaverit et in causam tractus se expurgare voluerit, illi cui (*a*) interest et cui dampnum datum est incumbit probatio, ut tertia manu jurejurando confirmet quod treuge violate sunt; vel si testes habere non potuerit, in monomachia coram judice seculari cum eo (*b*) congredietur.

Datum Vrankenevorde, IIII idus februarii, indictione VII.

Constitutiones Henrici Romanorum regis et principum Alemanniae de reisis publicis, de haereticis, de exhibitione justitiae, de Apud Frankenvort, 11 februarii.

(*a*) Sic; forsitan *cujus*.

(*b*) Sic in duobus. Verisimiliter legendum *cum reo*.

guerris privatis movendis, de violatione treugarum, de sententiis proscriptionis, de monetis falsis et injustis theloneis amovendis, de damnis non nisi post tres dies inferendis, de jure praebendi conductus, de jurisdictionibus episcoporum, de privilegiis observandis.

(Edit. ap. ALBER. TRIUMFONT. *Chron.* ap. LEIBNITZ, *Access. histor.*, t. II, p. 548.— HARTZHEIM, *Concil.*, t. III, p. 350. — PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 301, ex collatione codicum Paris., Hannover., et Berolin. facta.)

Anno MCCXXXIV, tertio idus februarii, constitutiones regis et principum Alemaunie apud Frankenvort. Imprimis omnibus imperii fidelibus ne in reysa publica procedant omnibus modis inhibemus. Ad hec universis judiciariam potestatem habentibus auctoritate regia precipimus quatinus ad reprimendam hereticorum perfidiam toto nisu solerter intendant ac in justi prosecutione judicii preferant equitatem. Et ut in judicando diligentie formam omnibus preferamus, ecce in manus principum promisimus quod in quolibet mense, ubicumque in imperio fuerimus, quatuor diebus ad minus personaliter volumus judicio publice presidere. Quod etiam a quolibet judice fieri volumus temporibus ad hoc secundum provinciarum consuetudinem constitutis. Quod si princeps facere neglexerit et de hoc convictus fuerit, ut exigit juris ordo, domino regi centum libras auri in pondere Karoli persolvet. Comes vero vel alius nobilis judicium habens, si non judicaverit secundum provinciarum consuetudinem, domino regi sicut predictum est centum marcas argenti componet. Item si quis alium leserit vel guerram ei moverit absque precedente querimonia, si princeps extiterit, centum marcas auri regie camere presentabit; si vero comes vel nobilis vel alia persona extiterit, centum marcas argenti componet. Item statuimus quod si quis treugas datas violaverit, si cum ipso in cujus manum treuge fuerant compromisse et cum duobus aliis synodalibus hominibus treugas violatas esse convincere potuerit et testari, violator manum perdat. Item si quis fide data promiserit aliquid et convictus fuerit cum tribus synodalibus hominibus fidem non servasse, continuo proscribatur nec a proscriptione poterit absolvi nisi dupliciter persolvat quod promi-

serat et pro quo fidem dederat, et judicet jus suum. Item si quis de principibus aut comitibus vel nobilibus pro delicto judicii penam ter pertulerit constitutam, postmodum judicio quod habuit est privandus. Preterea statuimus ut sententia proscriptionis tantum in locis publicis promulgetur, nec proscripti aliquatenus absolvantur nisi sufficienti cautione fidejussoria precedente. Quod siquidem si judex non fecerit, ablata in integrum restituat dampnum passo; quod etiam promittimus nos facturos. Item monetas falsas et injustas ac injusta thelonia que a tempore domini Frederici imperatoris proavi nostri absque consensu et conniventia principum sunt statuta, per sententiam cassamus et precipimus amoveri, et nos thelonia nostra noviter instituta primitus amovemus, transgressores manu potenti et extento brachio cohercendo. Principesque curie presentes ecclesiastici et mundani fide data efficaciter in nostras manus promiserunt quod ad reprimendam transgressorum proterviam et ad justa judicia prosequenda fideli nobis auxilio assistant. Item statuimus ut nullus in persona vel in rebus alicui dampnum inferat, nisi prius eum cui dampnum inferre voluerit ad minus trium dierum et noctium spatio diffidaverit, et tunc uterque pacem ab altero per predictum terminum habebit; alioquin per sententiam proscribatur. Reysam que Keymszuche (*a*) dicitur si quis commiserit, proscribatur. Item precipimus quod nullus conductum alicui prebeat nisi forte conductum a nobis et ab imperio jure possideat feodali. Item in omnibus civitatibus, oppidis, munitionibus, villis et aliis locis regni nostri jurisdictiones archiepiscoporum, episcoporum, archidiaconorum et sententias eorum precipimus firmiter observari. Item omnia privilegia a domino imperatore patre nostro et a nobis tam principibus quam nobilibus indulta, per omnia volumus esse salva.

Henricus, Romanorum rex, postquam Conradus Hildesheimensis episcopus sibi conquestus fuerit quod cives Hildeshei- Apud Frankenvort, in curia solemni, 13 februarii.

(*a*) Alias *Keinizzuthe*.

menses judicium sanguinis exercuerint in clericos in quos degradationis sententia non processerat, eisdem civibus mandat ut tantam praesumptionem emendent.

(Edit. ap. Lavenstein, p. 70. — Lunig, *Reichsarchiv*, t. XVII, p. 258. — *Parerga Gott.*, t. IV, p. 32, ubi perutilis commentarius. — Pertz, *Monum. Germ. histor.*, t. IV, p. 302.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, civibus Hildesheimensibus universis gratiam et omne bonum. Cum in solemni curia in Franckenvord ex communi consensu principum a nobis sit decretum ut quicumque seculare judicium adversus aliquem clericum exercuerit in his que sanguinis judicium requirunt, ante degradationem ab episcopis faciendam, preter id quod in canonem late sententie incidit a quo preter indultum speciale domini pape nequit absolvi, ex nostra sit sententia proscribendus, et dilectus princeps noster Conradus Hildesheimensis episcopus per suam nobis querimoniam patefecerit quod vos authoritate propria clericos temere judicando morti feceritis destinari, in quos degradationis sententia non processerat; vobis authoritate regia firmiter precipiendo mandamus quatenus ei et ecclesie sue in quam deliquistis, prout ejus gratiam invenire poteritis, emendetis. Alioquin, vos in media quadragesima ut pro tantis respondeatis excessibus, ad nostram presentiam, ubicumque fuerimus, evocamus.

Datum Franckenvordii, idibus februarii, indictione VII (*a*).

Apud Frankenfort, 13 februarii.

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem Gerardi Bremensis archiepiscopi, cives Bremenses et Stadenses a praestatione thelonei in civitate Lubeke absolvit.

(Edit. ap. Pertz, *Monum. Germ. hist.*, t. IV, inter *addenda*, p. 571.)

(*a*) Apud Lunig « *idibus februarii* 1195, *indictione* 7, » falso numero anni haud dubie intruso. *Pertzii nota.*

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex semper angnstus, universis hoc scriptum intuentibus in perpetunm. Noverint universi qnod tam constitntionibus a nostra majestate nnper in curia Frankenfurd promulgatis quam etiam petitioni dilecti principis nostri G. venerabilis Bremensis ecclesie archiepiscopi satisfacere cupientes, cives Bremenses et Stadenses a prestatione thelonei quod ab ipsis in civitate Lubeke hucusque exigi consuevit, liberos penitus dimittimus et absolutos. Et ne id temporis processu in dubium revocetur, presentibus litteris nostre majestatis apponi jussimus sigillum.

Datum apnd Frankenfurt, idns februarii, indictione septima.

Henricus, Romanorum rex, Henrico Basiliensi episcopo in solemni curia probante Eginonem comitem de Friburg de argentifodinis et custodiis sylvarum per Brisgaugiam legitime ab ipso infeudatum esse, de providentia consilii sui eumdem comitem in possessionem praedictorum bonorum mittit, eaque eidem confirmat. Frankenfort, in solemni curia, 15 februarii.

(Edider. GOLDAST., *Catholicon rei monet.*, p. 101. — LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XVII, p. 140. — LONDORP., *Acta publica*, t. I, cap. V, p. 30. — DUMONT, *Corps diplomat.*, tom. I, pars I, p. 173. — SCHOEPFLIN, *Hist. Zaringo-Bad.*, t. IV, p. 189.—TROUILLAT, *Monum. de l'anc. évêché de Bâle*, t. I, p. 538, n° 361. — PAULINI, *Hist. Visb.*, dissert. de pagis, p. 76, perperam hoc documentum Henrico Rasponi tribuit. Nusquam tamen plane correctum vel ad fidem originalis descriptum videtur.)

Heiuricus, Dei gratia Romanorum rex et semper angustus, universis imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa, gratiam suam et omnem benevolentiam. Ut ad nostros successores perveniant firmiora ea que coram nobis aguntur, litterarum testimonio commendamus ne tractn temporis a labili hominum memoria evanescant. Meminerint igitur presentes et recognoscant fnturi quod dilectns princeps noster Henricus

Basiliensis episcopus in solemni curia apud Franckinfurtum coram nobis et principibus, ubi presentes erant cum advocatis suis Hermannus marchio de Baden et Egino comes de Friburg, contendentes de argentifodinis et custodiis silvarum per Brisgangiam quod vulgariter Wildpann dicitur, obtinuit et evicit per privilegium suum ipsas argentifodinas et custodias sibi et ecclesie sue attinere (1), et ipsum Eginonem comitem de Friburg eisdem ab ipso et ecclesia sua legitime infeudatum. Nos itaque considerantes ipsius principis devotionem et quod sufficienti testimonio probaverat prelibata sue ecclesie attinere, memoratum Eginonem comitem per sententiam approbatam de providentia consilii nostri misimus in possessionem bonorum prescriptorum, et eadem ipsi comiti et heredibus suis regia auctoritate confirmamus; mandantes et sub interminatione gratie nostre firmissime precipientes ut nulla sit persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, que antefatum comitem in memoratis argentifodinis et custodiis ferarum impedire audeat vel gravare; quod qui fecerit gratia nostra sit exclusus. Ad hujus etiam facti evidentiam presens privilegium ipsi comiti sigillo nostro communitum fecimus assignari.

Testes sunt hujusmodi : Sifridus Moguntinus, Thitericus Trevirensis archiepiscopi, Ekkebertus Bambergensis, Engelhardus Naumbergensis, Sifridus Ratisponensis episcopi, Conradus abbas Sancti Galli, Albertus Saxonie, Otto Meranie duces, Heinricus marchio de Burgow, Eberhardus et Otto fratres de Eberstain, Conradus burgravius de Nurinberg, Heinricus et Albertus fratres de Neiffen, comes Wolframus de Veringen, comites Heinricus et Hermannus fratres de Valdinberg, Gerlacus de Butingen, Heinricus de Eberstal, Albertus de Roswach, Rudolphus Hagge, Eberhardus dapifer de Waldperg, Cunradus pincerna de Winterstetin, Eberhardus de Monte, et alii quamplures.

Actum apud Franckinfortum, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quarto, XV kalendas martii, indictione septima.

(1) Cf. supra ipsius sententiae formam, p. 629.

Henricus, Romanorum rex, sententiam ab Hugone abbate Murbacensi latam inserit et confirmat, super controversia quae vertebatur inter praepositum et capitulum Solodorense ex una parte et cives Solodorenses ex altera, videlicet ut quidam homines Sancti Ursi eisdem praeposito et capitulo et non alii de caetero serviant. Apud Frankinfort, 15 februarii.

(Edit. ap. Tschudi, *Chronic. Helvet.*, t. I, p. 129.)

Heinricus, divina favente clementia Romanorum rex semper augustus, universis imperii fidelibus in perpetuum. Noverit presens etas et futura posteritas quod processum dilecti principis nostri Hugonis venerabilis Murbacensis abbatis super causa que vertebatur inter Ottonem prepositum et capitulum Solodorense ex una parte et cives Solodorenses ex altera super quibusdam hominibus Sancti Ursi inter Ararim et montem Leberen (a) commorantibus justum cognoscentes, eum auctoritate regia confirmamus; dictis civibus super his perpetuum silentium imponentes, volumus et mandamus et sub obtentu gratie nostre precipimus ut homines antedicti preposito et capitulo memoratis et non alii de cetero serviant, prout in instrumento super processu dicti abbatis confecto plenius continetur; cujus tenor talis est :

Hugo, Dei gratia Murbacensis abbas, universis presentem paginam inspecturis salutem in Domino. Scire volumus omnes quos scire fuerit opportunum quod cum ad instantiam et petitionem domini Ottonis venerabilis Solodorensis ecclesie prepositi et sui capituli, dominus noster illustris Romanorum rex semper augustus nobis dedisset in mandatis ut super controversia que inter jamdictum prepositum et suum capitulum ex una parte et cives Solodorenses ex altera vertebatur pro hominibus Sancti Ursi qui citra Ararim de parte montis Lebrin commorantur, de jure utrinsque par-

(a) Scilicet *Aar* et *Laeberberg*.

tis cognosceremus; nos nobilioribus et honestioribus terre convocatis, et auditis in presentia ipsorum prepositis utriusque partis et inquisita diligentius veritate, cognovimus relatione veridica jamdictos homines Sancti Ursi ad ecclesiam Solodorensem libere pertinere et comitem de Buchecge esse advocatum ipsorum, licet dicta ecclesia vexationes et exactiones eorumdem hominum ab ipso advocato redemerit temporibus retroactis; ita quod nunquam dictus advocatus ad eosdem homines alicujus exactionis vel servitii causa debet accedere, nisi a sepefato preposito fuerit invitatus. Dictique homines ad nullius servitium sunt adstricti nisi prepositi et capituli sepedicti, et ipsi burgenses nullam de jure in ipsis hominibus habent potestatem, nisi quantum de voluntate et gratia ipsius prepositi et capituli poterunt obtinere.

Si quis igitur contra hanc nostre confirmationis paginam ausu temerario venire presumpserit, indignationem nostre celsitudinis se noverit incursurum.

Datum apud Franckenfurt, anno Domini MCCXXXIV, decimo quinto kalendas martii, indictione VII[a].

Frankenfurt, 17 februarii.

Henricus, Romanorum rex, testatur et ratum habet quod Cunradus pincerna de Wintersteten episcopo Ratisponensi de praedio suo in Husen VI libras Augustensis monetae resignaverit, de manu episcopi pro feudo recipiendas.

(Edit. in Ried, *Cod. diplom. Ratisb.*, t. I, p. 374, n° 390, — et ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars I[a], p. 212, n° 720, ex originali unde sigillum nonnihil laesum appendet ex segmento membranaceo.)

H., Dei gratia Romanorum rex semper augustus, universis fidelibus suis presens scriptum intuentibus gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium notum esse volumus universis quod fidelis noster C. pincerna de Wintersteten dilecto principi nostro venerabili Ratisponensi episcopo

imperialis aule cancellario de predio suo in Husen sex librarum Augustensis monete redditus resignavit et in presentia nostra contradidit; quos de manu sua pro feodo recepit, ita quod ipse et heredes sui a prefato episcopo et a successoribus suis eosdem redditus feodali jure debeant possidere. Et ut hec rata et firma permaneant, sigilli nostri appositione presentem paginam fecimus communiri.

Datum Franchenfurt, XIII kalendas marcii, indictione septima.

Henricus, Romanorum rex, abbatissam et conventum ecclesiae de Kitzingen diversis gravaminibus oppressae sub imperii et sua protectione recipit. Apud Lutram, 15 martii.

(Edid. Fr. Ant. Jager, *Gesch. Frankenlands*, pars III, Beyl., p. 373.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Religiosam vitam habentibus regale debet adesse presidium ne cujusvis temeritatis incursus aut eas a bono proposito revocet aut in eis, quod absit, robur sancte conversationis infringat. Cum igitur ecclesia de Kizingen, sicut intelleximus, agitetur pressuris multiplicibus et diversis gravaminibus opprimatur, volentes ei ex consueta nostre celsitudinis clementia providere, ipsam ecclesiam ac dilectam nobis in Christo abbatissam ac ceteras personas ejusdem ecclesie cum omnibus possessionibus ac bonis ipsius sub imperii et nostra protectione recepimus, sub obtentu gratie nostre firmiter inhibentes ne aliquis aut personas aut ecclesiam in eisdem possessionibus sive bonis audeat aliquo modo molestare. Quod qui contra prohibitionem nostram presumpserit attemptare, indignationem nostram se noverit incursurum.

Datum apud Lutram, idibus martii, indictione VII.

Apud Luteram, 18 martii.

Henricus, Romanorum rex, ad querimoniam canonicorum ecclesiae beati Servatii in Trajecto, ex sententia principum denuntiat episcopum Leodiensem nullam jurisdictionem habere in eadem ecclesia quae mere et libere ad imperium tantummodo pertinere dinoscitur, illumque pro expensis in centum marcis Coloniensibus condemnat.

(Edid. Miraeus, *Oper. diplom.*, tom. IV, p. 237, coll. cum chartul. MSS. S. Servat., in biblioth. Paris., t. I, fol. 34 recto, et tom. III, fol. 46 recto.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, omnibus in perpetuum. Cum dilectus capellanus noster Sybodo Aquensis decanus et canonicus ecclesie beati Servatii in Trajecto ac ceteri Trajectensis ecclesie canonici conquerendo proposuerunt sepius coram nobis quod venerabilis princeps noster Leodiensis episcopus super ipsam ecclesiam nostram et eosdem canonicos capellanos nostros non solum sibi jurisdictionem contra justitiam usurpavit, verum etiam authoritate propria de facto, cum de jure nequiverit, contra libertates ipsius ecclesie ac in prejudicium imperii et nostrum in eos excommunicationis sententiam promulgavit, alias ipsis injuriosus existens plurimum et molestus, nos eum ad presentiam nostram citavimus super eo, certis et legitimis ei terminis assignatis. Cum autem in ultimo peremptorio apud Luteram non personaliter comparuisset nec aliquis responsalis pro eo, et probatum fuisset sufficienter per testes idoneos coram nobis quod tunc deberemus ipsis canonicis facere justitiam, quia querimoniam cause sue juste et rationabiliter prosecuti fuissent; diffinivimus per sententiam, a principibus et magnatibus qui tunc aderant approbatam, quod nec idem episcopus nec aliquis successorum suorum habeat vel habere debeat in eadem ecclesia nostra aliquam jurisdictionem, quia mere et libere tantum ad imperium et ad nos dinoscitur pertinere, sicut constat ex diversis privilegiis eidem ecclesie indultis a nostris pro-

geuitoribus et imperatoribus qui eamdem ecclesiam primitus fundaveruut, et sicut protestantur idem principes et magnates qui super hoc a uobis generaliter requisiti fuerunt. Igitur cum victus victori secundum jura civilia coudemnari debeat in expensis, ad instantiam canouicorum supradictorum memoratum episcopum eis sententialiter condemnavimus in centum marchis Coloniensibus, quas per sacramentum probaverunt se in eodem negotio expendisse.

Testes hujus rei sunt : Sifridus Maguutinensis, Theodoricus Trevirensis, Henricus Colonieusis archiepiscopi, Ekkebertus Babembergensis episcopus, Hermannus Herbipolensis, Joannes Metensis, Couradus Spirensis, Roggerius Tullensis episcopi, Conrardus abbas Sancti Galli, magister Thegenhardus (1) prothonotarius, Arnoldus Sancti Gereonis prepositus Coloniensis, Matheus dux Lotharingie, Henricus dux Lemburgeusis, Walleramus frater ejusdem, Henricus comes de Helfenstein, Everardus comes de Eberstein, Henricus comes de Spanheim et Symon frater ejus, Henricus comes de Gemiuo Ponte, Symou comes de Sarrebrukke, Fredericus comes de Liuiugeu, Gerlakus comes de Voltangeu (a), Lotharius comes de Woda (b), Henricus comes de Castris, Gerhardus comes de Dyze, Widegowus de Albecge, Hermauuus de Muleuaken, Fridericus de Riserthen (c), Wernerus dapifer de Bolaudia, Conrardus pincerna de Clingenburg, Eberhardus dapifer de Walpurg, Henricus camerarius de Rabinsburge, et alii quamplures.

Actum apud Luteram, anno gratie M° CC° XXXIIII°.

Datum XV° kalendas aprilis, indictioue septima.

(a) Alias *Veltenghen*, forsitan *Weldenz*.
(b) Alias *de Weda*.
(c) Alias *de Riverschendt*.

---

(1) Nomen apud Miraeum deest. In chartulario prima vice legitur *Theol.* et secunda *magister Theg*[us] (*Theganus*), truncata forma pro *Thegenhardus*. Vir ille qui magnam apud Henricum regem tunc temporis personam egit, vicedominus Magdeburgensis erat et Henrici de Tanne in protonotariatus officio successor nunc primum apparet.

Apud Lutram, [martio.] Henricus, Romanorum rex, ad supplicationem abbatis et conventus de Otterburg, privilegium ab Ottone IV eidem monasterio indultum inserit et confirmat, idemque cum omnibus curiis et possessionibus ejus in protectione sua recipit.

(Edid. STEPH. ALEX. WURDTWEIN, *Monast. Palat.*, t. I, p. 279, n° XLIX.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex semper augustus. Ad utriusque vite felicitatem prodesse nobis non ambigimus, si loca divino cultui mancipata curaverimus ampliare et personas Deo militantes in eisdem regio patrocinio defendere. Accedentes igitur ad nos abbas ac conventus de Otterburg devotissime supplicarunt ut privilegium ab antecessore nostro imperatore Ottone ipsis indultum nostra serenitas dignaretur confirmare; cujus privilegii tenor talis est :

Otto quartus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Apud Regem regum nobis credimus profuturum si religiosis viris providerimus ut in pace et quiete die noctuque majestatis illius assistant vultui cujus omnes nos necesse est astare tribunali. Quapropter notum facimus universis regni nostri fidelibus tam presentibus quam futuris quod querela que vertebatur inter monasterium de Otterburg et fideles nostros Merbodonem de Saveleubeim et Veruberum fratrem ejus, coram nobis in hunc modum est sopita. Jurisdictionem quam de feodo se habere asserebant super villam Erlenbach et quasdam curias monasterii in manum nostram resignaverunt, eidem in perpetuum pro se et pro suis heredibus abrenuntiantes, ut de cetero nihil potestatis et juris habeant in omni loco possessionis illius monasterii, tam ipsi quam eorum successores. Sed et si quid commodi de ipsorum terra quoad pascua dumtaxat et iter et actum et viam fratribus illi monasterio servientibus provenire potuerit, babebunt gratum. Porro in eorum jurisdictione de cetero non licebit fratribus mo-

nasterii aliquid de possessionibus immobilibus ad se trahere per quemcumqne contractum, nisi per ipsorum conniventiam et consensnm. Nos vero recepta de illorum manu resignationo jnrisdictionis, pro remedio anime nostro ot prosperiore regni nostri statu, fratrum in eodem loco famnlantium libertati cupientes consulere et qnieti, loca omnia super que haberi videbatnr jurisdictio ex parte nostra libera et ab omni de cetero jurisdictione dimisimus absoluta; ipsum monasterinm et omnes subditas illi curias et possessiones in specialem majestatis nostre defensionem et protectionem recipientes et auctoritate regali sancientes nt nulla omnino persona hnmilis vel alta predictum monasterinm in personis snis vel in rebus aliquatenns molestare andeat aut gravare. Ad cnjus rei perpetuam evidentiam, presentem paginam conscribi jnssimus et sigillo nostre majestatis communiri.

Hujus rei testes snnt : Conradus Spirensis episcopus aule regie cancellarius, Hugo Leodiensis episcopus, Bertholdus prepositus Sancte Trinitatis in Spira, Heinricus prepositus Sancti Mauritii in Moguntia, Fridericus comes de Leiningen, Govehardus bnrgravius de Magdebnrg, Heinricus marscalcus de Calatin, et alii quamplures.

Actnm apud Spiram, anno dominice incarnationis millesimo dncentesimo nono, [mense junio], indictione duodecima, anno antem regni nostri undecimo.

Nos igitnr, divine remunerationis intuitn et de innata nobis pietate, snpplicationem supradicti abbatis de Otterburg et sui conventus serenitatis nostre clementia admittimus, et omnia ea que continentnr in scripto superius annotato rata et grata habemns et anthoritate majestatis regie confirmamus, et nunc specialiter ipsum monasterium et omnes fratres et monachos, curias et possessiones et omnia jnra ipsorum in protectionem et defensionem nostram recipimus; sanctione regia statnentes ut nulla persona humilis vel snblimis sepedictum monasterinm in personis aut in rebus audeat aut presumat aliquatenus molestare. Ut autem hec in dubium non possint de cetero revocari, hanc paginam sigilli nostri munimine precepimus roborari.

Testes autem hujus rei snnt : Sifridus Moguntinus, Henricus Colonien-

sis, Dietericus Trevirensis archiepiscopi, episcopi vero Sifridus Ratisponensis cancellarius aule regie, Hermannus Herbipolensis, Eckbertus Babenbergensis, Simon comes Sarepontanus, Fridericus comes de Leiningen, Cunradus comes de Everstein, et ceteri quamplures.

Actum apud Lutram, anno gratie millesimo ducentesimo trigesimo quarto, indictione septima, anno autem regni nostri duodecimo.

Spirae, 6 aprilis.

Henricus, Romanorum rex, de consilio principum decernit ut Geba mulier de Dürckeim et omnes ejusdem conditionis homines Volmaro abbati de Limburg et ejus successoribus jus quod dicitur *budteil* dare teneantur.

(Edid. REMLING, *Urkundl. Gesch. der abt. und Kloster in Rheinbayern* (Neustadt. 1838), pars Iª, Beilag. 314, ex Heidelb. act. MSS.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, omnibus presens scriptum intuentibus salutem atque suam gratiam. Notum esse volumus universis hanc cedulam inspecturis quod Volmarus abbas Limpurgensis ecclesie coram nobis conquerendo proposuit quod Geba quedam mulier de Durckeym jus quoddam quod vulgo dicitur budeyl ecclesie sue, cum jure ei dare teneretur, negaret, pretendens quod per regiam deberet esse a tali jure libera potestatem. Nos vero consilio principum nsi decernimus, cum jamdictus abbas Volmarus Limpurgensis ecclesiam suam super illo jure esse a predecessoribus nostris privilegiatam affirmaret, ut prefata mulier Geba de Durckeym et omnes ejusdem conditionis homines sepedicto abbati Volmaro de Limpurg suisque successoribus jus suum dare teneantur. Quod ut stabile et firmum permaneat, sigillo nostro fecimus consignari.

Acta sunt hec Spire, anno dominice incarnationis M° CC° XXVIII, VIII idus aprilis, indictione septima (1).

(1) Indictioni litteris expressae potius quam numero anni qui in apographo male transcribi

---

Sifridus Maguntinus archiepiscopus et frater Bernardus de ordine Praedicatorum papae rescribunt quomodo a Conrado de Marburg fuerit in negotio haereticorum processum; nuntiant se primo apud Francofurtum, deinde apud Moguntiam comitem de Seine et alios infamatos in pristinum statum restituisse, quidquid in hoc egerint seriatim exponentes. [Circa medium aprilem.]

(Insert. in *Alberici Trium-fontium chronic.* ap. LEIBNITZ, *Access. histor.*, t. II, p. 544, 545.)

... Diligenti facta inquisitione super ista pestifera secta Luciferianorum et super praedictis, archiepiscopus Maguntinus et frater Bernardus de ordine Praedicatorum, quondam poenitentiarius domini papae, rescripserunt domino papae in haec verba :

« Quod magister Conradus contra Pauperum Lugdunensium astutias zelo fidei armatus, nefandam heresim, Manicheorum filiam olim absconditam, ita putavit ex toto deprehendere si testes qui se confitebantur aliquantulum criminis eorum conscios et participes, in illorum absentia reciperentur, et dictis eorum simpliciter crederetur; ita ut semel accusato talis daretur optio aut sponte confiteri et vivere, aut innocentiam jurare et statim comburi. Et ecce falsos testes ab hereticis, ut credimus, subornatos adduxit inimicus. Quedam femina vaga Alaidis annorum viginti, casu veniens Pigniam (*a*), finxit se hereticam illius secte, fuisse suum virum apud Cruneborch concrematum et se velle cremari; innuens a latere quod si Ecclesia verbis suis credendum decerneret, hereticos

(*a*) In textu *peregrinam*, quod ita correxit Leibnitz. Fortasse legendum *Pinguiam* (*Bingen*).

---

potuerit, majorem adhibendam fidem censemus; annoque 1234 adhaeremus quo regem mense aprili apud Spiram quoque stetisse nihil obstat.

absconditos et fautores eorum manifestaret. Hec missa est a magistro Conrardo qui nimis ei credidit, et ipsa primo apud Clavelt villam de qua oriunda fuit, cognatos et notos et affines qui eam exheredare videbantur, fecit comburi; subornato etiam quodam Amfrido, quem modo fecimus in vinculis detineri, qui confessus est quod multos innocentes, alios ad ignem, alios ad tonsuram per testimonium suum congerit (*sic*), magistro Conrardo judicium fulminante. Et horum accusatio paulatim cepit ascendere a rusticis ad burgenses honorabiles et eorum uxores, inde ad castellanos et nobiles, et in fine ad comites prope et longe positos. Et magister nulli, quantumvis alte persone, locum dedit legitime defensionis, nec etiam confiteri proprio sacerdoti, sed accusatum oportuit confiteri se hereticum esse, buffonem tactum (?), pallidum virum et hujusmodi monstra dissidentie pacis in osculo salutasse. Taliter quidam catholici abjudicati maluerunt innocenter cremari et salvari quam mentiri de crimine turpissimo cujus non erant conscii, et supplicium promereri quibus ipse magister martyrium promittebat; alii infirmi potius elegerunt mentiri quam comburi (1). Quibus tamen oportuit scolas nominare, et respondebant : « Nescio quem accusem : dicite mihi nomina de quibus suspicionem habetis. » Cumque proponeretur de comite Scinensi, de comite [de] Aneberg (*a*), de comitissa de Loz, respondebat evadere volens : « Illi ita rei sunt ut ego, et illi in scolis fuerunt, ut ibi ego fui. » Et sic frater fratrem, uxor virum, dominus servum accusavit. Alii dabant pretia tonsoratis ut docerent modum evadendi, et facta est confusio a seculis inaudita. Ego archiepiscopus magistrum Conrardum primo solus, postea cum duobus archiepiscopis Coloniensi et Treverensi, monui ut moderatius et discretius in tanto negotio se gereret; qui non acquievit, sed tandem contra nostram monitionem crucem publice predicavit Maguntie. Quo viso quidam interfecerunt eum prope Marburg. Tandem congregati apud

(*a*) Correxit Leibnitz *Heuneberg*; rectius tamen legendum *Arnsberg*.

(1) De insolito modo procedendi in haereticos quo magister Conradus utebatur, cf. *Chronic. Erphord.* ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 391.

Frankenvort cum archiepiscopis et episcopis usque ad XXV et multis imperii principibus (1), deinde dominica *Letare Jerusalem* (2) apud Moguntiam examinavimus comitem Seinensem et alios de quibus habita est questio, et restituimus eos fame et possessionibus. Mendacibus pro perjurio injuncta est penitentia septennalis; eos qui innocentes accusaverant, ad pedes domini pape transmisimus; qui magistrum Conrardum occiderant excommunicati sunt; de pueris scholaribus qui cum aliis ad ignem concurrerunt, inquisitio si sint irregulares; de innocenter mortuis queritur consilium pape. »

Quid ad hoc dominus papa rescripserit nondum scimus, nisi quod poenitet eum satis quod tantam dicto magistro Conrardo potestatem permiserit, unde talis confusio emerserit (3). Insuper visio quaedam visa est in Alemannia de novo, per quam conjicitur quod idem Conrardus sit damnatus, etc.

Apud Hagenowe, 26 aprilis.

Henricus, Romanorum rex, ministro et hominibus Uraniae mandat ut ab hominibus claustri de Wettingen nullam prorsus exactionem vel precariam requirant.

(Edit. ap. Tschudi, *Chronic. Helvet.*, t. I, p. 130.)

---

(1) Cf. supra, p. 630, et nomina testium p. 632 et 634.

(2) Scilicet quarta quadragesimae dominica (2 aprilis), quum hoc anno Paschae in die vicesima tertia aprilis inciderent.

(3) Quid papa super his decreveril, ex *Annalibus Wormatiensibus* partim comperimus. Postquam Conradi de Marburg et sociorum ejus necem audiveril, in praesentia nuntiorum a principibus Alemanniae ad curiam Romanam missorum, dixil : « Ecce Alemanni semper eranl furiosi, et ideo nunc habebanl judices furiosos. » « El statim expedilis nunliis... jocunde eos remisit, firmiter inhibendo ne sententiae tales unquam servarentur, sed sanclorum Patrum et sacrae Scripturae series et instiluta unquam in perpetuum super talibus negotiis quae tangunl inquisitionem haereticorum, firmiter observarentur. Affirmabal etiam dominus papa omnes clericos esse irregulares, qui huic facto interfuerunt, consenserunl vel viderunt. » Ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 477, 478.

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, fidelibus suis ministro et universis hominibus Uranie gratiam suam et omne bonum. Cum ex consueta benevolentia nostra Cisterciensem ordinem sincerius diligamus, jura et libertates fratrum ejus volumus inviolabiliter observari. Mandamus vobis sub pena gratie nostre districte precipientes quatenus ab hominibus claustri de Wettingen in valle Uranie constitutis nullam prorsus exactionem vel precariam requiratis, quoniam nolumus ut fiat aliqua ratione, sed volumus ut gaudeant omni libertate qua ab antiquo ordo et fratres Cistercienses sunt gavisi. Indubitanter scituri quod quicumque vestrum infringere mandatum nostrum presumpserit in hac parte, in rebus eum proinde et in corpore puniamus, quia dictum claustrum sub nostram protectionem et imperii recepimus specialem.

Datum apud Hagenowe, VI kalendas maii, indictione septima.

Apud Wimpinam, 10 maii.

Henricus, Romanorum rex, notum facit quod, principum dictante sententia, Henricus Wormaciensis episcopus villam Neckerowe cum pertinentiis obtinuit, in cujus possessione eumdem per scultetum de Lutra mittendum judicat.

(Edid. Schannat, *Histor. episc. Wormat.*, Cod. probat., p. 118.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium publicam facimus protestationem quod dilectus princeps noster H. venerabilis Wormaciensis episcopus apud Winpinam, in presentia nostra et magnatum imperii subscriptorum dictante sententia, obtinuit et evicit villam Nechkirowe cum omnibus pertinentiis suis ecclesie Wormaciensi attinere, et nos ipsum judicavimus prelibatis per omnia instituendum, et per Siffridum fidelem nostrum scultetum de Luttra misimus in possessionem prescriptorum. Et volumus ut ipse et ecclesia sua Wormatiensis suique successores prelibata

quieta et pacifica possideant possessione; mandantes et per gratiam nostram firmissime precipientes (a) ut nulla omnino persona alta vel humilis ipsum et ecclesiam suam et successores suos in prelibata possessione et restitutione ipsi adjudicata audeat perturbare vel inquietare. Quod qui fecerit a gratia sit exclusus.

Testes sunt hi : S. venerabilis Moguntinus archiepiscopus, H. marchio de Badin, ... dux de Tecke, B. dux Spoleti (1), E. comes de Friburc, ... comes de Lewinstain, H. de Niffin et duo filii ejus H. et Gotfridus, C. de Durna, W. pincerna de Limpurc, C. pincerna de Winterstetin, Ludewicus de Schiffha, C. de Winsperc, et alii quamplures.

Actum apud Winpinam, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quarto, VI idus maii, indictione VII.

Henricus, Romanorum rex, burgensibus et universis consulibus et civibus Goslariae mandat ut monasterium de Walkenried immune manuteneant a theloneis et exactionibus quae ab ipsis imperio debentur, dum eadem ecclesia per privilegium patris sui et suum omni servitio libera esse debeat. Wimpinae, 11 maii.

(a) Ap. Schannat *praecipimus*, minus recte.

(1) Postquam Raynaldus dux Spoleti indignationem imperatoris incurrerit, Bertholdus frater ejus in Introducum se recepit (vid. supra, t. III, p. 286, not. 1), ubi usque ad ann. 1233 obsessus remansit. Cujus deditionem his verbis Riccardus de Sancto Germano enarrat : « [Mense aprili] Rainaldus dictus dux Spoleti mandato imperatoris ducitur apud Introducum sub custodia ab Henrico de Morra magistro justitiario, ut idem dux castrum ipsum reddi faciat imperatori a Bertholdo fratre suo qui illud tenebat. Quod facere idem Bertholdus ad interventum Messanensis archiepiscopi repromisit. — Mense julio Bertholdus Introducum magistro justitiario resignavit, et ipse cum duce fratre suo assecuratus abiit extra regnum quo voluit. » Quin de isto Bertholdo in privilegio Henrici regis agatur non dubitamus. Titulum ducis Spoleti post Raynaldi fratris sui mortem verisimiliter adeptus erat. Fuerit ne tamen in gratiam imperatoris jam receptus, an potius apud regem honorifice tractatus ea ipsa causa quod ab imperatore hostiliter haberetur, non sat bene constat.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 248, n° 329, ex copia quam ipsi Volgerus communicavit, super originali apud Goslariam desumpta.)

Datum Wimpine, V idus maii, indictione septima.

Wimpinae, 26 maii.

Henricus, Romanorum rex, de plenitudine consilii sui praeposito et conventui de Adelberg mansum unum apud Heilbronn, de quo annuatim marcam unam sibi reddere solebant, confert.

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgartensi, cujus nobis liberaliter vir egregius Kansler copiam fecit. Sigillum cerae fuscae impressum, filis sericis rubris flavisque et viridibus appendet.— Memorat. ap. C. JAGER, *Geschichte der Stadt Heilbronn*, t. I.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hee littere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Noveritis nos dilectis nostris preposito et conventui in Adelberc de plenitndine consilii nostri, divine remunerationis intuitu, mansum unum in Hoeilicbrunnen, de quo nobis annuatim marcam unam nomine census nobis solebant reddere, contulisse. Ne autem in posterum dicto preposito et suo conventui in collatione nostra memorata aliqua possit calumpnia suboriri, presens scriptum sub sigilli nostri munimine indulsimus eisdem.

Hujus facti nostri testes sunt : S. Maguntinus [archi]episcopus, H. nobilis de Nifen et filii ipsius H. et G., E. dapifer de Walpurc et C. pincerna de Wintderstetin, H. camerarius et F. frater ejus de Ravenspurc, C. et A. de Stoifen, W. de Wimphen et W. de Hoeilicbrunnen ministri regis, H. filius Berle de Halle et minister ibidem, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno Domini M° CC° XXX° IIII°, indictione VII.

Datum Wimpine, VII kalendas junii.

Henricus, Romanorum rex, notum facit quod in judicio coram se Hallis habito super controversia quae inter G. comitem de Loewenstein et conventum de Madelberg vertebatur de advocatia curiae in Churemberch, sancitum fuit ut comiti super indebita impetitione silentium imponeretur. [Wimpinae,] 26 maii.

(Inedit. ex originali, ut putat Kausler, qui nobis idem instrumentum communicavit. Intercidit sigillum, remanente cordula caerulea ex qua pependit. Rescriptum tamen potius quam genuinum esse censemus, dum magni momenti mendae, praesertim in nomine primi testis et notatione anni, animadvertantur.)

Hainricus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, omnibus Christi fidelibus, hoc scriptum intnentibus, fidem adhibere snbscriptis. Ad cunctorum volumus pervenire noticiam quod cum lis inter nobilem virum, G. comitem de Lewenstain ex una, et prepositum et conventnm de Madelberch, ordinis Premonstratensis, verteretur ex parte altera, super advocatia curie in Churemberch, quam sibi idem comes violenter et contra justiciam nitebatur vendicare et suo dominio subjugare, contradicente prefato preposito et conventu quod nichil haberet juris in ipsa curia, nec in aliquibns bonis ad ipsorum monasterium pertinencium (*sic*), ratione advocatie vel cujuscumque dominii; partibus igitur coram nobis conparentibus in judicio, in civitate Hallis habito, ex parte prefati prepositi et conventus sui evidenter fuit ostensum, et per autentica litterarum instrumenta legittime conprobatnm quod, ut premisimus, prefatns comes nullam omnino in predictam curiam haberet jurisdictionem. Unde a cunctis coram nobis ibidem consistentibus, per ordinariam sentenciam fuit sancitnm, nt sepefato comiti super indebita impetitione prelibate curie silentium imponeremus, et predictos viros religiosos in sua libertate defenderemus. Quod de plenitudine consilii nostrorum assessorum, protinus duximus adimplendum, mandantes sculteto civitatis

Hallis quatinus dictam curiam in nostram reciperet protectionem et defenderet, nec pateretur ipsam ab aliquibus invasoribus molestari. Sed ne in posterum dicto preposito et suo conventui per sepefatum comitem seu suos posteros aliqua possit suboriri calumnia, presens scriptum sigilli nostri munimine concessimus roborandum (1).

Testes horum sunt : Sifridus (*a*) Maguntinus archiepiscopus, H. nobilis de Niffen, et filii ejus H. et G., G. nobilis de Hohinloch, E. dapifer de Walppurch, C. pincerna de Winterstetin, W. pincerna de Limpurch, H. dictus Berler, et alii quamplures.

Acta sunt antem hec anno Domini M°CC°XXX° quinto (*b*), indictione VII°, VII° kalendas junii.

Apud Wirzeburg, 29 maii. Henricus, Romanorum rex, burgravio de Friedberg et scultetis in Franckfurt, Wezlar et Gelnhausen notum facit se velle ut ab ecclesia de Arnsburg de bonis ejus in quocumque suo oppido constitutis, nulla precaria vel exactio requiratur.

(Edider. Lersner, *Frankfurter Chronik*, pars II, p. 198. — Boehmer, *Cod. diplomat. Moenofrancof.*, t. I, p. 58.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilectis fidelibus suis Ludolfo burgravio de Frideberch et scoltetis de Frankenfort, de Wetflar et de Geilinhusin, et universis civibus earumdem pro tempore constitutis, gratiam suam et omne bonum. Innata nobis benivolentia nos compellit ut ordinem Cisterciensem ad imitationem progeni-

(*a*) In pergamena *Siboto*, male.

(*b*) Sic in pergamena, dum luce clarius legendum sit *quarto*.

(1) Unde conjiciendum arbitramur mandatum Hallensi sculteto directum paulo ante Hallis scriptum fuisse, nunc tamen apud Wimpinam sententiam sub forma solemni in posterum duratura promulgatam.

torum nostrorum sincerius diligamus, et fratrum in eo Deo militantium intendamus commodo et honori. Qua de re noverit universitas vestra quod nos ad instantiam et petitionem dilecti fidelis nostri Alberti abbatis de Arnspurc, eidem ecclesie talem fecimus gratiam et dedimus libertatem ut de omnibus bonis ejusdem ecclesie in quocumque nostro oppido constitutis nullam prorsus precariam seu steiuram aut exactionem aliquam requiramus vel requiri aut accipi permittamus, sed volumus ut ab omni exactionum genere sint liberi penitus et immunes. Mandantes et sub interminatione gratie nostre precipientes ut nulla unquam persona humilis vel alta hanc nostram libertatem sepedicte ecclesie collatam infringere audeat, aliquam a bonis ejus precariam exigendo. Quod qui facere presumpserit, iram nostram gravissimam sentiet et offensam. Ad hujus itaque facti nostri perhennem memoriam, presens privileginm conscribi et sigillo nostro jussimns insigniri.

Testes hii sunt : Sifridus Maguntinus archiepiscopns, Hermannns Herbipolensis episcopns, Cunradus abbas Sancti Galli, Deigenhardus imperialis aule prothonotarius et prepositus Sancti Joannis in Houge, Wernerus prepositus de Gicheburc; laïci, comes Heinricus de Seyne, Rupertus comes de Kastele, Heinricus de Nipha, Eberhardus de Eberstein, Gerlacus de Butingen, Heinricus de Hagenowe, Philippus de Bolandia, Lutolfus burgravius de Frideberc, et alii quamplures.

Datum apud Wirzeburc, anno Domini M.CC.XXXIIII°, quarto kalendas junii, indictione VII.

Anno MCCXXXIV verbum crucis praedicatur contra Stagingos (1) per inferiores partes Theutoniae et Flandriae. Collecto 2 junii.

(1) « Fuerunt autem Stadingi populi in confinio Frisiae et Saxoniae siti, paludibus inviis et fluminibus circumcincti, qui pro suis excessibus et subtractionibus decimarum multis annis excommunicati, contemptores clavium Ecclesiae sunt inventi. Qui cum essent viri strenui, vi-

itaque universo exercitu crucesignatorum (1), in crastino Ascensionis iidem Stagingi superantur et a terra sua funditus extirpantur... Quorum in praedicto bello circiter ad duo millia perierunt (2), paucis superstitibus ad vicinos Frisones confugientibus. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 366.

Apud Noremberg, 4 junii.

Henricus, Romanorum rex, advocato et burgensibus de Turego mandat ut monasterium de Cappel pro domo ejusdem apud Turegum libertate frui permittant, neque in steiura quam civitas regi praestare debet, idem conferre cogant, ita ut super hoc claustrum sibi iterum non recurrat.

(Memor. et extract. ap. GER. MEYER VON KNONAU, *Archiv für Schw. Gesch.*, t. I, p. 91.)

Datum Nuremberg, II nonas junii, indictione VII.

---

cinos populos, immo et comites et episcopos bello pluries sunt agressi, saepe victores, raro victi. » Hactenus Godefridus Coloniensis. Ap. CASSEL, *Sammlung*, 123, adest foedus inter archiepiscopum et ecclesiam Bremensem ex una parte et burgenses Bremenses ex altera contra Stadingos initum : « Diutina Stethingorum adeo invalescente insania quod non solum imperialis auctoritatis proscriptionem promeruerunt, verum etiam sancte matris Ecclesie offensam in tantum incurrerunt quod ipsorum incorrigibilibus requirentibus excessibus, dominus papa ipsos hereticos decernens, consilio maturo crucem cum maxima indulgentia ad ipsorum exterminium predicari mandavit..... Datum Breme, anno Domini MCCXXXIII, XI kalendas aprilis. » Cf. supra, t. III, p. 497 et not. 1.

(1) Cujus exercitus duces aderant archiepiscopus Bremensis, dux Brabantiae, comites Hollandiae, Gelrensis et Clevensis. Qui omnes terram Stadingorum simul invaserunt die vicesimo septimo maii, ut legimus ap. Albertum Stadensem, Emonem et Menconem, et in *Histor. imperat.*, ap. Mencken.

(2) Cladis locum *Oldenesche* (*Altenesch*) Albertus Stadensis vocat. Numerus autem Stadingorum occisorum multe major, dum sex millia superaverit.

Henricus, Romanorum rex, ad requisitionem abbatis de Cappel, Constantiensis dioecesis, abbatissae de Turego mandat ut eidem abbati molendinum apud Bontispuel cum quibusdam terris adjacentibus sub quodam certo et annuo censu in perpetuum relinquere debeat, ita ut omnis controversia inter eosdem sopiatur. Apud Nuremberg, 4 junii.

(Memorat. et extract. ap. Meyer von Knonau, loco supr. citat., p. 91.)

Datum apud Nuremberg, II nonas junii, indictione VII.

Henricus, Romanorum rex, monasterium de Valle Sanctae Crucis noviter fundatum sub sua speciali protectione recipit, una cum nuntiis pro necessitatibus ejusdem ad colligendas elemosynas mittendis. Apud Nurmberg, 16 junii.

(Ineditum ex originali in archivo Stuttgartensi.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit gratiam suam et omne bonum. Attendentes ipsius gratiam pietatis in cujus nutu posita sunt universa, a quo regni culmen recepimus, cupientes illi merito complacere, illud non minimum censemus inter opera caritatis religiones plantare et plantatas in suo jure salubriter confovere. Hinc est quod nos novellam plantationem quam dextera plantavit Altissimi de Valle Sancte Crucis (1), ordinis Cisterciensis, serenitatis oculo prospicientes, ad petitionem dilec-

---

(1) Scilicet *Heiligkreuzthal*, juxta Riedlingen.

tarum nobis . . . abbatisse et conventus monasterii Vallis Sancte Crucis, presentium auctoritate locum ipsum et personas cum omnibus que in presentiarum possident aut in futurum justis modis poterunt adipisci sub nostram et imperii specialem recepimus protectionem. Si quos vero nuncios pro suis necessitatibus ad colligendas elemosinas in finibus regni nostri miserint, sub eadem protectione nostra recipimus et conductu; volentes ut ad omnia agenda sua egressum liberum habeant et regressum. Mandamus itaque sub pena gratie nostre firmiter precipientes quatenus nullus sit qui predictas abbatissam et conventum monasterii prelibati presumat vel audeat molestare. Quod qui fecerit noverit a majestatis regie gratia se exclusum.

Datum apud Nurimberg, XVII kalendas julii, anno incarnationis Domini M° CC° XXXIIII°, indictione VII°.

Apud Nuremberg, 20 junii. Henricus, Romanorum rex, Bertholdo Argentinensi episcopo et ecclesiae ejus quidquid juris in castro de Tanne (Than) novo vel antiquo ipse rex habuit, confert, promittitque eis contra impetitionem Ferretensium etiam in judicio se fore favorabilem.

(Edid. LAGUILLE, *Histoire d'Alsace*, t. II, preuves, p. 38.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Ad notitiam singulorum volumus pervenire quod nos ad declarandum plenum gratie nostre favorem circa dilectum principem nostrum B. Argentinensem episcopum et suam ecclesiam, contulimus et donavimus ei et sue ecclesie quicquid juris in castro de Tanne novo vel antiquo habuimus vel habere aliquomodo videbamur et eorum pertinentias universas. Ad hec promisimus adhibere totis desideriis et conatibus operam efficacem quod idem episcopus et ecclesia sua super ipso castro et suis pertinentiis ab impetitione et conquestione Ferracensi (a) absolvant[ur]. Quod si forte facere non

(a) Scilicet *comitum Ferreti*.

possemus, cogente jure et qnerimonia eornmdem, quia sumus omnibus jnstitie debitores, iu judicio si tandem ad hoc perventnm fuerit, eis quautum salva honestate nostra possumus, bona fide favorabiles esse volumns et benigni, nt episcopus et ecclesia memorata plenum affectum nostrum experiri valeaut cum effectu.

Actum apud Nuremberg, anuo gratie millesimo ducentesimo tricesimo quarto, quarto kalendas julii, indictioue septima.

Henricus, Romanorum rex, sculteto de Northusen mandat ut quos repererit aliquid de bonis ecclesiarum Sanctae Crucis et beatae Virginis extra muros civitatis injuste detinentes, ea universa cogat restituere, civibusque ut sculteto manifestent si quos in occulto bona eadem detinere sciverint. Apud Altenburg, 30 junii.

(Edidit FÖRSTEMANN, *Geschichte von Nordhaus.*, 2ª pars, p. 7, ex chartular. claustri beatae Mariae dicti *Neuwerk*, in sec. XV exarato, et ex copia vidimata.)

H., Dei gratia Romauorum rex et semper augustus, fidelibns snis sculteto qui pro tempore fuerit et uuiversis civibns de Northuseu graciam snam et omne bonum. Cnm bona ecclesiarum Sancte Crucis (1) et beate Virginis extra mnros civitatis que Novnm Opns dicitur, sint distracta et ex dinturuitate temporis detineantur contra justiciam a quibnsdam, uon sine gravi sue salutis dispendio ac etiam periculo animarum snarum, mandamus tibi, scultete, snb obtentu gratie nostre firmiter injungentes quatenus omnes eos quos repereris aliquid de bonis ecclesiarum ipsarum injuste aliqno modo detinere, cogas auctoritate nostra restituere universa,

---

(1) « Hoc anno, II nonas junii, regia villa Northusen in parte majori cum conventualibus ecclesiis Sanctae Crucis et Minorum fratrum incendio consumpta est. » *Chronic. Erphord.* ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 394.

tautum super hoc faciens quod studium tuum proinde merito commendemus. Vos eciam cives qui scitis aliquos iu occulto bona eadem detinere, ne culpe sitis participes eorumdem, sculteto manifestetis, auxilium et consilium prestituri eidem ut recuperentur plenarie boua ipsa, sicut et diviuam et nostram graciam promereamini ex hoc ipso.

Datum apud Aldenburg (1), II kalendas julii, indictione septima.

[Junio vel julio.] Henricus, Romanorum rex, notum facit quod, cum pater suus imperator civitatem Northusen imperio duxerit retinendam, promisso ecclesiae Northusensi competenti restauro, ipse in partem restauri tradidit et donavit ipsi ecclesiae jus patronatus parrochiae Sancti Blasii.

(Edider. Ayrmann, *Sylloge anecdot.*, p. 299, et Förstemann, *Geschichte von Nordhaus.*, 2ª pars, p. 6-7; ambo tamen minus integre.)

Iu nomiue sancte et individue Trinitatis. Henricus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Licet simus omuibus ecclesiis in Domiuo debitores ut eorum profectibus desideria nostra coucurraut, eas tamen que immediate nobis et imperio pertinere noscuutur, prosequi volumus gratia speciali. Ad notitiam igitur singulorum presentis temporis et futuri volumus pervenire quod cum serenissimus pater noster dominus imperator olim iu transmutatione et reformatione Northuseusis ecclesie, civitatem Northusen que cum omuibus juribus suis et pertiueutiis eidem

---

(1) Quod hoc tempore curiam apud Altenburg rex habuerit, testatur *Chronic. Erphord.* ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 393. « Quos etiam (scilicet Erphordenses) rex proxima curia circa festum Udalrici (4 julii) in Aldenburc habita, suo banno ac regiae proscriptioni sententialiter innodavit, » propter discordiam inter cives istos et archiepiscopum Moguntinum, eorum dominum, exortam. Qui quidem a die 12 aprilis usque ad 30 julii divinis caruerunt; sed satisfactione tandem archiepiscopo praestita, divina ibidem resumpta sunt.

ecclesie ex antiquo pertinuisse dignoscitur, imperio duxerit retinendam, promisso ipsi ecclesie competenti restauro, sicut ex privilegio suo patet (1), quod et nos duximus approbandum; nos pro salute ipsius patris nostri ac nostra, in partem restauri contulimus, tradidimus et donavimus predicte ecclesie et canonicis ejus jus patronatus parochie Sancti Blasii Northusensis et quicquid juris imperium et nos habuimus in eadem, ut decanus et capitulum plenam et liberam habeant facultatem ordinandi de ipsa parochia quicquid placuerit voluntati eorum, sive voluerint ad augmentum prebendarum suarum convertere fructus ejus, sive ad usus alios, prout sibi viderint expedire. Ut igitur hec nostra donatio debitam et perpetuam obtineat firmitatem, presentem paginam inde conscriptam sigilli nostri appensione fecimus communiri; sub obtentu gratie nostre firmiter inhibentes ne ulla persona alta vel. . . . .

. . . .

Actum anno Domini M. CC. XXXIV (2).

Henricus, Romanorum rex, Thegenhardo imperialis aulae protonotario et vicedomino Magdeburgensi indulget facultatem eligendi advocatum quem voluerit bonorum in Guzstein quorum ipse provisor existit, et exercendi bannum regium ibidem, quum ipsi et ecclesiae Magdeburgensi id bannum pertinere velit. Apud Altenburg, 2 julii.

(Edid. Ledebur, *Allgemeines archiv für die Preuss. Staates* (1834), pars XVI[a], p. 274.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilecto fideli suo Thegenhardo imperialis aule prothonotario et vicedomino Magdeburgensi gratiam suam et omne bonum. Cum Magdeburgensis ecclesia

(1) Vid supra, t. I, p. 807.

(2) Cum nulla alia chronologica nota appareat, arbitrari licet hoc privilegium apud Altenburg mense junio vel julio, sicut praecedens documentum, fuisse datum.

non sine gravibus rerum dispendiis pura fide ac devotione sincera semper adheserit patri nostro Friderico serenissimo Romanorum imperatori ac nobis, exhibendo grata servitia imperio, dignum esse censemus ut respectu servitiorum ipsorum ac etiam tue devotionis intuitu, ipse (*sic*) ecclesie faciamus gratiam specialem. Hinc est quod cum tu liberam habeas advocatiam bonorum in Guczstein eidem ecclesie pertinentium, quorum tu provisor existis, tibi de munificentie nostre gratia indulgemus ut liberam habeas facultatem eligendi quem volueris advocatum, ac etiam removendi et immutandi eumdem, quemcumque et quotiescumque tue placuerit voluntati. Ad hec ut gratia gaudeas ampliori, regium bannum tibi et ecclesie Magdeburgensi tuisque successoribus concedendum duximus, indulgentes ut is quem pro tempore elegeris advocatum vel tuus successor elegerit auctoritate tua et ecclesie, bannum habeat et omnimodam potestatem judicandi causas tuas et proponendi ac etiam terminandi easdem, tanquam tutor et actor tuus et ecclesie vesterque legitimus mundiburdus; sed et cum ab advocatia remotus fuerit, in banno nichil juris penitus retinebit, quia ad ecclesiam sepedictam et te tuosque successores, qui provisores ipsorum bonorum pro tempore fuerint, ipsum bannum perpetuo volumus pertinere. Ut igitur hec libertas et gratia ecclesie ipsi facta perpetuam obtineat firmitatem, presenti privilegio eam duximus confirmandam.

Actum apud Aldemburg, anno gratie millesimo CC. XXXIIII°, VI nonas julii, indictione septima.

Apud Altenburg, 3 julii.

Henricus, Romanorum rex, decano et capitulo Goslariensis ecclesiae areas civitatis et census earumdem confirmat, jubens ut si quis censum debitum de areis non persolverit, in sexaginta solidos ab advocato regio condempnetur.

(Edid. Leuckfeld, *Antiquit. Poeld.*, append., t. IV, p. 289, n° XVII.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilectis

sibi V. decano totique capitulo Goslariensi gratiam suam et omne bonum. Quod ecclesiam vestram et vos bone fidei diligamus affectu, ex studio voluntatis nostre perpendere poteritis evidenter. Ecce enim gratiam a primis ecclesie vestre fundatoribus vobis factam super omnibus areis civitatis Goslariensis et censibus earumdem, sicut in vestris privilegiis continetur, auctoritate regia confirmantes, statuimus et sancimus ut quia eedem aree ad ecclesiam vestram spectant et possessores earum proprie salutis immemores censum vobis debitum de eisdem in certis pensionum terminis persolvere non procurant, si quis monitus post debite solutionis terminum infra mensem non persolverit censum suum, ab advocato qui pro tempore fuerit auctoritate regia in sexaginta solidos condempnetur, quorum medietas ecclesie, reliqua vero medietas fisco cedat. Ad hec si qui plures areas redegerint in unam vel forte redegerunt in futurum, de singulis singulariter debitum dare censum cogantur per advocatum, sicut superius est expressum. Ut autem hec gratia vobis facta debitam et perpetuam obtineat firmitatem, presentem paginam inde conscriptam impressione sigilli nostri fecimus communiri.

Actum apud Aldenburch, anno gratie M. CC. XXXIIII, presentibus Sigfrido archiepiscopo Moguntinensi, Burchardo electo Magdeburgensi, Ekeberto Bambergensi, Hermanno Herbipolensi, Engelhardo Nuenburgensi, Ekardo Mersburgensi, Conrado Osnabrugensi episcopis, A. duce Saxonum, H. comite Ascharie, B. burgravio Magdeburgensi, et aliis quamplurimis.

Datum ibidem, V nonas julii, indictione VII.

Henricus, Romanorum rex, Johanni abbati Sancti Georgii Nuemburgensis, ad preces Thegenhardi imperialis aulae protonotarii, indulget facultatem eligendi advocatum quem voluerit, et exercendi bannum regium, quum ipsi et ecclesiae ejus id bannum pertinere velit. Apud Altenburg, 4 julii.

(Edid. LEPSIUS, *Gesch. der bischofe von Naumburg*, t. I, p. 276, ex originali in archivo Weimariensi asservato, sed, ut arbitramur, non ad unguem transcripto.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilecto fideli suo Johanni, abbati Sancti Georgii Nuenburgensi, gratiam suam et omne bonum. Incliuati precibus et supplicationi dilecti fidelis et familiaris nostri Theoderici (*a*) imperialis aule prothonotarii, ac etiam intuitu pietatis ut meritorium fiat nobis, volumus tibi et ecclesie tue gratiam facere specialem. Hinc est quod cum tu liberam habeas advocatiam ecclesie tue, tibi de munificentie nostre gratia indulgemus ut liberam habeas facultatem eligendi quem volueris advocatum ac et[iam] removendi et immutandi eumdem, quandocunque et quotiescunque tue placuerit voluntati. Ad hec ut gratia gaudeas ampliori, regium bannum tibi et ecclesie tue duximus concedendum, indulgentes ut is quem pro tempore elegeris advocatum, auctoritate tua bannum habeat et omnimodam potestatem judicandi causas tuas et proponendi ac terminandi easdem, tanquam tutor et actor ecclesie ac legitimus mundiburtus ipsius. Sed et cum ab advocatia remotus fuerit, in banno ipso nihil juris penitus retinebit, quia ecclesie tue et tibi tuisque successoribus volumus ipsum bannum perpetuo pertinere. Ut igitur hec libertas et gratia tibi facta perpetuam obtineat firmitatem, presenti privilegio eam tibi et ecclesie tue tuisque successoribus confirmamus.

Actum apud Altenburg, anno gratie millesimo CC. XXXIIII, quarto idus (1) julii, indictione septima.

Apud Aldenburg, 5 julii.

Henricus, Romanorum rex, ecclesiae Goslariensi privilegium a

(*a*) Sic : evidenter tamen legendum *Thegenhardi*.

(1) Mendose, licet ex originali transumptum dicatur. Rex nempe quarto idus julii (12 julii) apud Egram morabatur. Unde vice *idus* legendum *nonas* proponimus.

proavo suo Friderico I imperatore indultum confirmat, eamdem eximit ab omni advocatorum vexatione, diversaque jura ibidem expressa ecclesiae et canonicis renovat vel concedit.

(Edid. HEINECCIUS, *Antiquit. Goslar.*, lib. III, p. 248.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Etsi omnium ecclesiarum profectibus intendere debeamus, illarum tamen commodis et utilitatibus nos convenit specialius providere que nobis et imperio specialiter sunt adstricte. Hinc est quod nos universis presentibus et futuris volumus fieri manifestum quod nos libertatem et gratiam que provisa est nostre Goslariensi ecclesie per privilegium proavi nostri dive recordationis quondam Friderici imperatoris contra importunitates multiplices et pressuras quas advocati ejus in ipsam consueverant exercere, videlicet hereditates et reliquias litonum ecclesie sibi contra justiciam usurpando et locando mansos novis colonis in ipsius ecclesie prejudicium et gravamen; auctoritate regia de totius nostri consilii providentia duximus confirmandam, sub obtentu gratie nostre firmiter inhibentes ne quis cujuscumque conditionis alta persona vel humilis, ecclesiastica vel mundana, libertatibus privilegii ejusdem aliquo modo derogare presumat vel alias contra tenorem ipsius ecclesiam audeat molestare. Preterea, sicut in ipso privilegio constat esse prohibitum et statutum, sic et nos de novo statuimus inhibentes ut, quia advocati pridem ad ecclesiarum defensionem provisi facti sunt in plerisque locis ex defensoribus offensores, ne super bona in Werre que ad ecclesiam ipsam spectant vel quecumque alia non habentia advocatos, que ad presens habet ecclesia memorata vel in futurum prestante Domino justis modis poterit adipisci, aliquis admittatur aut possit aut debeat fieri advocatus. Nullus etiam alius quam yconomus ecclesie cui commissa fuerint ipsa bona, potestatem habeat in illis aliquid ordinandi. Ad hec libertates pariter et honores concessos predicte ecclesie et canonicis illibatos non solum conservare, sed etiam totis nostris desideriis ampliare volumus; statuentes ut juxta tenorem privilegii alterius quod indulsit eis imperator predictus, in curtibus claustralibus vel in domibus nullus advo-

catus nec aliqua secularis persona preter nostram propriam personam aliquid juris vel judicii habeat vel sibi in posterum usurpare presumat. Volumus etiam ut si quis in vite periculo constitutus in curtem seu domum claustralem confugerit, ibi ab omni persecutore et judice sit securus, nec aliquis eum inde presumat educere violenter. Familiam etiam canonicorum nullus habeat judicare nisi familie dominus vel decanus. Ceterum curtes, molendina et domos que ecclesie supradicte vel canonicis specialiter et integraliter pertinere noscuntur, ab omnibus precariis et talliis ac exactionibus quas laici dare solent, liberos esse decernimus et immunes. Ut igitur hec statuta et prohibitiones nostre majestatis, quas propter honorem Domini et ob salutem nostram pro commodo et utilitate Goslariensis ecclesie sancivimus, robur obtineant debite et perpetue firmitatis, presenti privilegio eas fecimus annotari, sigilli nostri munimine roborantes easdem.

Testes hii sunt : Sifridus archiepiscopus Maguntinus, Burchardus Magdeburgensis electus, venerabiles domini Ekebertus Babenbergensis, Hermannus Herbipolensis, Ekehardus Merseburgensis, Engelhardus Nuwenburgensis, Conradus Osnaburgensis episcopi, Otto dux Bawarie palatinus comes Reni, Albertus dux Saxonie, Heinricus comes Ascarie et Heinricus filius suus, Heinricus landgravius Thuringie, Hermannus marchio de Baden, Heinricus marchio de Misne, Conradus burgravius de Nuremberch, Burchardus burgravius Magdeburgensis, comes Egno de Urach, Burchardus et Gevehardus fratres de Querenvorde, Otto comes de Ravensberch, Heinricus de Nifen, Conradus pincerna de Wintersteden, Henricus camerarius de Ravensburch, Heinricus marscalcus de Bappenheim, et alii quamplures.

Actum anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXXIIII, tercio nonas julii, indictione septima, anno vero regni nostri quarto decimo.

Datum apud Aldenburch, anno, mense, indictione prenotatis.

Signum domini Heinrici Romanorum regis invictissimi. (*Monogramma.*)

Henricus, Romanorum rex, ad petitionem Bernardi abbatis et conventus monasterii de Buch, idem monasterium cum omnibus bonis ejus in protectione sua suscipit, eique bona sua sita in Nidabudowitz et Kogelant pleno jure confert et donat. Apud Altenburg, 10 julii.

(Edit. ap. SCHOETTGEN et KREYSIO, *Diplomatar.*, t. II, p. 181; coll. cum originali in archivo Dresdensi, n° 319, unde pendet adhuc sigillum cereum.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Ad hoc divina disponente providentia ad regni gubernacula nos credimus sublimatos, ut loca divino cultui mancipata teneamur liberalitate regia promovere, servorumque Dei utilitatibus in confirmatione privilegiorum nostrorum nec non in aliis temporalibus subsidiis subvenire. Noverit igitur tam presens etas quam successura posteritas quod nos ob reverentiam intemerate virginis Dei genitricis Marie, peticioni abbatis Bernhardi et confratrum suorum monasterii de Buch Cysterciensis ordinis de providentia consilii nostri satisfacere cupientes, ipsum monasterium cum omnibus hominibus et possessionibus, quas in presentiarum canonice possidet et in futurum justis modis poterit adipisci, sub nostram et imperii protectionem suscipimus ac patrocinium speciale, dicta bona cum suis pertinentiis eidem auctoritate regia confirmantes. Ad hec pro remedio anime nostre et divorum progenitorum nostrorum, memorato monasterio quod ab ipsis dotatum dinoscitur quodque tanquam familiare et dilectum inter monasteria Cystercii ordinis nobis specialiter reputamus, de benignitate regia omnia bona nobis pertinentia sita in Nidabudowiz et Kogelant, que annuatim quinque libras Liznikgensis monete nobis taxacione legitima persolvebant, pleno jure conferimus et donamus, in usus et utillitatem abbatis et fratrum prelibati monasterii in perpetuum possidenda ac cum omni integritate juris et libertate, tam presenti quam futura, suis usibus retinenda. Statuimus

itaque sub interminacione gratie nostre firmissime precipientes ut nulla umquam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, hanc donacionem sepe dicto monasterio indultam infringere audeat aut ei alicujus ingenii scrupulo contraire. Quod qui facere presumpserit, indignacionem tremendi judicis nostreque celsitudinis gravissimam offensam se noverit incursurum. Ad cujus etiam facti nostri robur in posterum valiturum, presens privilegium conscribi et sigillo nostro jussimus insigniri.

Testes hii sunt : venerabiles Sifridus Maguntinus, Burchardus Magdeburgensis archiepiscopi, Eckebertus Babinbergensis, Hermannus Herbipolensis, Conradus Osnaburgensis, Engelhardus Nuemburgensis, Eckehardus Merseburgensis episcopi, Otto dux Bawarie palatinus comes Reni, Albertus dux Saxonie, Heinricus lantgravius Thuringie, Heinricus marchio Misnensis, Heinricus comes Ascharie, Hermannus marchio de Baden, Burchardus burgravius Magdeburgensis, Conradus burgravius de Nuremberc, comes Otto de Ravensberc, comes Dietricus de Tekneburc, Heinricus marscalcus, Heinricus de Nifen, Waltherus pincerna de Limpurc, Conradus pincerna de Winterstedeu, Heinricus camerarius de Ravensburc, Heinricus et Heinricus fratres advocati de Wida, et alii quamplures.

Actum anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, sexto idus julii, indictione septima, anno regni ejus quarto decimo.

Signum domini Heinrici Dei gratia Romanorum regis invictissimi. (*Monogramma.*)

Datum apud Altenburc, anno, mense, indictione prenotatis.

Apud Egram, 11 julii. Henricus, Romanorum rex, ad utilitatem civitatis suae Egrensis, sectionem in ea de vico Schiphgaze ab Henrico de Libenstein comparat, et ei novalia in Gruoene juxta montem Thilchelberg cedit.

(Edit. ap. *Monum. Boica*, tom. XXXI, pars I[a], p. 558, e libro copiali antiquiss — Memorat. autem a Bruschio in *Monasteriologia*, p. 249.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus hanc litteram inspecturis in perpetuum. Cum circa profectum imperii nostra celsitudo invigilat, cauta deliberatione sibi providet cum ea que decreverit vel fecerit scriptorum memorie recommendat. Per presens itaque scriptum notum esse cupimus tam presentibus quam futuris quod nos utilitati et libertati civitatis nostre Egrensis volentes intendere, sectionem que in ipsa erat de vico quodam Schipbgaze dicto, qui Henrico de Libenstein fideli nostro pertinebat, pro honestate imperii censentes nobis et imperio inhonestam, de voluntate dicti Henrici de Libenstein pro vico prenotato facto concambio, eidem novalia in Gruvene ad nos pertinentia juxta montem qui Thilchelberg appellatur, concedimus et commutamus. Ut autem presens commutatio sive concambium nobis et imperio, Henrico de Liebenstein et suis heredibus permaneat inconvulsum, presentem litteram sigillo nostre celsitudinis fecimus roborari.

Testes sunt hii : Eggebertus venerabilis Babenbergensis episcopus, comes Egeno de Vriburc (Freyburg), . . . lantgravius de Leuggenberch (Leuchtenberg), Henricus de Nifen, Otto de Eberstein, Cunradus pincerna de Winterstetten, Eberhardus de Hertingesberg, et alii quamplures.

Datum apud Egram, anno dominice incarnationis M. CC. XXXIIII, V idus julii, indictione septima.

Henricus, Romanorum rex, comiti Egenoni de Friburg et de Urach pro gratis ejus servitiis confert in feodum flumina quaedam ibidem expressa cum rivis et montanis adjacentibus, jubens ut quidquid auri in fluminibus et argenti in montanis invenerit, in ejus utilitatem cedat. Apud Egram. 14 julii.

(Edid. SCHOEPFLIN, *Hist. Zaringo-Bad.*, cod. diplomat., t. IV, p. 190, ex archivo Bada-Durlacensi.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis

imperii sui fidelibus gratiam snam et omne bonum. Innata nobis requirit benignitas devotorum nostrorum et imperii devota obsequia sereno vultu respicere et eorum promotionibus tanto amplius intendere quanto ipsorum obsequiosa voluntas se servilem studuit exhibere. Hinc est quod nos attendentes fidelia obsequia et devota que fidelis noster comes Egeno de Friburg et de Urach in diversis agendis nobis et imperio hactenus exhibuit et que sua devotio in antea poterit exhibere, ipsum hiis fluminibus Renchental, Wisen, Brigen, Kinzechen usque Gengenbach, et nominatim Milenbach, Elzach, Treysonia, Brega et Danubio usque ad Ymmendingen, cum universis rivis qui predictis fluminibus recipiuntur et cum eorumdem fundis necnon universis montanis eisdem fluminibus et rivis superjacentibus, maxime cum de nostro fideliter sit consilio et de nostra sit familia, de regia munificentia eumdem duximus infeodandum. Volentes ut quidquid auri in supradictis fluminibus sive in rivis ac universis fundis eorumdem invenerit et quidquid invenerit argenti in montanis, hec ad suam suorumque heredum jure feodali sine omni contradictione cedant utilitatem. Ut autem predicta nostra gratia eidem maneat inconcussa, presentes ei damus litteras sigillo nostro roboratas.

Acta sunt hec anno M. CC. XXX. IIII.

Datum apud Egram, II idus julii, indictione septima.

Apud Nurimberg, 15 augusti.

Henricus, Romanorum rex, super lite inter ecclesiam Halisbrunnensem (Heilsbronn) et viduam Cuonradi de Anindorf, de bonis quibusdam, coram Heinrico de Niffen cognita, sententiam fert, ut filius viduae ipsa bona tantum ad dies vitae teneat, et pro illis annuatim LX denarios ecclesiae solvat.

(Edit. in Wölckern, *Histor. Norimb. diplom.*, t. II, p. 95, n° 9. — Schutz, *Corp. Hist. Brandenb.*, Syllog., 71, n° 34. — Correctius autem, praecipue in testium nominibus, ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars I*, p. 214, n° 721, ex originali cujus sigillum periit.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens litera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Cum inter ecclesiam nostram Halisbrunnin et relictam Cuonradi de Anindorf pro quibusdam bonis sitis Anindorf lis et questio verteretur, coram nobis et Heinrico de Niffin quem ad cognoscendam causam deputaveramus, sic exstitit diffinitum quod filius ejus . . . ipsa bona teneat ad tempora vite sue, et ipsa ecclesia singulis annis de ipsis bonis in festo Martini recipiat LX denarios pro possessione, et sic defuncto ipso filio ipsa bona cum integritate redeant ad usus ecclesie prenotate, et si habuerit heredes, ipsis bonis non succedant. Ad hec protestamur quod prelibatus . . . ipsa bona non habet auctoritatem obligandi vel infeodandi seu alienandi ab ecclesia antefata, et si factum fuerit, tenore presencium revocamus et decernimus non valere.

Hujus itaque facti testes sunt : Eberhardus de Monte, Heinricus de Monte, Burchardus de Witansdorf, Cuonradus de Festinberc, Heinricus de Gisilingin, Heinricus de Vendibach, C. butiglarius de Nuorinberc, Cuonradus Biginot, Hermannus filius suus, Bertholdus Scuteloch, et alii quamplures.

Actum apud Nuorinberc, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quarto, XVIII kalendas septembris, indictione VII^a.

Henricus, Romanorum rex, pro remedio animae suae domui Sancti Lazari ecclesiam suam Meyringen sitam in loco Hasilthal cum jure patronatus et omni libertate perpetuo possidendam confert. Apud Nuremberg, 15 augusti.

(Edit. in *Solothurn. Wochenblatt*, ann. 1827, n° 39, p. 376.)

Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Cum fragilis sit vita hominis et morte nihil

certius, hora vero mortis nihil incertius, nos plus expavescentes ipsius hore incertitudinem quam ipsius mortis certitudinem, pro remedio anime nostre et progenitorum nostrorum contulimus domui Sancti Lazari ecclesiam nostram Meyringen sitam in terminis Burgundie in loco qui dicitur Hasilthal, cum jure patronatus ecclesie ejusdem et omni libertate perpetuo possidendam; volentes ut defuncto plebano ejusdem ecclesie Burcardo de Ueberlingen, fratres ipsius domus ipsam ecclesiam in usus fratrum et pauperum domus prenotate redigant et convertant; quoniam desiderii nostri est eamdem domum largioribus et uberioribus beneficiis dilatare. Mandamus igitur et sub interminatione gratie nostre et imperii firmissime precipimus ut nulla sit omnino persona ecclesiastica vel mundana, alta vel humilis, que huic nostre donationi audeat obviare vel ipsam alicujus ingenii scrupulo infirmare. Quod qui fecerit indignationem omnipotentis Dei nostreque majestatis offensam se sciat gravius incurrisse. Ad hujus itaque facti evidentiam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium ipsis fratribus indulsimus sigilli nostri munimine communitum.

Testes sunt hi : Sigfridus venerabilis Moguntinensis archiepiscopus, Eggibertus Bambergensis, Hermannus Herbipolensis episcopi, Henricus marchio de Burgau, Rupertus comes de Castel, Egino comes de Friburg, Heinricus de Niffen, Gottfridus de Hohenloch, Otto de Eberstein, Conradus de Tannenwerde, Waltherus pincerna de Limperg, Conradus pincerna de Winterstetten, Lupoldus et Eberhardus fratres de Grindelach, et alii quamplures.

Actum apud Nuremberg, anno incarnationis Domini M. CC. XXXIV, decimo quinto kalendas septembris, indictione septima.

Apud Nuremberg, 21 augusti.

Henricus, Romanorum rex, abbatem et fratres de Buch Cisterciensis ordinis cum hominibus et bonis eorum sub protectione sua suscipit, indulgetque ut quidquid a persona libera sive mi-

nisteriali justis modis obtinuerint, hoc libenter non requisito assensu suo recipiant.

(Edit. ap. Schoettgen et Kreysio, *Diplomatar.*, t. II, p. 181; coll. cum originali in archivo Dresdensi, n° 320.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Ad hoc divina disponente providentia ad regni gubernacula nos credimus sublimatos ut loca divino cultui mancipata teneamur liberalitate regia promovere servorumque Dei utilitatibus in confirmatione privilegiorum nostrorum necnon in aliis temporalibus subsidiis subvenire. Noverit igitur tam presens etas quam successura posteritas quod nos, ob reverentiam intemerate Virginis Dei genitricis Marie, petitioni abbatis et fratrum de Buch Cisterciensis ordinis de providentia consilii nostri satisfacere cupientes, ipsum monasterium cum omnibus hominibus et possessionibus suis quas in presentiarum canonice possidet et in futurum justis modis poterit adipisci, sub nostram et imperii protectionem suscipimus ac patrocinium speciale, dicta bona cum suis pertinentiis eidem auctoritate regia confirmantes. Ad hec pro remedio anime nostre ac successorum nostrorum hanc eis gratiam facimus et licentiam indulgemus ut quascumque possessiones in agris, vineis, pratis, terris cultis seu incultis, pascuis, nemoribus, aquis aquarumque decursibus a quacumque persona libera sive ministeriali, nostra vel imperii, titulo donationis, emptionis seu concambii memoratum monasterium de bonis imperii sive de proprietatibus infeodatorum vel ministerialium imperii obtinuerit justis modis, non requisito super hoc speciali assensu nostro et imperii, licenter recipiat et de majestatis nostre gratia in perpetuum absque contradictione qualibet quiete obtineat et possideat pleno jure. Statuimus itaque sub interminatione gratie nostre firmissime precipientes ut nulla unquam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, hanc libertatem sepedicto monasterio indultam infringere audeat aut ei alicujus ingenii scrupulo contraire. Quod qui facere presumpserit, indignationem tremendi judicis nostreque celsitudinis gravissimam offensam se noverit incursurum. Ad cujus etiam facti nostri robur in posterum va-

liturum, presens privilegium conscribi et sigillo nostro jussimus insigniri.

Testes hii sunt : Sifridus Moguntinus archiepiscopus, Ekkebertus Babenbergensis, Hermannus Herbipolensis episcopi, comes Egeno de Vriburc, Heinricus de Niffe, C. burgravius de Nuremberg, Otto de Eberstein, Cunradus pincerna de Wintersteten, Heinricus camerarius de Ravinspurc, Cunradus de Smidevelt, Eberhardus de Monte, et alii quamplures.

Actum anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXXIIII°, XII kalendas septembris, indictione septima.

Datum apud Nurenberc, anno, mense, indictione prenotatis, anno vero regni nostri quarto decimo.

Apud Nuremberg, 23 augusti.

Heinricus, Romanorum rex, petente Bambergensi episcopo, statuit ne cives Bambergenses ad aliena judicia de caetero evocentur.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXXI, pars I^a, p. 559, et in Heyberger, *Cod. probat. sup. Fürth.*, n° 28. — Memoratum quoque ab Hoffmanno ap. Ludewig, *Scriptor. rer. Bamberg.*, p. 156.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Ad instantiam et petitionem dilecti principis nostri Babenbergensis episcopi, quem sua nobis fidelitas et devotio reddunt non immerito gratiosum, statuimus et sub obtentu gratie nostre ab omnibus precipimus inviolabiliter observari ne cives Babenbergenses ad aliena judicia de cetero quisquam audeat evocare; sed si quis eos convenire voluerit, forum sequatur eorum secundum consuetudinem et statuta civitatis ejusdem, justitiam coram ipsorum judice recepturus. Si quis autem contra presens statutum venire presumpserit, sciat se indignationem nostram graviter incurrisse.

Datum apud Nuirenberc, anno Domini M. CC. XXXIIII, X kalendas septembris, indictione VII.

Henricus, Romanorum rex, notum facit quod, ad imitationem patris sui Romanorum imperatoris, fratres domus Theutonicorum Sanctae Mariae in Jerusalem ab omni pedagio et theloneo in finibus regni sui liberos constituit. Apud Nurimberg, 23 augusti.

(Edit. in *Brandenburg. Usurpations-Gesch.*, p. 101; nunc collatum cum copia authentica in archivo Stuttgartensi.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus et officiatis hanc litteram inspecturis gratiam suam et omne bonum. Cum dilecti fideles nostri fratres domus Theutonicorum Sancte Marie in Jerusalem a serenissimo domino imperatore privilegium habeant speciale ut nullum pedagium, nullum teloneum de personis vel rebus suis solvere teneantur, cumque per devota obsequia sua que nobis et imperio die noctuque exhibent, meruerint et promereri possint in antea ut eis de benignitate regia teneamur facere gratiam specialem, universitati vestre tenore presentium volumus notum esse quod nos ab omni pedagio et ab omni genere thelonei in finibus regni nostri predictos fratres domus Theutonicorum eximimus et liberos constituimus; regia auctoritate mandantes vobis et sub pena gratie nostre firmissime precipientes ut nullus sit qui prenotatos fratres in hac gratia nostra presumat occasione aliqua impedire. Quod qui fecerit indignationem nostram se sentiet incurrisse.

Datum apud Nurimberc, anno dominice incarnationis MCCXXXIIII, X kalendas septembris, indictione VII^{ma}.

Henricus, Romanorum rex, fratribus domus Theutonicorum Sanctae Mariae in Jerusalem apud Nurenberg, propter obsequia Apud Nurimberg, 30 augusti.

sibi et imperio exhibita, molendina quaedam, ibi descripta et a Conrado burgravio de Nurenberg in manus suas delegata, donat.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars I*, p. 216, n° 723, ex originali cujus sigillum periit. — Et ap. Stillfried, *Monum. Zoller.*, t. I, p. 38.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustns, universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris presentem litteram inspectnris in perpetnum. Cnm divine misericordie cnjus magnitudo intellectnm excedit humanum, incrementa in nobis continna sentiamus, merito illi quod in nobis est devote impendimus, ut loca divino cultui et pauperum snstentationibus mancipata munificentie nostre beneficiis augeamns. Noverit igitur tam presens etas quam successura posteritas quod nos attendentes preclara obsequia qne dilecti fideles nostri fratres domns Theotnnicorum Sancte Marie in Jerusalem nobis et imperio exhibent incessanter, ob reverentiam intemerate Virginis Matris Domini, cessione quam dilectns fidelis noster Conradus burcgravins de Nnerenberg fecit liberaliter in manus nostras recepta de molendino apnd Nnerenberc sito inter salices et campum, extendens se a civitate Nurenberg usqne ad domum leprosorum in inferiori parte strate, de orto sito apnd dictnm molendinnm, de molendino apnd Vischbah et de molendino dicto vulgariter Liubmannismnole, predicta molendina et ortum prenotatum hospitali Sancte Marie domns Theotunicorum apud Nuerinberg in remedium anime nostre et successorum nostrorum regum et imperatorum dedimns et concessimus, cum omnibus suis pertinentiis possidenda. Statnentes et anctoritate regia firmiter precipientes ut nulla umqnam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, hanc nostre donationis et concessionis paginam presumat infringere vel ei ausu temerario contraire. Quod qni fecerit indignationem Dei nostreqne celsitndinis gravissimam offensam se noverit incursnrum. Ut autem presens donatio et concessio facta tam per nos qnam per burcgravinm snpradictnm eidem hospitali et fratribns apnd Nuerinberg inviolabilis observetur, presentem paginam sigillo nostre celsitudinis fecimns roborari.

Testes hujns rei sunt : Sypheridns venerabilis Maguntinus archiepiscopns, Eggebertus Babenbergensis, Heinricns Eistetensis episcopi, Hein-

ricus marchio de Burgove, comes Egeno de Vriburg, comes Hartmanus de Qniburg, comes Rnodolfus de Raprehtswilar, Heinricus de Niffen, Heinricus de Ravenspurg imperialis aule camerarius, Heinricus marschalcus de Babbenheim, et alii quamplures.

Datnm apud Nuerinberg, anno dominice incarnationis M° CCXXXIIII°, tercio kalendas septembris, indictione septima.

Henricus, Romanorum rex, Ulrico praeposito et fratribus Sanctae Crucis apud Augustam renovat litteras et concessiones Philippi regis, quae ibidem inseruntur. Apud Nurimberg, 30 augusti.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, pars I^a^, p. 215, n° 722, ex originali unde sigillum fere illaesum appendet ex filis sericis rubri et viridis coloris. — Privilegium autem Philippi regis extat *Ibidem*, tom. XXIX, pars I^a^, p. 499.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Sicut ea que per culminis nostri eminentiam geruntur vel gesta fuerint, rationabiliter desideramns a nostris successoribns observari, ita predecessorum nostrorum acta nostris temporibus stabilire volnmus ne per nos vel per aliquem valeant immutari. Accedens ad presentiam nostram Volricus, honorabilis prepositns vivifice Crucis apud Augnstam, tam pro se quam pro fratribus ejusdem monasterii supplicavit humiliter ut privilegium sive obligationem factam per litteras dive recordationis Philippi regis consangninei nostri confirmare et renovare de benignitate regia dignaremur. Nos itaque eorum precibns inclinati, literas easdem de verbo ad verbum presenti pagine duximus inserendas; cujus (quarum) tenor talis est :

In nomine sancte et individne Trinitatis. Philippus secundus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Augustalis eminencie laudabilis stabilitas inter ceteras qnibus decenter ornatur virtutes usqne adeo circa universa gesta sua florem constancie consuevit observare

quod nil quod statuit seu quod clementer admittit ob ullum in futurum emergentem casum sinit aliquatenus irritari vel preter rationis tramitem immutari. Quam ob rem et nos in omnibus actis nostris veram constanciam volentes esse comitem, ea que rationabiliter a nobis statuuntur, ne per tractum temporis in errorem deducantur, litterarum iudiciis decrevimus perennari. Noverint igitur universi tam presentis etatis quam in evum successure posteritatis homines quod nos a preposito et fratribus vivifice Crucis apud Augustam necessitatem habentes accredere pecuniam, CC marcas examinati argenti apud ipsos mutuavimus, pro quibus in annua pensione XX libras Augustensis monete de villicationibus nostris Otringen et Durenkeim ipsis obligavimus; indulgentes ut ipsi eam pensionem annuatim pacifice percipiant quoaddum nos vel heredes nostri, si nos decedere contigerit, pretaxatas CC marcas ipsis cum integritate persolvamus, et persoluto vel a nobis vel ab heredibus nostris ipsis hoc argento, ea obligatione cessante, ipsa bona vel ad nostrum vel heredum nostrorum domanium revertentur. Hanc igitur obligationem memoratis fratribus confirmantes, de regie etiam benignitatis largitate sepedictis fratribus indulgemus et concedimus ut quicumque de ministerialibus nostris pro salute vel sua vel parentum suorum ecclesie vivifice Crucis sive de mobilibus sive immobilibus suis aliquid conferre decreverint, nos id gratum et ratum habentes ipsi ecclesie regia auctoritate confirmamus. Statuentes et regio districto firmiter precipientes ne alicui de cetero persone ecclesiastice vel seculari, alte vel humili, hanc nostre concessionis divalem paginam licitum sit infringere vel ei aliquo improbitatis ausu contraire. Quod qui facere presumpserit, L libras auri examinati componat, quarum medietas injuriam passis, reliqua vero medietas camere nostre persolvatur. Ut autem hec obligatio atque concessio inconvulsa et inviolabilis observetur, presentem exinde paginam conscribi jussimus et nostri sigilli caractere communiri.

Hujus rei testes sunt : Udescalchus Augustensis episcopus, comes Ludowicus de Helfenstein, comes Ulricus de Berge, comes Albertus de Dilingen, Kadelohus de Kirchperc, Bertholdus de Nifen, Hiltebrandus marscalchus de Rehperc, Swiggerus de Mindelberc, Cuonradus Spannagel, et alii quamplures.

Signum domini Philippi secundi Romanorum regis invictissimi. (*Monogramma.*)

Ego Cunradus imperialis anle cancellarius recognovi.

Acta sunt hec regnante domino Philippo secundo gloriosissimo Romanorum rege, anno ab incarnatione Domini MCC, anno regni ejus tertio.

Datum per manus Sifridi regalis aule prothonotarii, apud Ulmam, IIII kalendas decembris, indictione III.

Nos itaque attendentes paupertatem monasterii prelibati, prelibato preposito et fratribus vivifice Crucis apnd Augustam obligationem et concessionem factam eisdem auctoritate regia confirmamns et presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes nt nulla nmqnam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, predictos prepositnm et fratres ecclesie prenotate presumat super obligatione et concessione ac nostra hujusmodi confirmatione vel audeat impedire. Quod qui fecerit indignationem Dei nostreque celsitudinis gravissimam offensam se noverit incursurum. Ut autem presens pagina inviolabilis conservetur, ipsam sigillo nostre celsitudinis fecimus roborari.

Testes sunt hii : ... archiepiscopus Magnntinns, Eggebertns Babenbergensis, Heinricns Eistetensis episcopi, Heinricns marchio de Burgove, comes Egeno de Vribnrg, comes Hartmannns de Quibnrg, comes Ruodolfus de Raprehtswilar, Heinricus de Niffen, et alii quamplures.

Signum domini Heinrici Dei gratia Romanorum regis invictissimi. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXIIII, regnante domno Heinrico, gloriosissimo Romanorum rege, tercio kalendas septembris, indictione septima.

Datum apud Nuoerinberg, anno, mense, indictione prenotatis, feliciter. Amen.

Henricus, Romanorum rex, Conrado episcopo Hildeshemensi scribit quomodo semper mandatis patris sui obedierit et pro ip- Apud Esslingen. 2 septembris.

sius ac imperii honore laboraverit; nunc autem, quum ipse pater malevolis seductus consiliis erga se durius agat, illum rogat ut una cum caeteris imperii principibus supplicent eidem quod in nullo honorem suum diminuat vel immutet.

(Edit. ap. SCHANNAT, *Vindem. litter.*, t. I, p. 198-200, ex codice Maguntino qui videtur episcopi Hildesheimensis liber copialis fuisse. Anno 1793, in incendio cathedralis ecclesiae Maguntinae, dum civitas a Borussis obsideretur, librum quoque igne consumptum ferunt.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilecto principi sno C. venerabili Hildesheimensi episcopo gratiam snam et omne bonum. Recolit plene sinceritas tna nec a memoria credimus esse lapsum qualiter serenissimns dominus imperator pater noster ad apicem regni Alemannie in imperio ei feliciter successnros de paterne dilectionis benivolentia et principum gratia nos promovit. Cumque filiali reverentia, ut tenemnr, intenderemns huc usque ipsius per omnia beneplacitis et mandatis, insistentes sollicite . . . . cordis desiderio affectando, omnia que fecimus in Alemannia digna relatu et consilio priucipum et baronum, ad augmentum imperii disposnimns et ad promovendnm serenissimi patris nostri commodnm et honorem. Novit enim prudentia tna qnomodo dominns papa, sumpta occasione, volebat dominnm ac patrem nostrum non solum gravare, verum etiam ab imperialis honoris cnlmine deponere, ad hoc omni ingenio et totis viribus aspirando; cui nos patenter et potenter resistimns et nos opposnimns, submittentes periculo personam, res pariter et honorem. Et cum snper eodem negotio dominns Otto cardinalis legationis officio specialiter in partibus Alemannie fnngeretur, archiepiscoporum, episcoporum et aliorum prelatorum colloquia qne ad incommodum patris nostri idem cardinalis indixerat, pro posse et nosse fecimus impediri (1); propter quod non solum predicti legati, verum etiam domini pape et car-

(1) Cf. supra ad ann. 1229, t. III, p. 115, et ad annum 1230, *Ibidem*, p. 438, 439.

diualium omninm indignatiouem gravissimam incnrrimus, sicut etiam principibus omuibus non ignotum. Ad hec cnm Ludewicus, olim dux Bavarie, domino et patri nostro opposuisset se cum suis fautoribus mauifesto, nos collecto exercitu cnm non modico rerum nostrarum dispendio, terram suam hostiliter iugrediendo coegimus eum qnod a vexatione et resistentia patris uostri destitit et cessavit, ac obsides dare promiserat super eo, licet postmodum causis aliis emergeutibus non dederit (1). Quo facto reversi de Bavaria cnm triumpho, alium collegimus exercitum ad obsidendum apud Argeutiuam predictnm cardinalem (2), qui nt dictum est Allemanniam intraverat ad impedimeutum et humiliationem imperatorie majestatis. Vernmtamen ad instantiam et consilium mnltorum priucipum, videlicet archiepiscoporum et episcoporum et etiam magnatnm imperii, solvimus exercitum nostrnm et dimisimus illa vice. . . . .
. . . . laboribus et expensis. Saue cnm propter causas quasdam junior dux Bavarie manifeste se opponeret patri nostro, exercitum collegimus iterato coutra eumdem, arctantes ipsum dare obsidem filinm suum, tali adhibito laudameuto quod nunquam se oppouere attemptaret imperatorie vel regie majestati (3). Demum habito tali triumpho de ipso duce, ad consilinm principum et magnatum pro pace et tranquillitate patrie reformanda et pro aliis urgentibus negotiis ac nominatim ad extirpandam hereticam pravitatem, solempnem curiam apud Frankenfort celebravimns gloriose (4), nbi tanta erat principum multitudo qnalis longe a retroactis temporibus non est visa. In qua curia multas intelleximus querimonias de castris et muuitionibus aliis, de quibus rapine et inceudia fieri consueverunt, et dictante seuteutia principnm et aliorum nobilium, diffiuivimus statuendo qnod eadem castra et mnuitioues propter dampua data et inceudia perpetrata debeant destrui et funditus demoliri. Et quia siugula loca non poteramus personaliter pertransire, de prudentia consilii nostri

(1) De hac expeditione ad annum 1229 mense julio circiter collocanda, nullum aliud superest documentum, sicut supra monuimus. Cf. t. III, p. 115, not. 2, et p. 399, not. 1.

(2) Vid. supra, t. III, p. 221, not. 1, et p. 399, not. 2.

(3) Mensibus scilicet augusto et septembri 1233. Vid. supra, p. 619 et seqq.

(4) Februario 1234; vid. supra p. 630.

fidelem nostrum Heinricum de Nifen ad executionem predictorum a latere nostro duximus destinandum. Quod officium sibi commissum a nobis pro posse et nosse fideliter executus, inter cetera quedam castra nobilium virorum fratrum de Hohenloch dictante sententia et justitia destruebat. Super his omnibus primo Dei altissimi et tuum ac aliorum principum testimonium invocamus. Verum cum super his premissis grata ac debita debuimus premia reportare, quidam emuli nostri qui forsan per alia non possent servitia familiares et gratos se reddere imperatorie dignitati, aut quia utriusque diligunt incommodum et sitiunt lesiones, attemptant et attemptarunt inter dominum imperatorem et nos discordie scandalum suscitare (1). Quorum malignis suggestionibus et malitiosis dominus et pater noster, eheu! faciliter inclinatus, immeritam erga nos videtur ingratitudinem exercere, usque adeo quod litteras durissimas et mandata nobis dirigit inconsueta, multa alia faciendo que nec ei expediunt neque nobis. Nam cum de pietate et gratia paterna et ad consilium principum sepedictus dominus imperator potestatem nobis plenariam contulisset conferendi et concedendi beneficia et feoda vacantia, ut ex hoc magnates et nobiles ad utriusque servitium promptiores et plus benevolos haberemus, idem hoc in quibusdam postmodum non servavit in nostrum prejudicium et gravamen. Insuper castra nobilium de Hohenloch superius memorata que per sententiam diruta fuerant et destructa, nostra nos compulit pecunia reparare; et nominatim castrum Langenberc quod cuidam pupillo in solempni curia Frankenfort justitia nos cogente per sententiam fuerat restitutum, a patre nostro jussi fuimus revocare et Godefrido de Hohenloch assignare. Quod cum de jure et salvo honore facere non possemus, nolentes in aliquo paternis beneplacitis obviare, eidem Godefrido duo millia marcarum de camera nostra in restaurum castri dedimus memorati. Preterea sine causa necessaria civitatem Northusen que nobis et imperio plus esset utilis, obligavit et eamdem obligationem ratam compulit

(1) Primam inter se et patrem suum summotam discordiam, necnon et juramenta quibus seipsum mense aprili 1232 innodaverit, omnino rex sub silentio praetermittit, licet res prius actas commemoret.

nos habere. Filium ducis Bawarie quem obsidem habuimus pro utriusque cautela et filium marchionis de Baden quem sponte et ultro nobis obtulit, immo devotius supplicavit ut ne aliquam de ipso diffidentiam haberemus, eum in obsidem recipere dignaremur, per dura precepta patris nostri quibus contraire nec volumus nec debemus, non sine maxima verecundia restituere cogebamur. Telonium quoque in Baccherah quod in solempni curia Frankenfort, dictante sententia principum, inhibitum fuerat duci Bavarie et deinde idem dux expresse abjuravit, contra factum nostrum et principum veniens, feodali jure duci contulit memorato. Siquidem nobiles et magnates, vasallos et ministeriales seu alios quoscumque venientes ad ipsum et detrahentes hinc inde nobis, eis credulas aures adhibendo, audit et exaudit, dans litteras et mandata revocatoria de factis nostris in non modicam nostram ac suam et imperii lesionem. Predictis itaque mandatis et preceptis dominus et pater noster quasdam comminationes addidit inconsuetas, videlicet si in aliquo eorum que nobis specialiter tunc mandavit inveniremur etiam in minimo negligentes, quod nuntios et litteras nostras de cetero non reciperet vel audiret. Procuravit etiam apud Sedem Apostolicam quod per quosdam Alemannie principes denuntiati debueramus excommunicationis vinculo innodari (1); quod tanto gravius erat nobis quantum perniciosius est exemplo et contra omnia jura tam ecclesiastica quam mundana, cum de nulla contumacia vel delicto convicti fuerimus vel confessi, immo etiam nec commoniti nec citati. Unde merito credendum non esset vel etiam presumendum a Sede Apostolica, a qua jura prodire debent et non injurie, tales litteras et mandata contra personam nostram de certa scientia emanasse. Ad obviandum itaque salutifere his malis sepe sepius direximus solempnes nuntios nostros, et nunc excellentissimos quos habemus, videlicet venerabiles Moguntinum archiepiscopum et Bambergensem episcopum (2), dilectos familiares prin-

---

(1) Cf. epistolam papae archiepiscopo Treverensi directam, sub dato Reate 5 julii 1234, quae supra, p. 473 et seqq.

(2) Quos quidem in imperiali curia morantes mense novembri hujus anni invenimus. Cf. supra p. 502, 507, 509.

cipes nostros, ad pedes imperialis eminentie misimus iterato, supplicantes devotissime patri nostro ut emulorum nostrorum relatibus credulus non existens filialem devotionem a paterne dilectionis gratia non excludat. Hec salva gratia serenissimi patris nostri scribi fecimus non in modum querimonie et querele, sed recitando ea leviter et de plano; rogantes attentissime et monentes prudentiam tuam de qua indubitatam fiduciam obtinemus, quod tu et alii principes, cum imperium maxime consistat in vobis, detis consilium oportunum qualiter imperium et subditi imperio in tranquillitate et pace permaneant, et quod serenissimus pater noster et vos sic nos ad invicem habeatis quod non solum ipsi et vobis, sed etiam omnibus subditis imperio cedat ad commodum et honorem, et supplicetis eidem una nobiscum humiliter et devote quod honorem nostrum, quem de gratia Dei omnipotentis et sua habere dinoscimur, in nullo diminuat vel immutet. Novit vero ille qui nihil ignorat et qui scrutator cordium est et rerum, noverunt et Alamannie principes universi, specialiter illi qui in nostro latere sunt frequenter, quod postquam a tenera etate recessimus [et] inter bonum et malum, equum et iniquum, justum et injustum, honestum et minus honestum discernere poteramus, nunquam aliquid eorum fecimus ex certa scientia vel ex animo que deberent paterno affectui displicere aut etiam que offendere possent imperatoriam majestatem.

Datum apud Ezzelingen, IV nonas septembris.

(Bopardiae, septembri.) Rex Heinricus Bobardiae conventum quorumdam principum habuit, ubi a quibusdam nefariis consilium accepit ut se opponeret imperatori patri suo. Quod et fecit. Nam ex tunc coepit sollicitare quoscumque potuit minis, prece et pretio, ut sibi assisterent contra patrem, et non paucos invenit. Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 366. — Hoc etiam anno (1234) orta est discordia inter imperatorem et filium suum Heinricum regem, qui consiliis paternis acquiescere nolens, manifeste se ei opponere

attemptavit, quibusdam principibus et baronibus ad se per pecuniam inclinatis. *Chronic. Erphord.*, *Ibidem*, t. II, p. 394. — Incoepit Heinricus rex opponere se totis viribus patri suo Friderico Romanorum imperatori. Offenderat enim in multis patrem suum, et in hoc maxime quod nobilissimam matronam Margaretham conjugem suam, illustris ducis Austriae filiam, deserere voluit et sibi assumere sororem regis Bohemiae (1). Timuit ergo patrem in multis quae fecerat et sciebat eum se gravasse. Et ideo institit rex omnibus modis qualiter imperatori viam ingrediendi Theutoniam praecluderet. Assumptis suis consiliariis,... poscebat obsides a suis civitatibus ut per hoc sibi resistere et patri adhaerere non possent (2). Dati sunt ei itaque obsides ab aliquibus civitatibus. *Annal. Wormat.*, *Ibidem*, t. II, p. 178.— Cf. *Histor. Novient. monaster.* (Ebersheim), *Ibidem*, t. III, p. 30-31.

Henricus, Romanorum rex, civibus Erfordiensibus gratiae suae reformatis et a proscriptionis sententia absolutis jura, libertates et honores quibus hactenus sunt gavisi, innovat et confirmat. Apud Bopardiam, 11 septembris.

(Edit. ap. Lunig, *Reichsarch.*, t. XIV, p. 427.— Falckenstein, *Histor. von Erfurt*, t. I, p. 81.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, etc. Sicut spectat ad culmen regie majestatis rebelles et contumaces quoslibet pro excessibus et enormitatibus suis a jure suisque justitiis repellere; ita decet devotos et reformatos gratie sue juri pariter et honori ac suis justiciis res-

---

(1) Quod ne fieret, viriliter contradixit Conradus abbas Sancti Galli. Cf. Conr. de Fabar. ap. Pertz, *Monum. Germ. histor.*, t. II, p. 180.

(2) Cf. supra, p. 527 et not. 1.

tituere et eosdem ampliori gratia prevenire. Hac siquidem ratione notum esse volumus tam presentibus qnam futnris quod cum universitas civium et hominum de Erffordia exclusa fuisset a gratia nostra et pro querimonia dilecti principis nostri Sifridi venerabilis archiepiscopi Moguntini proscriptionis nostre vinculo innodata (1), et ex hoc viderentur debilitari jura et privilegia civitatis ipsius, reformati gratie nostre et a proscriptionis ejnsdem sententia absoluti, supplicarnnt nobis hnmiliter et devote ut juribus suisque justitiis qnas a progenitoribus nostris divis imperatoribus et regibus a retroactis temporibns habuerunt, cives et homines ipsos et civitatem ipsorum de nostre majestatis gratia faceremus gaudere. Nos igitur ipsorum supplicationibus inclinati, omnia jura, jnstitias, libertates pariter et honores quibus hactenus sunt gavisi ex largitione vel concessione imperatorum seu regum, ipsis civibns innovamus et autboritate regia confirmamus, imo etiam qnantnm potest esse intendimus adaugere; mandantes et sub obtentn gratie nostre districtius inbibentes ne quis in posterum occasione proscriptionis predicte ipsos vel civitatem ipsornm impetere vel gravare presumat. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem nostram se noverit incursurum. Ut igitur hec gratia ipsis facta debitam et perpetuam obtineat firmitatem, presentem paginam inde conscriptam sigilli nostri appensione fecimus commnniri.

Testes hnjus rei snnt : Theodericns Trevirensis, Henricus Coloniensis archiepiscopi, Henricns dux de Limborg, Henricns comes Senensis, Egino comes de Friburg, Henricus de Niphen, Eberbardns et Otto fratres de Eberstein, Gerlacus de Butingen, Fridericns de Ricbensceide, Wernerus de Bonlandia imperialis anle dapifer, Ulricns de Mintzenberg ejusdem aule camerarins, Gerhardns de Sintzeche, Johannes de Gimenik, Eberhardus de Monte, et alii quamplures.

Actum apud Bopardiam, anno gratie millesimo ducentesimo tricesimo qnarto, tertio idns septembris, indictione septima.

(1) Vid. supra, p. 662, not. 1. Mense julio, non expectata absolutione quam archiepiscopus hoc exeunte mense Erfordiensibus concessit, imperator consuetudines et antiqua jura eisdem confirmaverat. Cf. supra, p. 478.

Henricus, Romanorum rex, civibus de Oppenheim libertates et honores quos habet civitas Frankenfort, donat, specialiter de conditione eorum qui hic et illic sturas dare vel sturis immunes esse debent. Apud Boppardiam, 11 septembris.

(Edit. ap. BOEHMER, *Cod. diplom. Moeno-Francofurt.*, p. 59; coll. cum originali in archivo Darmstadensi. Filis sericis viridis coloris appendet sigillum seu potius sigilli fragmentum, ubi ad sinistrum sedilis latus discernuntur adhuc litterae ET DVX S.....)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, fidelibus suis universis civibus de Oppenheim gratiam suam et omne bonum. Devotionem vestram prosequi volentes serenitatis nostre gratia speciali, ecce omnes libertates pariter et honores quos habet civitas nostra Frankenvord vobis ac civitati Oppenheim per presens privilegium tradimus et donamus, ut ad instar civium de Frankenvord perpetuo gaudeatis eisdem; ita videlicet quod sicut illic sturas et precarias dare solent, sic et hic existentes conditionis ejusdem similiter dent vobiscum. Qui autem illic sture vel precarie sunt expertes, debent et vobiscum esse illarum liberi et immunes. Ut igitur hec gratia vobis facta robur obtineat debite firmitatis, presentem paginam inde conscriptam sigilli nostri munimine fecimus insigniri.

Datum apud Bopardiam, anno gratie millesimo CC° XXXIIII°, III idus septembris, indictione septima.

Henricus, Romanorum rex, scultetis et hominibus Leodii, Trajecti, Sancti Trudonis, Hoyii, Tungrorum et Dinantii mandat ut, cum episcopus Leodiensis sententiam principum latam de immu- Apud Spiram, 20 septembris.

nitate ecclesiae Sancti Servatii in Trajecto adimplere non curaverit, ipsi in his quae idem episcopus tenet ab imperio, scilicet theloneo, moneta, judicio et aliis temporalibus, nullam ei faciant obedientiam.

(Inedit. ex chartul. S. Servatii Traject. ap. Bibl. reg. Paris., tom. III, fol. 5 verso.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, fidelibus suis Leodii, Trajecti, Sancti Trudonis, Hoyensibus, Tongrensibus et Dinantibus scultetis et universis hominibus gratiam suam et omne bonum. Cum ecclesia Sancti Servatii de Trajecto que capella nostra et imperii esse dignoscitur, utpote que a divis Romanorum imperatoribus et regibus est fundata et ad ipsum imperium pertinet immediate, a Leodiensi episcopo gravaretur, ex eo quod jurisdictionem in eamdem ecclesiam sibi usurpare voluit quam non habebat, licet ex providentia regia ad probandam intentionem nostram quod eadem Trajectensis ecclesia ad nos et imperium, nullo modo sibi pertineret, diem et locum eidem episcopo peremptorie prefixissemus et plurimum eidem detulissemus ne contra ipsum videremur properare; quia tandem apud Luteram, cum dilecti capellani nostri canonici Trajectenses jam expensis et laboribus exhaurirentur, cum ipsis in jure deesse non possemus in quo sumus omnibus debitores, cum die peremptorio idem episcopus non comparuisset nec pro se jurasset exhibere (?) responsalem, dictante sententia principum et magnatum imperii, jus quod idem episcopus sibi dicebat competere in ecclesia memorata ipsi episcopo et sue ecclesie abjudicassemus et in expensis factis a tempore incepte litis, centum videlicet marcis Coloniensibus quas per juramentum ostenderunt dicti canonici se expendisse taxatione legitima, ipsum episcopum dux[er]imus condemnandum (1) et mandassemus eidem ut a mota vexatione conquiesceret ecclesie memorate et pecuniam solveret prenotatam; quia vero dictus episcopus mandatum nostrum non curavit hactenus adimplere, ne de illata nobis injuria videatur commodum reportare,

(1) Cf. supra, p. 644.

universitati vestre sub obtentu gratie nostre mandamus precipiendo vobis firmiter et districte quatenus in his que a nobis et imperio tenet, thelonio, moneta, judicio et aliis temporalibus, nullam ei faciatis obedientiam vel aliquatenus intendatis, reservando nobis reditus eorumdem quousque super his a nobis mandatum recipiatis speciale. Alioquin, sculteto nostro Aquensi dedimus in mandatis ut per detentionem rerum et personarum vestrarum universitatem vestram compellat exequi quod mandamus.

Datum apud Spiram, XII kalendas octobris, indictione VII.

Henricus, Romanorum rex, episcopo et ecclesiae Basiliensi universa jura per privilegia, consuetudines sive constitutiones legitimas introducta, quibus hactenus gavisi sunt, confirmat. Apud Hagenowe, 3 octobris.

(Edit. ap. WILH. WACKERNAGEL, *Das Bischofs- und Dienstmannenrecht von Basel in deutscher Aufzeichnung des 13 Jahrhunderts* (Basel, 1852), p. 23. — Et ap. TROUILLAT, *Monum. de l'anc. évêché de Bâle*, t. I, p. 539, n° 363, ex cod. diplomat. eccles. Basil., fol. 101.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus presentem literam visuris gratiam suam et omne bonum. Notum fieri volumus universis quod nos attendentes merita dilecti principis nostri venerabilis Basiliensis episcopi, attendentes nichilominus honorem et jus ecclesie et qualiter in flore fidei et constancie nobis et progenitoribus nostris semper adhesit ac assistit fideliter et devote, juxta debitum regie majestatis, ne videremur in dilectione qua fovemus et semper fovere volumus ipsum episcopum et ecclesiam Basiliensem aliquando vacillare, universa jura predicto episcopo et ecclesie prenotate per privilegia, per consuetudines sive constituciones juri consonas a regibus sive imperatoribus vel ab altero cui id licuit introducta, sicut ea omnia usque ad nostra tempora quiete et pacifice perduxerunt, ita ipsum episcopum et ecclesiam Basiliensem in omnibus conservantes gaudere volumus debita libertate.

Datum apud Hageuowe, anno dominice incarnationis MCCXXXIIII°, V uonas octobris, indictione VIII°.

Apud Hagenowe, 6 octobris.

Henricus, Romanorum rex, ad requisitionem abbatissae Thuricensis, sententiam a principibus approbatam promulgat, scilicet quod si quis feudum suum a domino feudi in annum et diem requirere neglexerit, ex tunc feudum ad dominum revertatur.

(Edider. NEUGART, *Cod. diplom. Alemanniae*, t. II, p. 145. — PERTZ, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 304.)

Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, uuiversis presentem litteram visuris gratiam suam et omne bouum. Tenore presentium notum esse volumus uuiversis quod ad requisitiouem dilecte principis uostre veuerabilis abbatisse Thuricensis, talis coram serenitate nostra lata est seuteutia et a priucipibus et magnatibus imperii approbata : quod quicumque feudum suum a domiuo feudi sive feudatoris in aunum et diem recipere vel requirere neglexerit, ex tunc feudum ad dominum feudi revertatur, et de ipso habeat licentiam et liberam facultatem ordinandi sive dispouendi pro suo arbitrio voluntatis. Ut autem super hujusmodi sententia uulla dubitatio oriri possit, presentem cedulam sigillo nostre majestatis fecimus roborari.

Datum apud Hagenau, pridie nouas octobris, indictione VIII (1).

Apud Esslingen, 1° novembris.

Henricus, Romanorum rex, Landolfo Wormatiensi electo gra-

(1) Apud Neugart, ex indictionis numero, haec sententia anno 1220 perperam adscribitur. Nam, ut Pertzius monet, mensis october indictionis octavae non nisi cum anno 1234 congruit; dum Henricus anno 1219 in regem nondum electus esset.

tiam concedit ut omnes qui in civitate ejus Laudenburg elegerint residere, ab omnium hominum obsequiis sint exempti.

(Inedit. ex chartul. Wormat., fol. 296 verso, in archivo Darmstadtensi.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Ex divina providentia ad regni et imperii dignitatem ideo sumus vocati ut ecclesias et res ecclesiasticas debeamus de liberalitatis nostre munificentia in possessionibus ampliare et de nostre serenitatis gratia ampliatas ab omnibus incursionibus fideliter defensare; maxime tamen eos quos specialiter diligimus speciali gratia respicere volumus et debemus, utpote dilectum et familiarem principem nostrum L. Wormaciensem electum (1), cui de nostra benivolentia talem fecimus gratiam et dedimus libertatem quod omnes qui in civitate sua Laudenburg tanquam cives eligerint residere, ab omnium hominum obsequiis sint exempti et nulli nisi domino suo Wormaliensi electo serviant et intendant, sive nobis et alicui ex principibus vel ministerialibus nostris attineat (*sic*) aliquo jure. Volumus etiam quod cives in eadem civitate residentes nostra de cetero gaudeant defensione. Mandamus itaque et precipimus universis sub obtentu gratie nostre et imperii ut nullus sit qui prelibatam libertatem civibus de Laudenburg a nobis indultam audeat aliquatenus infringere vel contra presens privilegium in prejudicium civitatis aliquod attemptare. Quod qui fecerit indignationem regie majestatis nostre se noverit incurrisse, et nos violatores ipsius nostri privilegii non relinquemus impunitos. Ad hujus quoque facti certam evidentiam et robur perpetuo valiturum, presentem litteram nostram scribi fecimus et sigillo nostro communiri.

Testes sunt hii : Conradus abbas Sancti Galli, . . . abbas Campidonensis, Hartmannus comes de Quiburg, Hartmannus comes de Wirtem-

(1) Eodem anno post obitum Henrici episcopi, Landolfus decanus quinta die octobris electus fuerat. « Cui primo valde bene successit, quia breviter ab archiepiscopo Moguntino confirmatus fuit. Et statim accedens Ezzelingen a domino Heinrico rege ibidem existente regalibus est investitus. » *Annal. Wormat.* ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 163.

berg, Hartmannus comes de Dilingen, ... comes de Lowenstein, Heinricus senior de Niffin et Albertus frater suus, et alii quamplures.

Actum apud Esslingen, anno Domini M. CC. XXXIIII, kalendis novembris, indictione VIII.

Apud Esselingen, 1° novembris.

Henricus, Romanorum rex, in favorem Landolfi Wormatiensis electi sententias promulgat : videlicet de diruendis aedificiis et de feudis revocandis quae a praedecessoribus ejusdem electi fuerunt indebite concessa.

(Edid. Schannat, *Hist. episc. Wormat.*, p. 225, in textu.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex, etc., universis imperii fidelibus etc. Cum nos velimus dilectum principem nostrum venerabilem Wormatiensem electum conservare in omnibus justitiis suis, scire volumus universitatem vestram quod talis coram nobis lata est sententia et ab omnibus approbata quod omnes qui aliquibus edificiis occupaverunt curiam ipsius electi, prorsus ipsa edificia demere debent. Insuper per sententiam obtinuit generalem quod redigere debet cum omni integritate ad usus suos omnia feoda illa que ex novo a predecessoribus suis Luipoldo et Henrico sunt concessa et pro feodis licet indebite possidentur. Mandamus itaque et precipimus sub obtentu nostre gratie et imperii ut nullus sit qui memoratum principem nostrum nobis dilectum in ipsis sententiis audeat vel presumat impedire. Quod qui fecerit a gratia nostra sit exclusus.

Datum apud Ezlingen, kalendis novembris, indictione VIII.

Apud Esslingen, 13 novembris.

Henricus, Romanorum rex, rectoribus et universitati civitatum societatis Lombardiae Anselmum de Justingen marescalcum et

Walterum de Thannberg capellanum suum nuntios mittit, monens ut eis tanquam sibi ipsi fidem in omnibus adhibeant.

(Edider. Giulini, *Memor. di Milano*, t. VII, p. 592. — Savioli, *Annal. Bologn.*, t. III, pars 2ª, p. 153. — Pertz, *Monum. Germ. histor.*, t. IV, p. 306.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilectis suis fidelibus imperii (1) gratiam suam et omne bonum. Dilectos fideles nostros Anselmum de Justingen imperialis aule marescalcum et familiarem capellanum nostrum magistrum Walterum de Tanburc, archidiaconum Herbipolensis ecclesie, nuntios in legatione nostra universitati vestre duximus transmittendos, quibus etiam exposuimus nostre beneplacitum voluntatis. Unde rogamus et monemus prudentiam vestram, mandantes vobis quatenus verbis ipsorum que vobis ex parte nostra dixerint vel proposuerint, fidem adhibeatis in omnibus, tanquam ea vobis presentialiter et personaliter loqueremur.

Datum apud Ezlingen, idibus novembris, indictione octava.

Henricus, Romanorum rex, rectoribus et universitati civitatum societatis Lombardiae nuntios supradictos tanquam speciales suos legatos commendat, dum velit quidquid iidem egerint ratum habere; et nuntiis quos ad se Lombardi pro parte ipsorum vicissim mittere disposuerint, suam protectionem et salvum in exitu et regressu conductum promittit. Apud Ezlingen, 13 novembris.

(Inedit. ex libro copiali chartaceo, sub fine seculi XIV exarato, in bibliotheca Mediolani Ambrosiana, B. 19.)

Datum apud Ezlingen, idibus novembris, indictione octava.

---

(1) Ita sub generali forma et verisimiliter ad cautionem, dum re vera rectoribus et universis qui societati Lombardiae adhaerebant, litterae destinatae fuerint.

Apud Esslingen, 14 novembris.

Henricus, Romanorum rex, nuntiis suis supradictis auctoritatem concedit tractandi concordiam, securitates dandi et recipiendi, jurandi etiam in anima sua et juramenta recipiendi, omnia denique faciendi quae sibi utilia videbuntur, haec promittens rata se habiturum.

(Inedit. ex codice bibliothecae Ambrosianae, supra laudato.)

Datum apud Ezzelingen, XVIII kalendas decembris, indictione octava.

Apud Ballemburg et Herbipolim, 17 novembris.

Henricus, Romanorum rex, montem dictum Weltersberg a Conrado Schuelin de Biringen fratribus de Alnvelt resignatum, sibique ab ipsis fratribus contraditum, in jus et proprietatem ecclesiae de Schönthal libere et absolute confert.

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgartensi, quod nobis cl. v. Kausler communicavit. Sigillum illaesum cerae subrufae impressum, ex filis sericis flavi rubrique coloris pendens, habet legendam solitam cum additione ex transverso ad utrumque throni latus ET DUX S-VEVIE.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus divina favente clementia septimus Romanorum rex et semper augustus. Licet religiosas personas cujuscumque ordinis diligamus in Deo, Cystertiensem tamen ordinem specialiter amplexamur brachiis caritatis, eo quod quia sinceriori devotione nobis et imperio pre aliis ordinibus est astrictus, propensiori studio eum in specialem affectum colligere debeamus; firmam spem fiduciamque tenentes quod quicquid ei gratie fecerimus proficiat nobis et nostris progenitoribus ad salutem. Hinc est quod universis presentibus et futuris vo-

lumus fieri manifestum quod nobiles viri Albertus et Bertholdus fratres de Alvelt, fideles nostri, zelo devotionis accensi, montem qui vulgariter dicitur Belthersberg cum suis pertinenciis in nostris manibus resignarunt, sicut ea omnia in eorum manibus resignarat Conradus Schuelin de Byeringen qui bona eadem in feudo tenuerat ab eisdem, et ipsi a nobis nomine feudi tenebant, ut ea ecclesie de Schonental Cysterciensis ordinis traderemus. Nos igitur piis desideriis eorumdem gratum impertientes assensum, contulimus et tradidimus ipsa bona pietatis intuitu eidem ecclesie in jus et proprietatem, ut ea libere et absolute cum omni prorsus jure possideat, sicut predictus Conradus ea dinoscitur possedisse. Subobtentu ergo gratie nostre inhibemus ne ulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis persona, predictam ecclesiam in eisdem bonis aliquo modo molestare presumat. Si quis autem hoc atte[m]ptare presumpserit, centum marcas auri componet, quarum medietas cedet fisco, reliqua vero medietas passis injuriam persolvetur. Ut igitur hec donatio et gratia facta per nos ecclesie sepedicte debitam et perpetuam obtineat firmitatem et dubium super illa nequeat in posterum suboriri, presentem paginam inde conscribi et sigillo nostro fecimus communiri.

Testes hujus rei sunt : Hermannus Herbipolensis episcopus, Conradus abbas Sancti Galli, magister Thegenhardus imperialis aule prothonotarius, Iringus scolasticus in Houge, Ropertus comes de Castello, Eberhardus de Hertingesberge, Heinricus de Rabensburg camerarius, Rodolfus de Vonemberg, Lupoldus Putticlarius, Heinricus de Gyselingen, et alii quamplures.

Acta sunt hec in campo apud Ballemburg, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXXIIII.

Datum apud Herbipolim, XV kalendas decembris, indictione VIII[a].

Henricus, Romanorum rex, clerum, barones, ministeriales et cives Herbipolenses in protectionem specialem recipiens, et de- Herbipoli, 18 novembris.

fensionem mutuam spondens, protestatur quod promissiones et juramenta, ad honorem majestatis regiae et specialiter intuitu personae suae facta, nunquam ultra instantem necessitatem extendet.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 218, nº 724, ex originali unde sigillum valde laesum appendet ex filis sericis rubri et subflavi coloris. — Memoratum quoque a Frisio ap. Ludewig, *Geschichr. von Wirzb.*, p. 558.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilectis fidelibus suis domino Hermanno venerabili episcopo, Ottoni preposito, Arnoldo decano totique capitulo majoris ecclesie Herbipolensis gratiam suam et omne bonum. Confitemur, promittimus et presenti pagina protestamur quod promissiones et juramenta que ad honorem et reverentiam regie majestatis et specialiter intuitu persone nostre barones, ministeriales et cives Herbipolenses spontanea voluntate et liberalitor emiserunt, nec dolose vel fraudulenter in lesionem vel gravamen ipsorum petivimus vel accepimus nec etiam captiose, nec intendimus vel volumus honori aut jurisdictioni ecclesie vestre vel eorum per predicta in aliquo derogari, nec occasione juramenti vel promissionis facte collectis, extorsionibus, angariis aut perangariis aut exactionibus aut aliis quibuslibet machinationibus vos aut ipsos gravabimus vel turbari volumus vel molestari, nec in personis vel in rebus vel juribus vestris vos vel ipsos in aliquo impediri. Insuper in omnibus in quibus nobis juramenta et promissiones facte sunt, promittimus vos et ipsos juvare, defendere et assistere fideliter, sicut a vobis et ab ipsis predicta volumus observari, nec ulterius juramentis vel promissionibus eos gravabimus nec ea ulterius petemus; ita quod ea per consequentiam pro consuetudine ullo modo exigamus, sed ea ultra instantem necessitatem extendi volumus ullo modo. Recepimus etiam vos cum universo clero vestro, barones, ministeriales et cives vestros universos et singulos sub nostram protectionem et graciam specialem; volentes jura ecclesie vestre et libertates ab antiquo concessas et privilegia ab antecessoribus nostris et a nobis obtenta et in posterum obtinenda, inviolabiliter observare. Adjicientes quod cives in Wirceburg nostra gratia

gandeant pleniore et sub nostro conductu in eorum negociationibus liberi transeant et securi, nec pro aliquo homine detineantur aut bona ipsorum sive occasione vestra (nostra) sive occasione alterius cujuslibet hominis occupentur. Volumus autem ut familiaritas inter nos et ecclesiam vestram totam nunc contracta, et preterea gratia et libertates que superius sunt expresse, etiam exspirantibus promissionibus et juramentis, sint inviolabiles et perpetuo valiture. Et ut hec superscripta omnibus pateant et vobis et clero vestro et Judeis ac universitati tocius civitatis vestre a nobis et a successoribus nostris inviolabiliter observentur, vobis et ipsis presens super hoc scriptum concedimus sigilli nostri robore communitum.

Testes : Otto prepositus, Arnoldus decanus, Fridericus cantor, Thegenhardus scolasticus et imperialis aule prothonotarius, Fridericus de Grindelah, Arnoldus camerarius, Albertus cellerarius [et] Arnoldus fratres de Zabelstein, Godefridus Kijsilingus canonici majoris ecclesie, magister Hermannus scriptor, magister Reinboldus, magister Eberhardus canonici novi monasterii; laici, Otto de Botenlovben, Ruopertus de Kastele, Boppo de Wertheim, Gebehardus de Hirzberg, comites; Cuonradus burgravius de Nuorinberc, Manegoldus de Wiltperc, Krafto de Schillingisuirst, Ulricus de Kungestein, Werneto filius suus, Lupoldus et Eberhardus fratres de Grindelah, Rindesmule de Grundesberg, Hermannus Rindismule, Walpoto de Zverenze, Albertus de Ruchesdorf, Erkenbertus de Butindorf, Svigerus et Eberhardus fratres de Oberbach, Walpertus Torso, Fridericus de Krense sculteti; Heinricus Wolfoldus, Ekkehardus Pullus, Godefridus camerarius, Johannes pincerna, Heinricus dapifer, Heinricus Wolfmari, Marquardus Orphanus, Marquardus Cruso, Godefridus et Herbordus et Richalmus Hacones, et alii quamplures.

Data Herpipoli, anno Domini M° CC° XXX° IIII°, XIIII° kalendas decembris, indictione VIII°.

Henricus, Romanorum rex, ad querelam Hermanni episcopi Herbipolensis, diversis juribus in villis Damphesdorf, Urheim, 21 Hongo, novembris.

Bernheim, Huttenheim et in aliis pluribus renuncians, reservans tamen jura in villa Gochesheim, Wilhelmo de Wimpina, butiglario de Nurenberg, et aliis scultetis ibidem designatis, praecipit ut ab omni gravamine abstineant.

(Edit. ap. LEUKFELD, *Antiq. Poeld.*, p. 257. — LUNIG, *Reichsarchiv*, t. VII, p. 323; ambo vero perperam 23 *novembr.* — KRAUS, *Antiquit. Hist. Francon.*, t. III, p. 283. — *Monum. Boica*, t. XXX, pars 1ª, p. 221, nº 725, ex originali cujus sigillum periit, remanente parte filorum sericorum rubri et subflavi coloris. — Memoratum etiam ex Leukfeld ap. PFEFFINGER, *Ad Vitriarium*, t. I, p. 1180.)

In nomine Domini. Amen. Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilectis fidelibus suis Willehelmo de Winpina, . . . butiglario de Nurenberg, . . . in Rotenburg, . . . in Hallis, . . . in Swinfurthe, ... in Kungesberg et ... in Lenkersheim scultetis et aliis officiatis suis gratiam suam et omne bonum. Cum dilectus venerabilis princeps noster dominus Hermannus Herbipolensis episcopus pluries sit conquestus se et suos per vos in multis fatigari et impediri, videlicet in jurisdictione sua et in villis Damphesdorf, Gochesheim, Urbeim, Bernheim, Hutenheim, et in aliis pluribus villis sibi et ecclesie sue attinentibus in servicio speciali, in villa Tutensteten in qua forense signum est erectum contra nostra statuta, in moneta aput Swinfurth, in strata ibidem, que declinatur contra jus, in centis quibuslibet ducatus ipsius que mutantur et impediuntur, in vocationibus personarum synodalium ad civitates nostras et ad centas, in censu rusticorum qui adhuc recipitur, in foro aput Windesheim quod hactenus impeditum est, in pignoracionibus que fiunt extra civitates nostras in ducatu ipsius, in judicio de feodis et proprietatibus quod vobis assumitis, in detencionibus clericorum quos compellitis stare judicio seculari, in exactionibus factis in cenobiis, in hominibus qui tenentur in civitatibus, in judicio et placitis generalibus que in quibusdam locis indicitis, et in omnibus libertatibus, jurisdictionibus et juribus suis et suorum, que diminuere videmini; nos intuentes ipsius fidelia obsequia que nobis exhibuit et exhibet incessanter, renunciamus

omni exactioni et impedimento qnolibet (cuilibet) qnod per vos et nostros hucusque habnit, et recognoscimus villas notatas sne ecclesie attinere, et ipsum in possessionem mittimus earumdem, et renunciamus monete in Swinfurth; signa forensia in villa Tutensteten et alibi deponi remota ambiguitate qualibet statuentes, et vos nniversos et singulos et alios nostros homines ab hactenns sibi illatis injuriis et gravaminibus per optentum gratie nostre compescentes. Mandamus igitur auctoritate regia firmissime vobis precipientes quatinus dictum principem nostrum, ecclesiam suam et omnes jurisdictionis sue homines in libertatibns et omnibns eorum juribus amplius non gravetis, sicut regiam diligitis gratiam specialem. Sciturі quod quicumque vestrum contra hujusmodi mandatum eum vel suos turbare presumserit, offensam lese senciet majestatis. Et volumns ut per sentencias coherceat omnes, universos et singulos, qni ei, ecclesie sue aut suis lesiones intnlerint aut procurant. Reservamus autem nobis jns quod in villa Gochesheim ab antiqno dinoscimnr habnisse. Et ut hujus renunciacionis et recognicionis pagina et memoria futuris temporibus habeatur, et ei et ecclesie sue qne superius sunt expressa inviolabiliter observentur, presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Data Houge (1), anno Domini M° CC° XXXIIII°, XI kalendas decembris, indictione octava.

Henricus, Romanorum rex, ecclesiae Sancti Johannis in Houge ordinationem Embrichonis Wirzburgensis olim episcopi, anno 1130 statutam, renovando confirmat; vi cujus, mandante rege Lothario, excessus Regenhardi de Ense, advocati praefatae ecclesiae, in villis diversis, in pago Badengowe sitis, removentur, et ipsi et haeredibus ejus, tantum ex gratia, certa quantitas servitiorum sub anathemate relinquitur. In civitate Herbipoli, 23 novembris.

(1) Scilicet claustrum *Haug*, hodie intra muros civitatis Herbipolensis situm. Cf. t. II, p. 886, not. 1.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 223, nº 726, ex originali cujus sigillum periit.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, omnibus in perpetuum. Notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod nos privilegium et ordinationem sive statutum Embrichonis bone memorie quondam Herbipolensis episcopi, quod datum erat ecclesie Sancti Johannis in Houge et preposito et canonicis ejusdem loci, legi fecimus coram nobis; cujus tenor talis est :

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Embricho Wirziburgensis episcopus, omnibus Christi fidelibus salutem. Omnibus tam presentis quam future etatis hominibus notum esse volumus qualiter quidam Regenhardus de Ense, videlicet advocatus fratrum de Sancto Johanne, in Badengowe bona eorum Cvonengeshoven, Wolfgiseshusen, Harischesheim, Rodericheshusen, Hopferstat, Gnozestat, Hoenstat, Osenwert, Accolueshusen, Eschlihesheim, per quasdam insolentes exacciones et subtiles adinventiones quas ipse abusive justicias appellavit, adeo destruxerat et funditus adnichilaverat ut prefatum collegium cottidiano stipendio suo penitus careret; etiam ita exterioribus destructis et adnichillatis in ecclesia beati Johannis divinum servitium ex inopia rerum et personarum fere per omnia cessare ceperat. Tandem vero predicti fratres graves et indeficientes querimonias de advocato suo, Regenhardo videlicet, et coram nobis et ad ultimum coram rege Luothario movere ceperunt et eum incessanter in jus et in causam suas injurias expostulando traxerunt. Rex autem Luotharius Deum et justiciam in causa fratrum supra nominatorum animadvertens et amplectens, nobis sub obtentu gratie sue precepit quod bona et fratres Sancti Johannis a predicto advocato, immo destructore penitus absolveremus. Unde prefatum Regenhardum statuto loco et die et datis legitimis indutiis sub tercio edicto vocavimus. Qui dum sibi periculum imminere cognovit, ad terciam vocationem senio et infirmitate confectus venit, sed de omnibus sibi objectis se nullatenus defendere potuit, in tantum quod advocatia per ceteros inbeneficiatos nostros ei in instanti abjudicari debuit. Cum vero convictus se defensionem juris et firmamentum cause perdidisse conspexit, ad preces et supplicationes se convertit, humiliter rogans

quod etati sue parcere vellemus et quod aliquem honorem, ut de jure taceamus, in advocatia prefata ei [de] confratribus nostris Sancti Johannis recognosceremus, videlicet quod saltem nudum servitium advocatis ab antiquo ad honorem et modicam expensam constitutum, ei omni anno relinqueremus, et si ipse de cetero vel heredes vel posteri sui eandem advocatiam adepturi supra hoc statutum aliquid exigerent vel dampnum colonis inferrent, advocatiam sine omni recuperatione perderent. Communi itaque consilio ecclesie nostre et concessione fratrum Sancti Johannis et pro precibus et peticione inbeneficiatorum et ministerialiorum (*sic*) nostrorum, statuimus quod prefato Regenhardo sex talenta de preposito Sancti Johannis vel ejus dispensatore pro servitio suo nudo sibi relicto darentur, ita videlicet quod in unoquoque placito suo duo talenta reciperet et tres karratas lignorum, unam de aridis et duas de viridibus, et quod tres culcitre et duo pulvinaria per triduum sibi accommodarentur. Si quis igitur hoc statutum in posterum infringere vel infirmare presumpserit, auctoritate beati Petri et nostra perpetuo anathemati subjaceat et visionem vere et eterne lucis, nisi cito resipiscat, amittat. Ut autem presens pagina firmamentum et auctoritatem a nobis apud omnes successores nostros optineat, eam impressione sigilli nostri signavimus et ei perpetuum robur multitudine testium prescriptorum dedimus.

» Testes acte rei viri probabiles hii sunt : Otto prepositus, Bru... prepositus, Sigefridus prepositus, Conradus prepositus, Babo decanus, Humbret decanus, Wortwinus decanus, Gebehardus, Berengerus, Swibodo, Wortwin, Marholt, Winant, Berenger, Embricho, Adelbero, Adelrat, Dietmar; liberi, Godebolt comes et filii ejus, Boppo, Ruopreit, Erkenbreit, Gozwin, Otto, Conrat, Gerwich Burkart et fratres ejus, Heinrich, Burkart, Conrat; ministeriales, Eispreit, Lupper (Lupert), Eber[hard], et alii quamplures.

» Acta dominice incarnationis anno M° C° XXX°, indictione VIII, regnante glorioso Romanorum rege Luothario, anno regni ipsius V°, Godeboldo existente urbano comite. »

Tenore ergo ipsius privilegii plenius intellecto, dilectus nobis Theg[enhardus] prothonotarius noster et prepositus ipsius ecclesie una cum capi-

tulo nobis hnmiliter snbplicavit nt ea qne in predicto privilegio continentur dignaremur auctoritate regia confirmare. Nos igitnr justis eornm precibus inclinati, respectu qnoque servitiorum que prestitit nobis idem prepositus, ordinationem et statutum ipsius privilegii anctoritate regia confirmamus, districte inhibentes per gratie nostre penam ne aliqua persona alta vel humilis, ecclesiastica et mundana, contra tenorem privilegii sepedicti et nostram confirmationem eundem prepositnm, canonicos et emunitatem et ecclesiam snam in advocatia vel bonis suis vel hominibus aliquo modo aggravet ant molestet. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem nostram se noverit graviter incurrisse.

Testes autem hnjns rei sunt hii : Hermannus episcopus Herbipolensis, Conradns abbas Sancti Galli, Otto prepositus Herbipolensis, Gevehardus comes de Tolensteine, Conradus bnrgravins de Nurenbherc, Heinricns kamerarius de Ravensbnrc, Eberhardus de Hertingesberc, Ruodolfus de Fonenberch, et alii quamplnres.

Acta sunt hec anno gratie M° CC° XXX° IIII°, indictione VIII, in civitate Herbipolensi, anno regni nostri XIIII, nono kalendas decembris.

Mediolani, 17 decembris.

Anselmus de Justingen marescalcus et Waltherus de Thannberg, capellanus Henrici Romanorum regis, ineunt concordiam cum Mediolanensibus et ambassatoribus societatis Lombardiae, sub certis conditionibus ibidem expressis, quas jurare debebunt idem rex et Alemaniae principes.

(Edider. Giulini, *Memor. di Milano*, t. VII, p. 592, e cod. statutor. bibl. Ambros., fol., sign. B., n° 19, fol. 44-50. — Savioli, *Annal. Bologn.*, t. III, pars 2ª, p. 153. — Pertz, *Monum. German. Histor.*, t. IV, p. 306.)

In nomine Domini. Anno dominice incarnationis M. CC. XXXIIII, die dominico, XV[I] die ante kalendas jannarii, indictione octava, in palatio communis Mediolani, dominus Anselmns de Justingen mareschalcus do-

mini Henrici serenissimi regis Romanorum et dominus Waltherius archidiaconus Herbipolensis et domini regis capellanus, ambo nuntii et legati suprascripti domini regis et habentes speciale mandatum securitatis et concordiam et juramenta faciendi pro prefato domino rege et in animam ejus, prout in litteris ipsius domini regis sigillo signatis continebatur; quarum tenor talis est (a) : [*Sequuntur tres litterae, quarum primas ad integrum, secundas vero et tertias compendiario exhibuimus*, p. 695 et 696], cum Mediolanensibus et eorum amicis et societate Lombardie. . . . . que sunt de societate et amicitia Mediolani, presentibus domino comite Manfredo de Curte Nova potestate Mediolani et infrascriptis ambaxiatoribus Brixie et domino Petro de Sancto Petro et Ardizono Cavalasio, ambaxatoribus civitatis Novarie, et domino Mar. de Summaripa ambasatore civitatis Laude, et ipsis recipientibus pro communi Mediolani et pro universitate societatis Lombardie, juraverunt ad sancta Dei Evangelia super eorum anima et in anima predicti domini regis quod ille dominus rex attendet et observabit et attendi faciet infrascriptam concordiam in omnibus et per omnia sicut scripta sunt, et quod facient jurare predictum dominum regem et principes Alemannie ut in concordia prescripta continetur; cujus tenor talis est :

In nomine Domini. Jurabunt Mediolanenses, Brixia, Bononia, marchio Montisferrati, Novaria, Lauda et alie civitates aliaque loca et universitates de societate Mediolani que nunc sunt vel in posterum erunt, et que volent et quibus facere placuerit infrascriptam fidelitatem et recipere infrascriptum juramentum fidelitatis, domino Henrico serenissimo regi Romanorum hoc modo : quod non erunt in consilio vel adjutorio quod perdat vitam vel membrum vel mentem aut suum honorem vel fortiam aut coronam regni, sed secundum suum posse prohibebunt et valebunt ei sicut regi, et eum defendent et ejus honorem manutenebunt, et hoc in provincia Lombardie. Eo ex abundanti dicto et intellecto quod propter fidelitatem non teneantur ad prestationem aliquam pecunie modo aliquo nec aliquo modo. Item quod non teneantur ad milites vel pedites dandos

(a) Huc usque initium instrumenti apud Pertz deest, qua causa nescimus, dum valde necessarium sit et cum sequentibus quasi uno corpore conflatum.

vel mittendos extra Lombardiam. Item quod non teneantur aliqua de causa dare obsides, vel pignora vel securitates. Qnam fidelitatem facere debent salvis societatibus et amicitiis communis Mediolani et presertim salva societate Lombardie, Marchie et Romanie; quam fidelitatem nt supra facere volunt, si dictns dominus rex et principes Alemannie volunt juvare, adjuvare et manutenere et defendere Mediolanum, Brixiam, Bononiam et marchionem Montisferrati et Novariam et Laudam et alias civitates et universitates et loca que sunt vel erunt de societate et amicitia Mediolani, dum in societate et amicitia duraverint, et hoc in omni suo et eornm honore et podere et statu et possessione et fortia quo vel qua nunc sunt et in posterum erunt contra inimicos quos nunc habent vel de cetero habebunt in Lombardia vel alibi (1), et offendere inimicos eorum secundum posse ipsius regis et principum, presertim Cremonam et Papiam et earnm sequaces qui nunc sunt vel pro temporibus erunt; et quod non facient ipse rex vel principes aliquam concordiam vel pactionem vel conventionem vel pacem cum inimicis Mediolani, Brixie, Bononie, marchionis Montisferrati, Novarie, Laude aliarumque civitatum et universitatum et locornm de societate et amicitia Mediolani undecumque sint, et presertim cnm Cremona et Papia vel aliis civitatibus vel locis seu personis vel universitatibus de societate Cremone vel Papie, sine voluntate communis Mediolani et societatis et amicitie ejns. De quibus oneribus teneatur predictns rex et principes et eorum successores, omnes simul et quilibet per se, et hinc inde dicta sacramenta renoventur singnlis decenniis, ita qnod in perpetnum durent et observentur et in successoribus et in filiis ipsius domini regis quos nunc habet vel habebit locnm habeant, et regalia sint et perpetua et non personalia nec temporalia, non tantnm in persona regis vel filiorum ejus seu sneccessorum, ita etiam et successorum eorumdem. Et eodem modo teneantur de predictis omnibus prefatus dominns rex et principes Aleman-

(1) Licet Fridericus imperator in hoc instrumento expresso nomine non indicetur, satis constat adversus eum Lombardos simul et regem Henricum sibi providisse, in hoc praecipue ut accessus ad Alemanniam ipsi interciperetur. Quomodo enim jam anno 1226 filii ad patrem aditus a Lombardis praeclusus fuerit, meminerunt lectores.

nie, cum fuerit imperator ipse dominus rex factus. Juraverunt predictus dominus comes Manfredus potestas Mediolani et nobiles viri Ubertus de Extenate et Mudalburgus judex Mediolani, de voluntate consilii communis Mediolani et predictorum ambasiatorum Brixie, Novarie, Laude et eorum mandato, super commune Mediolani quod predictis completis per dictum regem et principes Alemannie, commune Mediolani et alia communia et persone que venient et quibus placuerit predicta facere et recipere, jurabunt illam fidelitatem que in dicta concordia continetur (1). Unde plura instrumenta uno tenore fieri rogata, presentibus ibi pro notariis Gulielmo de Vicomercato, Conrado de Varadeo notario pallatii Mediolani, etc.

Interfuerunt testes Anselmus de Justingen filius suprascripti domini marescalchi, et item dominus Paganus Burrus filius quondam domini Uberti, et Johannes de Rande filius item quondam domini Johannis, et Boccasius Brema, et Perinus Incoardus, et Jacobus de Terzago, et Jacobus de Modoetia, et Berbontius de Landriano, et Albertus Vicecomes, et Miramus Morigia, et Guido Grassus, et Ricardus Crivellus, et Johannes Pasqualis, et Menadragus de Mandello, et Paganus de la Turre, et Bonifacius filius quondam domini Gulielmi de Pusterla, et Abiaticus Marcellinus filius quondam domini Drudi, et Henricus Gambarus, omnes de civitate Mediolani.

Ego Gulielmus filius quondam Petrobelli de Vicomercato de Contrata de Cornaredo, civitatis Mediolani notarius et modo scriba palatii communis Mediolani, interfui et subscripsi.

Ego Conradus filius Jacobi de Varadeo de Contrada de la Pesina, com-

---

(1) De nuntiis Lombardorum in Teutoniam destinatis haec comperimus : « Misit [rex] marscalcum de Justingen in Lombardiam ut Mediolanenses sibi confoederaret. Qui etiam adduxit secum quosdam de melioribus Mediolanensium et partis eorum ad fines istos, ut inter regem et ipsos pactum foederis confirmarent. » *Annal. Argent.* ap. BOEHMER, *Fontes*, t. III, p. 108. — « Eodem anno ad petitionem regis Henrici filii Friderici imperatoris, Mediolanenses et alii odientes imperium legatos in Alemanniam direxerunt et cum eo contra imperatorem societatem firmissimam statuerunt. Concepit enim rex dolorem et peperit iniquitatem contra proprium genitorem, ideo quia videbatur quod imperator plus eo puerum Conradum diligeret et foveret. » *Monach. Patav. Chronic.* ap. MURATOR, *Scriptor.*, t. VIII, p. 674, perperam vero ad ann. 1231. Qua clementia hos legatos in Alemannia repertos et captivitate detentos Fridericus habuerit, infra monebimus.

munis Mediolani notarius et nunc scriba communis Mediolani, suprascriptis interfui et subscripsi.

Ego Henricus de Camenago filius quondam domini Castelli qui sto in curte Vicecomitum, notarius et nunc scriba communis Mediolani, interfui et subscripsi.

Henricus, Romanorum rex, civibus Spirensibus amplissimum Friderici I, de anno 1182, 27 maii, privilegium, quo eisdem libertates et omnia jura ab Henrico V concessa renovantur et ampliantur, renovat denuo et confirmat.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 230, nº 728, ex origin. in archivo Spirensi. — Privilegium autem Friderici I extat apud Lehmann, Tolner, Lunig, Dumont et Gercken, et in *Monum. Boic.*, t. XXXI, pars 1ª, p. 419.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Dignum censemus et consentaneum rationi ut eis qui fide ac devotione pre aliis se ad nostra beneplacita exhibent promptiores, in renovationibus privilegiorum suorum, et in aliis justis precibus et desideriis eorumdem, pre ceteris etiam plus impendat nostra serenitas gracie et honoris. Noverint igitur universi presentes ac posteri quod dilecti fideles nostri cives Spirenses nobis humiliter supplicarunt ut dignaremur auctoritate regia renovare privilegium proavi nostri pie memorie Friderici quondam Romanorum imperatoris; cujus tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Majestas imperialis exigit et auctoritas ut, sicut sua facta rata et inconvulsa permanere desiderat, ita suorum antecessorum gesta et privilegia modis omnibus confirmet et scriptorum munimine corroboret. Inde est quod nos privilegium anteces-

soris nostri Heinrici imperatoris quinti, quod ipse pro remedio anime patris sui proavi nostri imperatoris Heinrici in die exequiarum ipsius Spirensi contulit civitati, in fronte majoris templi aureis litteris solemniter depictum, expressam et prominentem continens imaginem, renovamus et imperiali auctoritate corroboramus etiam (a), et ut remota omni ambiguitate jus privilegii in perpetuum habeat, utpote multorum principum ut ibidem legitur fultum testimoniis, firmissima sanctione decernimus (1). Sicut enim prefatus imperator eodem privilegio omnes Spirensis civitatis inhabitatores undecunque venerint vel cujuscumque conditionis fuerint a consuetudine nefanda et nequissima que vulgo vocatur Butheil suorumque heredes prorsus exemit, et ne aliqua persona major vel minor, non advocatus, non eorum naturalis dominus illis morientibus de eorum supellectili quicquam auferre presumeret, finaliter interdixit, et ut omnes liberam potestatem habeant suis heredibus bona sua relinquendi vel pro anima sua dandi vel cuicumque persone dare voluerint firmissime statuit, ita et nos, adjuncto novo majestatis nostre privilegio, ab omnibus predictis exemptos eadem libertate jugiter gaudere volumus. Contigit tamen precedente tempore quod Ulricus ejusdem civitatis venerabilis episcopus super quibusdam prefati privilegii verbis questionem movit, exigens ab eis quod in quibusdam locis vulgo Houbetrech vocatur, tamquam in prefato privilegio sub nomine Butheil et supellectilis ab hoc jure non fuerunt exempti. Quum vero sicut nostrum est leges condere, ita et que dubia sunt benigne interpretari, nos predictum privilegium, etiam cum assensu ejusdem episcopi publice libertatem eorum recognoscentis, sic interpretamur ut in eo ab hoc jure quod Houbetrech dicitur penitus sint exempti, et nos eos principali

(a) Ap. Monum. Boica *est*.

(1) « Duplex Henrici V privilegium 1111, 14 augusti, Spirensibus datum, tanquam unum idemque privilegium hic renovatur ac confirmatur; et quemadmodum duo priora in fronte exteriori olim aureis litteris depicta conspiciebantur, sic etiam privilegium Friderici I cum imagine utriusque imperatoris in fronte interiori ejusdem cives litteris aureis depingi curarunt, testibus Lehmann, *Speyr. Chronik.*, p. 466, et Geissel, *Kaiserdom von Speyer*, p. 111, not. 101. » *Monum. Boic. nota.*

edicto prorsus ab eodem eximimus; statuentes ne unquam aliqna persona ecclesiastica vel secularis super hoc eos infestare attemptet, sive in civitate sive extra sit constituta. Preterea nos per omnia seqnentes privileginm prefati imperatoris Henrici predecessoris nostri, eosdem cives ab omni theloneo quod in civitate tunc temporis dari solebat liberos statuimus, et a solutione nummorum quos vulgo Banphenninge et illorum quos Schozphenninge appellavernnt et piperis qnod de navibns exigi solebat, eos absolntos pronnntiamus. Volnmus etiam nt nullus civinm eorumdem extra urbis ambitum advocati sni placitum cogatur requirere. Volnmns etiam ut nnllns civium ipsornm alicni exactioni extra civitatem facte de rebns suis mobilibus vel immobilibus subjaceat, nullns prefectus aut alicujus domini nuncius ad servitium domini sui a panificibus vel a macellariis seu ab aliquo genere hominum in civitate rem aliquam mobilem vel sese moventem presumat illis invitis auferre. Nullns nnquam vinum quod appellatur banwin presumat vendere aut alicujus civis navim ad opus sui domini illo invito accipere. Statuentes qnoque ut ab iis qni res proprias propriis sive conductis navibus transvehunt, nichil omnino exigatur, monetam quoqne nulla potestas in levius aut in deterius imminuat aut aliqua ratione nisi communi civium consilio permutet. Nullus ab eis thelonium in toto episcopatu aut in locis fiscalibus, id est ad utilitatem imperii singulariter pertinentibns, extorqueat. Si qnis curtem ant domnm per annum et diem sine contradictione possederit, nnlli hoc interim scienti ultra inde respondeat. Causam in civitate jam lite contestatam non episcopns aut aliqua potestas extra civitatem determinari compellat. Argentine thelonenm de navi non plus quam tredecim denarios dare cogantur. Ut autem hec nostre majestatis confirmatio in omne evum rata et inconvulsa permaneat, presentem paginam conscribi jussimus et sigilli nostri impressione corroborari. Si qnis vero ausn temerario eam presumpserit violare vel aliquo modo attentare, centum libras auri puri pro pena fisco imperialis camere persolvat.

Hujns rei testes sunt : Philippns Coloniensis archiepiscopus, Hermannus Monasteriensis episcopus, Rodolfus imperialis aule prothonotarius, Baldewinns Trajectensis episcopus, Heinricns major prepositus Spirensis, Johannes prepositns Sancti Germani, Andreas magister scolarum, Johan-

nes prepositus de Omnibus Sanctis, Marguardus prepositus Sancti Pauli in Wormacia, Eberhardus archipresbyter, Conradus palatinus Reni, Fridericus dux Suevie, Florentius comes Hollandie, Gerhardus comes de Lon, Heinricus comes Gelrensis, Otto de Binthenheim, comes Symon de Sarabrukke, Comes Heinricus de Dietse, Poppo de Wertheim, Conradus de Buchiesberg (Bockesberg), Heinricus de Chuoch, Hartmannus de Buetingen, Rupertus de Durne, Heinricus marscalcus, Cunradus pincerna, Cono de Mincenberg, Anselmus marscalcus, Wicelinus de Berge, Anshelmus de Roninge, Gotefridus, et alii quamplures.

Signum domini Friderici Romanorum imperatoris invictissimi. (*Monogramma.*)

Ego Gotfridus imperialis aule cancellarius, vice Cristiani Maguntine sedis archiepiscopi et Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCLXXXII, indictione XV, regnante domino Friderico imperatore gloriosissimo, anno regni ejus XXXI, imperii vero XXVIII.

Datum Maguntiis in solempni curia, VI kalendas junii, feliciter. Amen.

Nos igitur inclinati precibus civium predictorum, idem privilegium de verbo ad verbum presenti pagine inscribi fecimus, innovantes et confirmantes auctoritate regia libertates, consuetudines pariter et honores ac omnia prorsus jura que civitati Spirensi in eodem privilegio sunt indulta. Inhibemus itaque firmiter et distincte (districte) sub obtentu gracie nostre ne ulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictam civitatem Spirensem vel cives ipsius contra tenorem privilegiorum presentium aggravet aliquo modo vel molestet. Si quis igitur hoc attemptare presumserit, preter id quod a nostre majestatis gracia est exclusus, solvet ducentas marcas auri pro pena, quarum medietas cedat fisco, reliqua vero medietas passis injuriam persolvetur.

Testes hujus rei sunt : Conradus Spirensis episcopus, Landolfus Wormaciensis electus (1), Conradus de Steina prepositus, Sifridus decanus

(1) Quomodo isti duo praelati rebellioni Henrici regis manus dederint, ex *Annalibus Wormatiensibus* clare comperimus : « Erant cives Spirenses cum Wormatiensibus in hoc articulo

majoris ecclesie, Conradus prepositus Sancti Gwidonis Spirensis, Conradus Augiensis, Walterus Sunnesheimensis, Theginhardus Otraheimensis, Regimbodo Hirsaugensis, Sifridus Mulimbrunnensis, Ulricus Lintburgensis, abbates; Otto de Eberstein, Hermannus de Rieperg, Fridericus de Tanne, Heinricus de Scharphemberg, Heinricus filius ejus, Conradus de Scharphemberg, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo XXXIIII, XII kalendas januarii, anno vero regni nostri quarto decimo, indictione octava.

Signum domini Heinrici Romanorum regis invictissimi. (*Monogramma.*)
Datum apud Spiram, anno, mense, indictione prenotatis.

ANNO 1235. — INDICTIONE 8.

Apud Wimpinam, 16 januarii.

Henricus, Romanorum rex, ad preces Margaretae consortis suae, abbati et conventui de Schönthal, Cisterciensis ordinis, hanc gratiam indulget ut omnia bona quae habent vel adipisci poterunt in locis sibi immediate pertinentibus, ab omnibus servitiis quae sibi dari solent libera sint.

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgartensi, quod nobis communicavit Kausterus. Sigillum cerae impressum, ex filis sericis rubris flavisque pendens, partim diffractum est.)

---

aliquamdiu stantes. Sed in brevi per episcopum eorum dominum Conradum dictum de Than tandem seducti, consenserunt regi et juraverunt ad omnem ejus voluntatem. Videns itaque rex quod nullos haberet sibi resistentes in his partibus et in hoc negotio nisi solam civitatem Wormaciensem, iratus et commotus est supra modum. Misit ad eos multos nobiles nuntios et etiam dominum episcopum Wormaciensem nomine Landolfum ... qui etiam multum laboravit cum civibus ut voluntas regis admitteretur. Et in hoc nihil profecit, quia a domino imperatore eos nemo separare potuit. » Ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 178-179.

Heinricus septimus, divina favente clemencia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hec littera ostensa fuerit gratiam suam et omne bonum. Firmam spem fiduciamque tenemus quod quicquid religiosis viris gratie impenderimus et honoris, id cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis. Hac igitur consideratione inducti, obtentu quoque precum dilecte consortis nostre Margarete illustris Romanorum regine (1), cujus desideriis non debuimus refragari, ac etiam ob affectum quem circa ordinem Cysterciensem semper hactenus habuimus et habemus, dilectis nobis abbati et conventui de Schonental, Cysterciensibus, talem fecimus gratiam et donavimus libertatem quod omnes possessiones et bona que habent in presenciarum vel in futurum poterunt adipisci in civitatibus, opidis vel in aliis locis nobis immediate pertinentibus, a serviciis, precariis et collectis que nobis aliquando dari solent libera sint omnino. Ut autem hec gratia per nos ipsis indulta debitam et perpetuam sicut debet obtineat firmitatem, presentem cartam inde conscriptam eis in testimonium duximus concedendam. Si quis igitur officiatorum nostrorum monasterium et conventum de Schonental contra gratiam hujusmodi super premissis presumpserit molestare, a nostre serenitatis gratia noverit se exclusum.

Testes hujus rei sunt : Landolfus Wormatiensis electus, Hartmannus comes de Quiburg, Gotefridus comes de Lewenstein, Heinricus et Gotefridus fratres de Niffen, Hugo de Tuvers, Wernherus notarius noster, Albertus de Liebenstein, Wilhelmus de Wimpina, et alii quamplures.

Acta sunt hec apud Wimpinam, anno gratie millesimo CC. XXXV, XVIII kalendas februarii, indictione VIII^a^.

(1) Hac prima simul et unica vice de consorte sua rex Henricus mentionem in publicis instrumentis facit, quam tamen anno 1233 repudiandam in animo habuerat ut priorem sponsam, regis Bohemiae sororem, in uxorem assumeret. Cf. supra, p. 687, not. 1. De quo haec apud *Gesta Trevir.* leguntur : «Vitam regiam non habuit; nam incontinens fuit multum, minus attendens jura matrimonii cui astrictus erat. » Nec melius de moribus Henrici sonat *Histor. Novient. monast.*, quum dicat : « Iste coepit quasi degener luxui deservire, consilia prudentum avertere, etc. »

.... Henricus, Romanorum rex, monasterium de Sancto Urbano sub sua protectione recipit, et sculteto de Solodoro caeterisque Burgundiae rectoribus mandat ut eos qui monasterium laedere praesumpserint, reprimere non omittant.

(Edit. ap. *Soloth. Wochenblatt*, anno 1828, n° 41, p. 446. — Et ap. *Versuch einer darstell. des stift Engelberg*, p. 113, n° 5, ex originali unde sigillum cereum pendet cum inscriptione solita, praeter quod ad thronum legitur ET DUX-SVEVIE.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, sculteto de Solodoro et ceteris Burgundie rectoribus sub ditione sua degentibus gratiam suam et omne bonum. Quia honor regis est judicium diligere et Domino famulantes sub protectionis sue munimine conservare, nam eo studiosius pro vita regis filiorumque ejus (1) orare poterunt quo fuerint a tumultu rerum secularium seclusi, quod fieri non potest nisi predones arceantur et bonorum saluti invidentes semoveantur, alioquin id effectum non habebit; unde omnibus hanc paginam inspicientibus pateat quod monasterium de Sancto Urbano cum omnibus pertinentiis suis, intuitu Dei ejusque sanctissime Genitricis, sub protectionem nostram recepimus, eorumque offensam veluti nostram execramus. Quapropter vobis precipimus et sub obtentu gratie nostre precipiendo mandamus

(1) Hic quoque prima et unica vice filii regis memorantur, Henricus scilicet et Fridericus vocati. Qui ambo adhuc parvuli post depositionem patris una cum ipso fuerunt in Apuliam relegati. Henricum immatura morte praeventum esse credimus, dum nullum de eo vestigium supersit. Fridericus vero in privilegio avi sui de mense martio 1245 testis et in testamento ejusdem de mense decembri 1250 haeres apparet. Anno 1252 obiit. Quem veneno sublatum fama fuit, licet Conradus rex tanti sceleris crimen sibi intentatum valde apud papam refellerit. Cf. Matt. Paris., *Additam.*, p. 126.

quatenus injuriam ipsorum sicuti uostram vindicetis, et ledere nitentes ac si regiam majestatem leserint, reprimere non omittatis (1).

Henricus, Romanorum rex, officiatis suis de Dinkelsbühl, Rotenburg, Nordlingen et Werda, in favorem monasterii de Ahusen, interdicit ne personas ecclesiasticas in causa criminali vel civili judicio saeculari stare cogant, contra ipsarum voluntatem. Apud Nurimberg, 30 januarii.

(Edit. in SCHUTZ, *Corp. Histor. Brandenburg.*, Sylloge 72, n° 35. — Et ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 234, n° 732, ex originali unde sigillum in ora sinistra laesum appendet ex filis sericis purpurei coloris.)

H., Dei gratia Romauorum rex et semper augustus, fidelibus suis de Dinkelspuhel, de Roteuburc, de Nordelingen et de Werde ministris necnon universis officiatis suis presentem literam inspecturis, gratiam suam et omne bouum. Cum iu utroque jure prohibitum sit ne quis judex secularis spiritualem personam aliquam vel Ecclesie pertinentem coram se cogat stare judicio seculari, nosque propter favorem quem gerimus dilecto nobis abbati et couventui monasterii de Ahusen, jura ipsius ecclesie velimus conservare specialius illibata; maudamus vobis sub obtentu gratie uostre firmiter precipientes quatenus nullus vestrum sit qui dictum abbatem vel aliquem suorum subditorum, ecclesiasticarum persouarum, in causa criminali vel civili coutra ipsorum voluutatem pre-

---

(1) Desunt omnino chronologicae notae, et P. Ildefonsus, historiae patriae diligens perscrutator, litteras ineunte mense novembri 1227 Turegi datas esse existimat; eo quod hoc circiter tempore Solodorenses regis nutu excitati, Wernhero de Luternau monasterium Sancti Urbani frequentius molestante, castrum ejus Gutenberg destruxerint. Certo certius tamen oscitat. Nempe rex inscriptioni sigilli sui titulum *et dux Suevie* non ante annum 1231 adjecit, neque filii ejus quos in instrumento ipso memorat citius nasci potuerunt. Quum autem ad ultimos regni Henrici nostri annos litterae pertineant, privilegio praecedenti ubi de regina mentio fit, Boehmerum secuti hoc mandatum subnectimus.

sumat vocare vel trahere ad judicium seculare. Si vero coram vobis juri stare voluerint, volumus et mandamus ut testes dicti abbatis et suorum subditorum qui censeantur idonei, non obstante civitatum vestrarum consuetudine, recipiatis. Quod si quis predictam gratiam prelibate ecclesie de Ahusen infringere presumpserit vel turbare, offensam et indignationem nostram se noverit incursurum.

Datum apud Nuoerimberc, anno dominice incarnationis M°CC°XXX°V°, tercio kalendas februarii, indictione VIII°.

Apud Nurimberg, 3 februarii.

Henricus, Romanorum rex, Walthero abbati et conventui de Heilsbronn villam Kelminze, quam Rudolfus de Lewenrode a rege in feudo possederat et monasterio vendiderat, sibi resignatam, pro remedio animae suae et progenitorum suorum confirmat.

(Edit. in Wölkern, *Histor. Norimb. diplomat.*, t. II, p. 96, n° 10. — Schutz, *Histor. Brandenb.*, sylloge 74, n° 37. — Oetter, *Von den Minister.*, p. 273. — *Monum. Boic.*, t. XXX, pars 1°, p. 235, n° 733, ex originali cujus sigilli fragmenta adhaerent filis sericis purpurei, viridis et albi coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis presentem literam visuris imperpetuum. Cum divine pietatis incrementa in nobis continua sentiamus, dignum censemus, quia credimus nos ad hoc ad regni apicem sublimatos, ut ecclesias Dei et loca sancta ubi idem laudatur et colitur, ac personas in eisdem, quorum voces et mentes in celestibus habitant, nostris temporalibus subsidiis augeamus. Hac siquidem ratione notum esse cupimus tam presentibus quam futuris quod constitutus in nostra presentia fidelis noster Rudolfus miles de Lewenrode villam que dicitur Kelminze, quam idem a nobis in feudo possidebat, in manus nostras cum omni jure et suis pertinentiis resignavit; supplicans majestati nostre ut quia dictus miles eadem bona vendiderat

dilectis nobis Walthero honorabili abbati et conventui de Halsprunnen pro septuaginta libris legalium Nuerenbergensium, eidem venditioni assensum benivolum porrigere dignaremur. Nos itaque considerantes hospitalitatem dicti monasterii qua pollet continue, attendentes etiam devota eorum obsequia, que nobis et nostris exhibent incessanter, villam eandem in Kelminze cum omni jure et pertinentiis suis, quibus ipsam villam prenotatus Rudolfus de Lewenrode antea possidebat, prenominato honorabili Walthero abbati et conventui de Halsprunnen pro remedio divorum progenitorum nostrorum regum et imperatorum et nostra salute damus et concedimus imperpetuum possidendam. Statuentes ut nulla umquam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, dictum abbatem aut conventum de Halsprunnen in eisdem bonis suis presumat ledere vel alicujus ingenii scrupulo impedire. Quod qui fecerit offensam et indignationem nostram se sentiat incurrisse. Ut autem presens donatio robur optineat perpetuo valiturum, presentem literam sigillo nostre celsitudinis fecimus roborari.

Testes sunt hii : venerabilis Hermannus Herbipolensis episcopus, Landolfus Wormatiensis electus, Thegenhardus imperialis aule prothonotarius, Heinricus marchio de Burgowe, Heinricus de Niffen (1), Conradus de Durnnu, Swiegerus de Gundelvingen, Heinricus de Beigerbach qui est salmannus ejusdem predii, Ludewicus de Viruspere, Eberhardus de Hertingesperge, Erchenbertus junior de Buoetendorph, Conradus butegelarius de Nuorinberc, et alii quamplures.

Datum apud Nuorinberc, anno dominice incarnationis M°CC°XXX°V°, tercio nonas februarii, indictione octava.

(1) Circa hoc tempus, legationem ad regem Franciae missam fuisse credimus, de qua *Annal. Argentinenses* his verbis : « Anno 1235... episcopum Erpipolensem cum H. de Nife direxit [rex] in Gallias ad regem Franciae, ut cum eo convenirent de matrimonio inter utriusque pueros contrahendo. Qui redierunt infecto negotio. » Ap. Boehmer, *Fontes*, t. III, p. 108. Episcopum enim Herbipolensem et Henricum de Niffen a mense februario ad mensem maium curia regis abfuisse quasi compertum habemus.

Apud Spiram, 24 februarii.

Henricus, Romanorum rex, donationem partis suae in castro Calwenberg ecclesiae Herbipolensi olim a se factam innovat et confirmat.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXXI, pars 1ª, p. 562, e libro cop. eccles. Wirceburg. — SCHULTES, *Coburg. Landesgesch. urkundenb.*, p. 10, nº 10. — JAGER, *Gesch. des Frankenlands*, t. III, p. 381.)

Henricus septimus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus. Noverint universi presentes ac posteri hujus pagine inspectores quod nos olim ad instantiam nobilis viri B. (*a*) comitis de Hennenberch, recognovimus et protestati fuimus per litteras nostras nos nichil juris habere in castro Calwenberg vel ejus attinentiis, et si quid juris sive in toto sive in parte ejusdem castri vel suis attinentiis habuimus, dedimus, donavimus et tradidimus Herbipolensi ecclesie; et nunc ipsam recognitionem et protestationem per nos tunc factam et donationem quam tunc similiter fecimus, per presentes litteras innovamus. Insuper ob favorem dilecti principis nostri venerabilis Herbipolensis episcopi, sicut quidquid juris sive in toto vel in parte predicti castri vel suis attinentiis habuimus [et] ecclesie sue contulimus quemadmodum superius continetur, sic et eam partem cum suis pertinentiis universis que ad nos crederetur forsitan pertinere, sibi et ecclesie sue in proprietatem et jus perpetuum damus, tradimus et donamus, hanc gratiam sibi factam presenti nostro privilegio confirmantes.

Testes hujus rei sunt : C. Spyrensis episcopus, Landolfus Wormaciensis electus, Thegenhardus imperialis aule protonotarius, Albertus de Vipeche Magdeburgensis [prepositus], Heinricus marchio de Burchouwe (Burgau), Guntherus de Kevernberg, Heinricus junior de Suarzburg, Fridericus de Bichelingen, comites, Heinricus de Rabensburg camerarius

(*a*) Scilicet *Bopponis*.

noster, Rudolfus (a) burgravius de Wrideberg (Friedberg), et alii quamplures.

Datum apud Spiram, anno gratie M. CC. XXXV, VI kalendas martii, indictione VIII.

Henricus, Romanorum rex, Petro sculteto de Berno pro devotis ejus servitiis et ad petitionem ejus vivarium suum ante civitatem situm jure feodali concedit. Apud Spiram, 1° martii.

(Edit. ap. *Soloth. Wochenblatt*, ann. 1829, p. 327.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus presentem litteram visuris gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium notum esse volumus universis quod nos respicientes devota servitia fidelis nostri Petri (b) sculteti de Berno, que nobis devote hactenus exhibuit et que nobis potest in antea exhibere, eidem providere et juxta suam petitionem satisfacere cupientes, vivarium sive lacum nostrum situm ante civitatem feodali jure cupimus concedendum. Ut autem hujus concessionis memoria in oblivionem venire a nemine valeat, presentem ei damus litteram sigillatam.

Datum apud Spiram, calendis martii, indictione octava.

Henricus, Romanorum rex, abbatiam et civitatem de Selze in sua speciali protectione recipit contra marchionem de Baden qui jus advocatiae ibidem sibi vendicabat. Apud Hagenowe, 15 martii.

(a) Alias vero *Ludolfus*, et rectius.
(b) Scilicet *Petri de Bubenberg*.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 253, n° 372, ex originali in archivo Carlsruhensi; cujus mentionem quoque fecit Mone, *Anzeiger*, ad ann. 1837, p. 138. Hoc anno sigillum jam erat avulsum.)

Datum apud Hagenowe, idus martii, indictione VIII.

Apud Hagenowe, 23 martii.

Henricus, Romanorum rex, Basilio civi Aquensi licentiam concedit conferendi et legandi domum ipsius ecclesiae Sanctae Mariae de Aquis, ita ut annua pensio, scilicet triginta denarii Colonienses, sibi et imperio persolvantur.

(Edid. Lacomblet, *Urkundenb. für die gesch. des Niederrh.*, zw. band, p. 105, n° 199.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus hee littere ostense fuerint gratiam suam et omne bonum. Noverint tam presentes quam futuri quod nos de providentia consilii nostri fideli nostro Basilio civi Aquensi licentiam dedimus et liberam facultatem conferendi domum suam, que vetus moneta nuncupatur, et legandi ecclesie Sancte Marie in Aquis, capelle imperii, libere tenendam et perpetuo possidendam; ita tamen ut de eadem domo annua pensio nostra, videlicet triginta denarii Colonienses, nobis et imperio persolvantur. Ad cujus facti nostri memoriam evidentem, presentem ei litteram indulsimus sigilli nostri munimine roboratam.

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis M. CC. XXXV, X kalendas aprilis, indictione VIII.

Apud Hagenowe, 26 martii.

Henricus, Romanorum rex, domui hospitalis in Haguenau ab antecessoribus suis fundatae concedit parrochiam in sua nova

civitate Königsau et augeam suam in Buzinsheim, mandatque custodibus castrorum Malberch et Weikersheim et civitatis Königsau ne praedictum hospitale aliquomodo molestare praesumant.

(Ineditum ex originali in archivo praefecturae Argentinensis, « *Titres de l'hôpital d'Haguenau.* » Sigillum avulsum periit, remanentibus tantum filorum sericorum laciniis, amaranthini, flavi viridisque coloris.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus quibus presens littera fuerit ostensa gratiam suam et omne bonum. Quia per frequentem elemosinarum largitionem Domino testante omnia munda erunt, dignum videbitur et saluti animo plurimum expedire quod nos qui in rebus temporalibus Domino providente tocius habundantie possidemus pleuitudinem, ipsius etiam amicis jure minimis Christi pauperibus manus misericordie aliquando porrigamus. Attendentes igitur quanta devotione divi progenitores nostri gloriosi imperatores dominus Fridericus et dominus Heinricus avus noster domum hospitalis in Hagenowe elemosinis et structuris salubriter in fundo proprio edificatam ornaverunt ut ibidem pauperibus Domini et suis qui tantum hominum prospicientes elemosinam in laboribus per quos vite necessaria conquirebant defecerunt, victus salubriter ministretur, in subsidium pauperum et fratrum ordinis Premonstratensis ibidem Domino famulantium, parrochiam in nova civitate nostra Kunegesowe que in fundo nostro proprio constructa dinoscitur, cum omnibus juribus parrochie attinentibus que nunc habet vel que in posterum habebit, hospitali in Hagenowe contulimus perpetualiter possidendam. Vestigiis etiam progenitorum nostrorum inherentes, augeam nostram iu Buzensheim que prope novam civitatem sita videtur, eisdem fratribus contulimus pleno jure ut ipsi ea in hiis que culta et inculta videntur, quoad utilitati eorum videbitur expedire, libere utantur. Mandamus itaque et sub optentu gratie nostre firmissime precipimus quod nullus sculletorum, advocatorum sive aliorum quorumcumque quibus procurationem et custodiam in castris nostris Malberch et Wikkirsheim et in ipsa civitate Kunegesowe committimus, predictum hospitale et fratres in ipsa

donatione nostra audeat ulla confisus audacia aliquomodo molestare vel eos in jure suo sumpta occasione irrationabili aliquatenus impedire. Ut autem hec nostra donatio rata in perpetuum permaneat et fratribus inconvulsa, presentem paginam eis tradi jussimus sigillo nostro et testibus roboratam.

Testes autem sunt hii : venerabilis Landolfus Wormaciensis electus, Albero abbas Novi Castri (a), Taiginardus imperialis aule prothonotarius, Heinricus marcgravius de Burgov, Albertus comes de Hausburch, Anselmus de Justingen, Heinricus camerarius, Bertholdus marchalcus de Raisse, Rudolphus de Vonenberch, Heinricus comes de Werde, Cunradus scoltetus de Hofenburch, Eberhardus de Hertingesberch, Rindismule de Grundisberch.

Actum apud Hagenowe, anno gratie M° CC° XXXV°, VII° kalendas aprilis, indictione VIII°.

Apud Spigelberg, [martio exeunte.]

Hermannus, miles de Rietberg, donationem bonorum suorum in Ulvensheim ecclesiae Uterinae vallis a se factam tertio protestatur, Henrico rege apud Spigelberg praesente et consentiente.

(Edit. ap. Wurdtwein, *Nov. subsid. diplom.*, t. XII, p. 145.)

Ego Hermannus miles de Rietberc omnibus presens scriptum inspecturis notum facio quod bona mea in Ulvensheim taliter in possessionem ecclesie Uterine vallis devenerunt : Siquidem ipsa bona partim pro XL libris, partim pro remedio anime mee et meorum eidem ecclesie contuli et in castro meo Rietberc communicata manu cum uxore et pueris abbati Heinrico, Alberoni cellerario et Gerhardo converso, nullo reclamante vel contradicente, assignavi. Postmodum vero apud supradictam villam Ulvensheim coram ejusdem ville et aliarum adjacentium villarum quibusdam

(a) Germanice *Neuenburg*.

rusticis, in presentia militum Heinrici de Scharpheneke et filii ejus Heinrici junioris, C. de Rode, Baldewini de Nicastel, Ditheri de Queichen, supradicte ecclesie personis perpetuo possidenda cum omni jure quo prius ea possederam, rursum sollempniter assignando, totum factum meum confirmavi. Tandem apud castrum Spigelberc, predicto H. de Scharphenecke et Hugone de Offinbach tunc burgravio in Spigelberc coram glorioso Romanorum rege Heinrico, facto meo et juri ecclesie testimonium perhibentibus, idem rex tam factum nostrum quam jus ecclesie favore et assensu suo roboravit, et predicto Hugoni burgravio ab omni lesione et injuria auctoritate regia tuendum commisit.

Hujus rei testes sunt : venerabilis C. episcopus Spirensis, Hertwicus capellanus ejus, Fridericus comes de Liningen, Gerhardus Sylvester comes, Wernherus de Bonlanden, Wiricus de Dune, Sifridus scultetus de Lutra, et alii quamplures.

Ut autem hec omnia firma et illibata permaneant, sigillis predicti Spirensis episcopi, abbatis Uterine vallis, nostro et domini H. de Scharphenecke in presenti cedula sunt roborata.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° XXX° V° (1).

Henricus, Romanorum rex, notum facit quod episcopo Osnaburgensi locum argenti fodinae in praedio ecclesiae ejus, Hüggel et Stertenbrinke dicto, ipsi et ejus successoribus et ecclesiae titulo contulit feudali et eorum perpetuis usibus deputavit. Apud Oppenheim, 1ª aprilis.

(Edit. ap. Möser, *Osnabr. Gesch.*, 3ª pars docum., n° 168, descript. ab Henseler. ex autographo.)

---

(1) Deest notatio mensis. Minime tamen dubitandum tum ex itineris ordine, tum ex praesentia comitum de Leiningen et Sylvestris, quin ad mensem martium exeuntem hoc instrumentum referri debeat.

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Ad notitiam singulorum volumus pervenire quod nos intuitu devotionis quam ad nos habet dilectus princeps noster venerabilis Osnaburgensis episcopus, locum argentifodine in predio ecclesie sue quod Huyl et Stertbrinke vulgariter appellatur, sibi et suis successoribus et ecclesie Osnaburgensi cum omni jure et integritate ac suis pertinentiis titulo contulimus feudali et eorum perpetuis usibus deputamus. Ut igitur hec concessio nostra ipsi episcopo et suis successoribus ac ecclesie memorate rata permaneat et inconvulsa, presentem paginam inde conscriptam appensione sigilli nostre celsitudinis fecimus communiri.

Datum apud Oppenhein, anno dominice incarnationis M° CC° XXX° V°, kalendis aprilis, indictione VIII.

Apud Oppenheim, april.

Cum rex per poenas magnas cives Wormacienses vincere non posset, statim post Pascha (8 april.) anno MCCXXXV, convocatis omnibus suis fautoribus in partibus istis, venit, et convenerunt apud Oppenheim. Et in die sancti Marci ewangelistae (25 april.) mittens (*sic*) eos Wormatiam cum quinque mille armatis et pluribus. Qui venientes hora prima, volentes civitati nocere, quod adimplere non poterant; sed tamen in suburbio civitatis quod dicitur ad sanctum Michaelem, triginta domos vel paulo plures combusserunt. A civibus vero taliter coacti sagittis et pugnis, statim hora sexta reversi sunt Oppenheim ad suum regem. Erat autem inter eos Fridericus comes de Liningen et Silvester comes et alii multi comites et nobiles, quorum aliqui interim cum civibus composuerunt tam petitionibus quam etiam denariis (1). *Annal. Wormat.* ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 179.

(1) Huc bene convenit quod legimus in *Annal. Argent.* ap. Boehmer, *Fontes*, t. III,

Henricus, Romanorum rex, civibus in Frankenfort propter reparationem pontis eorum qui ex inundatione aquarum in maxima parte corruerat, medietatem proventuum monetae suae in Frankenfort et de sylvis suis ligna necessaria concedit. Apud Frankenvord, 10 maii.

(Edit. ap. Lunig, *Reichsarchiv*, t. XIII, p. 558. — *Privileg. et Pacta von Frankfurt*, p. 9. — Boehmer, *Codex Moenofrancof.*, t. I, p. 61.)

In nomine Domini. Amen. Henricus septimus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, fidelibus suis universis civibus in Franckenfurt pro tempore constitutis gratiam suam et omne bonum. Sicut pre ceteris civitatibus et hominibus nostris civitas vestra nobis hactenus obsequiosior ac devotior extitisse demonstratur, sic et gratia nostra debet vos amplioribus beneficiis honorare ut per hoc favoris nostri plenitudinem experiamini per effectum. Cum igitur ex repentina inundatione aquarum pons vester aliquotiens destruatur in parte et tandem forte corruerat, sicut jam perpenditur manifeste ex eo quod quedam pyle medie sunt destructe; hanc vobis gratiam intuitu pietatis ac vestre devotionis respectu duximus faciendam et ea in perpetuum volumus vos gaudere, scilicet ut medietatem proventuum monete nostre in Franckenfurt ad reparationem ipsius pontis annis singulis habeatis perpetuo et de sylvis nostris adjacentibus ligna, si qua vel quanta ad id necessaria erunt vobis. Ideoque volumus et mandamus vobis districte ut de his proventibus reparetis continue pontem ipsum. Ut autem super hac gratia vobis facta perpetuam certi-

p. 408 : « Anno MCCXXXV intelligens rex patrem adventurum, timens eum, coepit sibi asciscere amicitias principum et baronum et civitatum suarum. Unde incipiens a Basilea, ab omnibus civitatibus suis in Alsatia accepit obsides ne ab eo resilirent. Disposuit etiam cum illis de Nifen et cum aliis quibusdam quod bello impetierunt marchionem [de Baden]. Qui certus de adventu imperatoris, viriliter se defendit. »

tudinem habeatis et vobis firmiter observetur, id quod per presens privilegium [concedimus sigillo nostro] fecimus communiri.

Testes hujus rei sunt : Hermannus Herbipolensis, Conradus Spirensis episcopi, Thegenhardus imperialis aule prothonotarius, Ludolphus burgravius de Friedberg, Rudolphus de Wünnenberg (a), et alii quamplures.

Acta sunt hec apud Frankenford, anno incarnationis dominice MCCXXXV, VI idus maii, indictione VIII.

Apud Frankenvord, 13 maii. Henricus, Romanorum rex, ad supplicationem Sifridi Maguntini archiepiscopi, nobili viro Philippo de Virnenburg hanc concedit gratiam ut feoda ejus quae ab imperio tenet ad omnes ejus haeredes tam feminas quam masculos, transire possint.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 254, n° 377, ex cod. Redinghovenio apud Monachum, t. III, fol. 78.)

Datum apud Frankenvord, anno dominice incarnationis MCCXXXV, III idus maii, indictione VIII.

(a) Scilicet *de Fonenberch.*

FINIS PARTIS TERTIAE.

FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

PARS QUINTA

A MENSE JUNIO 1235 AD MENSEM SEPTEMBREM 1237.

ANNO 1235. — INDICTIONE 8.

Imperatore in Alemanniam veniente, fautores filii sui Heinrici regis valde turbati, fere omnes ipsum deserentes patri adhaerere coeperunt. Quapropter saepedictus rex Heinricus veniam a patre ipsius in Wimphe postulans, gratiae suae se suaque omnia contradidit, sed patre compositionis et satisfactionis formam in Wormatiam differente. *Chronic. Erphord.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 395. [Junio exeunte.]

In festo beati Ulrici (4 julii) venit imperator Fridericus Wormatiam ubi captivavit filium Heinricum regem. *Annal. Spir.* ap. Boehmer, *Ibidem*, p. 155. — Cum sicut decuit honestissime a clero et a civibus fuerit receptus, anno Domini MCCXXXV, in die sancti Udalrici, aderant duodecim episcopi pontificalibus induti, 4 julii.

inter quos erat dominus Landolfus episcopus. Quem cum imperator vidisset, ante monasterium stetit, et jussit eum abire de aspectu suo. *Annal. Wormat.*, *Ibidem*, p. 164.

---

15 julii. Supervenit breviter domina Elisabeth (Isabella) imperatrix, soror domini regis Angliae, cum qua dominus imperator celebravit nuptias in Wormatia solempniter in divisione Apostolorum (15 julii). *Annal. Wormat.*, *Ibidem*, p. 164. — Itaque XVII kalendas augusti (1) imperator sororem regis Angliae Wormatiae imperiali matrimonio sibi sollempniter copulavit (2). *Chronic. Erphord.*, *Ibidem*, p. 395.

Apud Wormatiam, julio. Fridericus, Romanorum imperator, abbatissam et conventum de Dusseren cum omnibus bonis earum sub protectione sua

---

(1) 16 julii, sed minus recte ut ex litteris episcopi Hildeshemensis evidentius patebit. Errat quoque Matthaeus Parisiensis quum dicat : « Desponsavit ergo puellam ibidem, matrimonium initiatum consummando solempniter imperator, XIII kalendas augusti in dominica. » *Hist. major*, p. 385. Dies enim vicesimus julii hoc anno dominicae minime conveniebat, dum contra quintus decimus dies juste in primam feriam incideret.

(2) « Eodem tempore soror regia Angliae rogatu imperatoris ab archiepiscopo Coloniensi et duce Brabantiae ab Anglia adducitur, ipsi imperatori nuptura. Quae ab omnibus civitatibus et oppidis per quae eam transire contigit, honorifice, sed a civibus Coloniensibus majore prae aliis tripudio quinta feria proxima ante Pentecosten (24 maii) suscipitur. Apud quos in domo praepositi sancti Gereonis per mensem in magna honorificentia continue moratur. Inde progrediens apud Wormatiam imperatori assignatur. Ubi imperiales nuptiae debito cum honore celebrantur. Imperator suadet principibus ne histrionibus dona solito more prodigaliter effundant, judicans maximam dementiam si quis sua bona mimis vel histrionibus fatue largitur. » Godefr. Colon., ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 367.

speciali recipit, mandans ne aliquis eas in aliquo molestare praesumat.

(Inedit. ex origin., inter pergam. Dusseren, n° 2, in archiv. reg. provinc. ap. Düsseldorf. Pendet adhuc sigillum albae cerae cum filis sericis flavi et rubri coloris.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis fidelibus nostris et imperii tam presentibus quam futuris quod . . . . venerabilis abbatissa et conventus monasterii de Dusseren (1), fideles nostre, majestati nostre humiliter supplicarunt ut tam ipsas quam et bona monasterii ejusdem sub nostra et imperii protectione de nostra gratia recipere dignaremur. Nos igitur supplicationibus suis benigne et favorabiliter inclinati, predictas abbatissam et conventum fideles nostras et monasterium ipsum cum omnibus bonis suis que in presentiarum juste tenet et possidet et que in antea justo titulo poterit adipisci, sub protectione nostra et imperii recepimus speciali. Presentium igitur tenore mandamus firmiter inhibentes quatinus nullus sit qui prefatas abbatissam et conventum fideles nostras ac ipsum monasterium contra hujus protectionis nostre paginam ausu temerario in aliquo molestare indebite, impedire vel inquietare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus itaque rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Datum aput Wormaciam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense julii, octave indictionis.

Conradus, Hildeshemensis episcopus, Gregorio papae gratulatur [20 julii circiter.]

(1) Juxta Duisburg, in Westphalia.

de pace reformata, nuntiatque imperatorem, filio ipsius ad ejus gratiam accedente, suas apud Wormatiam nuptias celebravisse, et curiam solemnem ad Moguntiam indixisse.

(Edid. Schannat, *Vindem. litter.*, tom. I, p. 200.)

Sanctissimo patri ac domino suo G. sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, Conradus Dei gratia Hildesheimensis episcopus promptam sue possibilitatis obedientiam et devotam. Cum per incrementum et honorem sancte matris Ecclesie crescat et proficiat honor Dei, non immerito congratulatur et congaudet universe christianitati super eo quod, Ecclesia Romana cum honoris tanto profectu reformata ut dicitur per pacem (1), spes future tranquillitatis et pacis repromittitur ecclesiis universis. Hinc est etiam quod Sedes Apostolica non tantum suis, sed devotorum ejus incrementis intendens, imperialem statum provehens in sublime, glorioso domino imperatori per vestrum favorem et divinum consilium in partibus Alemannie tantum prosperari concessit ut omnibus ad ejus votum cedentibus, tam majores quam minores principes, omni resistentia et contradictione remota, ad voluntatem ejus inveniat benivolos et paratos. Filio siquidem ipsius ad ejus gratiam accedente, coram pluribus principibus, archiepiscopis et episcopis, ducibus, marchionibus, baronibus et nobilibus multis apud Warmatiam die iduum julii suas nuptias solempniter celebravit (2), consequenter auctore Domino iturus Moguntiam ad celebrandam curiam ibidem in Assumptione Beate Virginis, ad quam universi principes Alemannie sicut speratur occurrent, de generali bono pacis et commodo totius Ecclesie mutuum consilium habituri. Negotia vero ecclesie admodum ardua magistro H. clerico meo secreto commisi, coram vobis in vestre sanctitatis presentia exponenda; supplicans humiliter et devote quod intuitu divine remunerationis, juxta consuetam Apostolice Sedis clementiam, eisdem negotiis favorem et consilium impendatis.

(1) Scilicet pax cum Romanis inita. Vid. supra p. 536, not. 1.

(2) Inde liquet in solemnitate nuptiarum Friderici, filium ejus Henricum nondum ita indignatione paterna perculsum ut caperetur et carcere detineretur : quod tamen post aliquot dies accidit.

Consilio habito VI (*leg.* IV) nonas julii, apud Wormatiam [Henricus] in gratiam patris recipitur. Sed non persolvens quae promiserat nec resignans castrum Drivels quod habuit in sua potestate, jussu patris imperatoris est custodiae mancipatus. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes,* t. II, p. 367. — Ubi (*scil.* Wormatiae) rex Henricus, audita compositionis forma a patre promulgata, fugam inire paravit. Quem pater captivum castro Heidelberg custodiendum tradidit, et post hunc ipsum absumens in Rhetia castro Alreheim (1) servandum commisit. Tandem imperator adhuc timens per ipsum ab emulis suis imperii turbationem moliri, per episcopos Salzeburgensem et Babenbergensem ac postea per patriarcham Aquilegiensem eumdem in Apuliam transmittens, castro Balerne (Palerme?) recipi mandavit. *Chronic. Erphord., Ibidem,* t. II, p. 395. — Interea Henricus rex filius imperatoris qui, ut prius dictum est, plurimos in suum favorem et auxilium per donativa attraxerat, persuasu cujusdam Hermanni magistri domus Theutonicorum et fratris B. ejusdem domus (2), accessit ad patrem. Qui statim fecit eum haberi sub custodia, et post aliquantulum temporis captum relegavit eum in regno Apuliae, ubi sub arcta custodia tenebatur, justo Dei punitus judicio. *Annal. Argent.* ap. BOEHMER, *Fontes,* t. III, p. 108-109. — Heinricus veniens ad patrem in Wormatia misericordiam petiit, sed non obtinuit. Fecitque eum capi pater suus et in domum magnam lapideam circa Sanctum Andream includi. A quo perductus fuit

(1) *Alerheim in Reiss*, non procul a Nordlingen versus orientem; quod castrum ad comitem de Œttingen pertinebat.

(2) Verisimiliter *Bertholdi de Tannenrode.*

ad Heidelbergam (1) et abinde ad Altzheim (Alreheim), dehinc in Siciliam missus est cum galea (2). *Chron. Wormat.* ap. Ludewig, *Reliq. Manusc.*, t. II, p. 119.

[Circa julium.] Fridericus, comes de Zollern, Friderico Romanorum imperatori scribit quomodo apud Achalm obsessus damna in servientibus et ministerialibus suis a marscalco [de Justingen] et domino de Niffen fuerit perpessus, auxilium et subsidium implorans.

(Edider. Höfler, *Gelehrte Anzeigen herausgeg. von mitgliedern der K. bayr. akadem.* (20 junii 1849), p. 994 et seqq., et *Archiv. fur Kunde Oesterr. Geschicht-quellen*, anno 1850, t. I, p. 594, n° IV, 1. — Stillfried et Maercker, *Monum. Zoller.*, edit. 1852, t. I, p. 57, n° CLXI. Originale extat in archivo Bambergensi ubi eadem manu ad tergum legitur : *imperatori.* Nullum sigilli vestigium.)

Reverendo domino suo F., Dei gratia Romanorum imperatori et semper

---

(1) Quod castrum in manibus ducis Bavariae tanquam palatini comitis Rheni ponebatur : unde Riccardus de Sancto Germano : « Anno 1235 imperator Heinricum filium suum redeuntem ad mandatum suum recepit, quem duci Bavariae custodiendum commisit. » Ad quod etiam alludit Matthaeus Parisiensis, licet ejus dictis fides in hoc non sit plane adhibenda : « In uno fortissimo [castro] cum filium obsedisset, ille patris metuens severitatem exivit de castro, et corruens in terram coram ipso misericordiam ipsius cum lachrymis et singultibus imploravit. Sed ille non adhuc spiritu conceptae irae maximae mitigato, vinculis filium jubens constringi duxit eum secum apud Wormesiam. Laxatis autem vinculis et loris ob regalem reverentiam aliquantisper dissolutis, dicitur filius patri venenum procurasse. Super quo scelere accusatus, vinculis iterum durioribus mancipatus traditur cuidam duci custodiendus, qui eum oderat inexorabili odio quia totis nisibus eum proposuerat rex Henricus exhaeredare. » *Histor. major*, p. 284.

(2) Cujus tamen transvectionem non ante mensem januarium anni sequentis evenisse comperimus ex his Riccardi de Sancto Germano verbis : « MCCXXXVI mense januario, imperator filium suum Henricum sub fida custodia per marchionem Lanceae mittit in regnum, et in Apulia in Rocca quae dicitur Sanctus Felix servandus traditur. »

augusto, Jerusalem regi regique Sicilie, F. humilis comes in Zolr debite subjectionis reverentiam. Sicut nuper meas per literas vestre significavi magnificentie quod in periculo corporis et rerum essem in obsidione castri Achalm, illud modo manifeste indicio comprobatur. Omnes enim mei servientes et ex ministerialibus octo vulneribus infecti et nimium cruciati a domino marscalcho (1) et a domino de Nifin (2) sunt captivati. Insuper in armis et in equitaturis me meosque spoliarunt large ad centum marcas. In expugnatione enim tocius mee familie nunquam aliquis ipsi tulit subsidium. Quapropter (a) vestre exhortor celsitudinis bennivolentiam quatenus mihi in dampno sic importabili auxilio et consilio subveniatis. Quicquid lator presentium vobis dixerit fidem vestra dignetur excellentia adhibere.

Conradus de Hohenloch, Heinricus marscalcus de Bappenheim et C. de Blochingen imperatori nuntiant quomodo comes Egino de Friburg se in Urach muniverit homines ibidem colligendo, dum ipsi viribus destituti castrum Niphen obsidere non possint. [Circa julium.]

(a) Ineunte linea vocem *Quapropter* jam exaratam rasit scriba, ut praecedentem sententiam scilicet *In expugnatione, etc.*, suo loco insereret.

---

(1) Hic agitur de Anselmo de Justingen, junioris Henrici assiduo fautore, quem, postquam bellum circa partes Rheni incoepisset, inimicitias in Suevia etiam post imperatoris adventum in Caesarianos exercuisse videmus. Hunc paulo post proscriptum discimus ex *Annal. Zwifalt.*, ap. Pertz, *Monum.*, t. XII, p. 59, ubi legimus ad ann. 1236 (rectius 1235): « Justingen obsidens evertit [Fridericus]. » Anno 1236 ad Fridericum Austriae ducem quem banno imperiali quoque supposuerat imperator, Anselmus de Justingen aufugit, cumque 11 novembris hujus anni apud Neustadt in curia hujus ducis morantem invenimus. Cf. Huebra, *Austr. illustr.*, p. 21. Apud quem etiam substitit usque ad julium 1244. Cf. Meiller, *Babenberg. Regest.*, passim.

(2) Scilicet Heinricus senior de Nifen, qui castrum Achalm ex parte matris suae quasi suum vendicabat. Extincta enim in masculis comitum Achalmensium linea, imperator hoc feodum ad imperii dominium revocaverat (Cf. Staelin, *Wirtemb. gesch.*, t. II, p. 455 et 572), et arcem optimo munitam comiti de Zollern suo nomine custodiendam commiserat. Quam tamen a rebellibus expugnatam fuisse compertum habemus.

(Edid. HÖFLER, *Gelehrte Anzeigen*, etc., 1849, p. 994 et seqq. et *Archiv für Kunde Oesterr. Gesch. quellen*, 1850, t. I, p. 594, n° IV, 2. Originale extat in archivo Bambergensi ubi eadem manu ad tergum pergamenae legitur : *domino Romanorum imperatori*, et infra *C. de Hohenloch*, etc. Cujus, sicut et prioris documenti, fac simile ibidem exhibuit Höfler. Nullum sigilli vestigium.)

Serenissimo domino suo Fr. Romanorum imperatori semper augusto, C. de Hohenloch comes Romanie, H. marschalcus de Bapinhain et C. de Blochingen debitum et paratum in omnibus obsequium. Vestra scire dignetur excellentia quod comes Egino de Vriburch (1) in Urach munitus multa collectione militum et aliorum hominum se locavit in dampnum et ignominiam imperatorie majestatis, pretendens quod si in bonis suis ab aliquo offendatur, velit pro viribus prohibere. Nec tamen eum ibi bona cognovimus aliqua retinere. Preterea scire dignemini quod cum Nipharius (2) nuper domum ante Achalm expugnasset et ibi nostros homines captivasset, dictus comes Egino eos in Urach recepit, et adhuc ibi cum eo morantur, et propter hoc ad obsidionem castri Niphen venire non possumus, nisi copiam hominum quod possimus eis resistere habeamus. Quid super hiis facturi simus nobis vestra dominatio citius dignetur rescribere. Dictus enim comes Egino, postquam Spannagil (3) a nobis recessit, laborat omnibus modis ad homines acquirendos (4).

---

(1) Comes ille cui multis bonis et honoribus rex Henricus providerat, belli in Suevia summoti caput et quasi princeps fuisse videtur. Devictus tamen haud multo post obiit, scilicet 23 julii 1236. Cf. SCHOEPFLIN, *Hist. Zar.-Badens.*, lib. II, § VII, p. 229.

(2) Idem qui supra, videlicet Heinricus de Nifen.

(3) Ex familia Stauffensibus addictissima nuntius ille fuit, licet in privilegiis Friderici secundi non adhuc apparuerit. Spannagil quidam nomine Conradus in curia Philippi regis ann. 1200 et 1205 affuerat, cujus filius vel nepos nominis ejusdem in privilegio Conradini de anno 1262, 16 augusti, testis quoque inscribitur.

(4) Has et quae praecedunt litteras, quum ibi desint omnino chronologicae notae, non ante exeuntem junium quo tempore imperator circa partes Sueviae advenerit, neque post curiam Maguntinam ubi ex unanimi principum assensu Friderici adversariorum tota spes evanuit, reponendas esse censemus. Nobis sententiam Höfleri ex commentario praelaudato jam assectantibus, novam Staelinus huic opinioni fidei causam attulit, tum ex *Wirtemb. Jahrbücher*, 1848, t. I, p. 110-114, tum ex epistola qua ad rem elucidandam nos salutare solita liberalitate voluit. Unde mense julio et forsitan dum imperator Wormatiae degeret, duo instrumenta fuisse scripta conjicimus.

Celebratis itaque nuptiis die praedicta, assumpta domina imperatrice accesserunt Hagenowiam (1). *Annal. Wormat.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 165. [Julio exeunte.]

Gregorius papa principibus Alemanniae mandat ut, quum concordia christiani populi sit negotio Terrae Sanctae perutilis, imperatorem ad hoc inducant quod ipse, deposito omni in Lombardos rancore, negotium societatis Lombardiae in manibus Ecclesiae praecise iterum ponere non omittat. Perusii, 29 julii.

(Edid. Pertz, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 312-313, ex regest. Gregor., anno IX, n° 169.)

Gregorius, etc., archiepiscopis et episcopis ac aliis ecclesiarum prelatis, nobilibus viris ducibus, marchionibus, comitibus et baronibus in imperiali curia constitutis (2), etc. Puritas fidei et devotionis immense sinceritas quibus circa reverentiam matris Ecclesie pre aliis fidelibus studetis auctore Domino refulgere, nobis plenam fiduciam offerunt quod in hiis que secundum Deum cupimus, vos promptos et faciles habeamus. Hinc est quod cum tempus advenerit prorogationis spatium non admittens, in quo redemptioni patrie quam Patris eterni Filius suo noscitur pretioso sanguine consecrasse, efficax consilium finale et auxilium debeat provideri, uni-

(1) Annales Argentinenses pleniores ap. Boehmer, *Fontes*, t. III, p. 109, rem paulo diverse referunt : « Quam (*scil.* imperatricem) post nuptias misit Hagenowe, et cum ipsa ibidem hiemavit. »

(2) Erant enim ad hoc destinatae litterae ut ad imperii principes pervenirent, dum forent in Moguntina curia congregati.

versitatem vestram rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, in remissionem vobis peccaminum injungentes quatinus pensato prudenter quod Sancte Terre negotium non possit promoveri facilius quam quod christianus populus sit in sereno pacis et concordie constitutus, omni rancore deposito quem ex quacumque causa contra Lombardos hactenus concepistis, carissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum imperatorem, etc., ad hoc sicut attentius poteritis vestris exhortationibus inducatis quod ipse, quacumque turbatione propulsa quam Lombardorum presumptio (1) eidem dinoscitur induxisse, negotium societatis Lombardie, Marchie Tervisine ac Romaniole in manibus Ecclesie juxta imperialis forme tenorem, quam ab ipso imperatore recepimus et dicte societatis rectoribus sub bulla nostra misimus interclusam (2), precise ponere non omittat. Sicque fiat quod, vobis causam dantibus per quam strepitu cessante discordie possit de Lombardie provincia rebus et hominibus copiosa Terre Sancte commodum provenire, vestra sinceritas proficiat ad retributionis eterne premium quod pacem diligentibus paravit conditor singulorum.

Datum Perusii, V kalendas augusti, anno nono.

Perusii, 28 julii.

Gregorius papa magistro et fratribus hospitalis Hierusalem mandat ut bajulo et legato Friderici, Romanorum imperatoris, in partibus Syriae consilium et auxilium praebeant, et Johanni de Ibelino ac Acconensibus Tyrum obsidere praesumentibus se viriliter opponant.

(Edid. PAULI, *Cod. diplomat. del sacro ord. di Malta*, t. I, p. 271, ex Bullar. E, fol. 235; nunc correctius ex collectione Laporte du Theil.)

---

(1) Scilicet postquam Henrici regis contra patrem rebellioni tam promptas manus Lombardi admovissent.

(2) Cf. supra, p. 490, 491, 492, 493.

Gregorius (*a*), etc., magistro et fratribus hospitalis Hierusalem, etc. Evidens est et ambiguitatis nubilum non admittit quod ad hoc potissime religionis habitum assumpsistis ut in Terre Sancte partibus ampliationi vacando fidei, patrie superne civibus aggregari (*b*). . . . Digne igitur vobis suadere possumus et debemus ut cum propositum vestrum ex eo precipue promoveri valeat quod Syrie partibus aliquod adversitatis nubilum non incumbat, illa promptis affectibus studeatis efficere per que possit eadem pacis et quietis gaudiis exultare. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur attente, per apostolica scripta vobis in virtute sancte obedientie precipiendo mandantes quatenus provida meditatione pensantes quid charissimo in Christo filio nostro Federico imperatori ex eo favoris debeamus et premii quod in obsequiis matris Ecclesie, sicut suam excellentiam decuit, promptus et officax studuit inveniri, bajulo et legato suo in predictis partibus constituto omne quod poteritis in imperialium conservatione jurium consilium et auxilium, sublato difficultatis obstaculo, prebeatis; curam et studium habituri ut, si forte nobilis vir Joannes de Ibelino (*c*) ac populus Acconensis ejusdem suggestionibus instigatus ad obsidendam civitatem Tyri vel aliquam terrarum ad dominium imperiale spectantium procedere aliquatenus attentarent, efficacem opem et operam apponatis ut ipsi a suo conatu corruant et adversus imperatorem eumdem se ulterius erigere non presumant. Sicque fiat quod, illis a concepti erroris prosecutione cessantibus et vestra faciente prudentia quod in predictis partibus vitentur dissentionis et scandali detrimenta, nos qui honoribus Ecclesie reputamus adjici quicquid secundum Deum potest utilitatis et glorie imperiali excellentie cumulari, reddatis vobis in vestris necessitatibus obligatos, et imperatoris ejusdem potentia sit vobis opportunis temporibus gratiosa; scituri quod cum sepedictus imperator sit in remoto positus, quare nobis de suorum conservatione jurium cura imminet specialis, si eum (*d*) in premissis vel aliis a quocumque offendi contin-

(*a*) Ap. Paull *papa nonus*, male.
(*b*) Deest verbum *mereamini* vel hujusmodi.
(*c*) Ap. Paull *de Gibelino*, male.
(*d*) Ap. Paull *enim*, male.

geret, quasi esset nobis illata injuria, gravis cor nostrum turbatio fatigaret, succedentibus ultionis condigne studiis que haberi condecet in presumptorum excessibus corrigendis.

Datum Perusii, V kalendas augusti, pontificatus nostri anno nono.

In eumdem modum scriptum est magistro et fratribus domus militiae Templi Hierosolymitani et praeceptori et fratribus hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum in Accon (1).

Perusii, 1° augusti.

Gregorius papa episcopo Ratisponensi mandat ut Henrico filio Friderici, Romanorum imperatoris, ab archiepiscopo Salzeburgense excommunicato, cum sit ad patris gratiam jam reversus, sufficienti ab eo cautione recepta, beneficium absolutionis impendat.

(Edit. ap. RAYNALD., *Annal. eccles.*, ad ann. 1235, § X, e regest. Gregor., lib. IX, n° 172.)

Gregorius, etc., episcopo Ratisponensi, imperialis aule cancellario, etc. Cum nobilis vir Henricus natus charissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum imperatoris pro perjurio quod incurrit se patri temere opponendo, sit per venerabilem fratrem nostrum Salzeburgensem archiepiscopum auctoritate nostra excommunicationis vinculo innodatus, presentium tibi auctoritate mandamus quatenus eidem, cum sit ad ipsius imperatoris gratiam jam reversus (2), juxta formam Ecclesie beneficium

---

(1) Adest etiam ap. RAYNALD., *Annal. eccles.* ad ann. 1235, § XLII, sub notis chronologicis eisdem alia epistola nobili viro Joanni de Ibelino directa, cum invocatione « Spiritum consilii sanioris, » qua graviter illum papa objurgat ex eo quod res Syriacas infestet.

(2) Inde discimus papam, ineunte augusto, nondum comperisse qualiter Henricus, primo in gratiam receptus, mox e solio in carcerem dejectus fuerit.

absolutionis impendas; sufficienti ab eo prius cautione recepta quod militibus Danis ab obsequio Romane Ecclesie redeuntibus necnon clericis accedentibus ad illam et redeuntibus ab eadem, quos fecit bonis suis non absque divina et Apostolice Sedis injuria spoliari, satisfaciat competenter.

Datum Perusii, kalendis augusti, [anno IX].

---

15 augusti.

Curia celeberrima in Assumptione beatae Mariae apud Maguntiam indicitur. Ubi fere omnibus principibus regni Teutonici convenientibus, pax juratur, vetera jura stabiliuntur, nova statuuntur et Teutonico sermone in membrana scripta omnibus publicantur (1); excessus regis contra imperatorem cunctis aperiuntur (2). GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 367. — Adveniente festo Assumptionis, convenerunt principes ex diversis partibus Theutoniae apud Moguntiam usque ad duodecim millia militum. *Annal. Argentin.*, *Ibidem*, t. III, p. 109.

---

(1) Membranae hujusmodi Teutonico sermone tunc conscriptae exampla nulla supersunt; at capita constitutionis ordine paulo diverso ibi collocata fuisse, inde fortasse conjicere liceat quod textus Teutonico sermone scriptus, ubicumque non solum posteriorum constitutionibus imperatorum inseritur, sed seculo XV e latino translatus occurrit, eodem ordine habetur quem infra in edictis de 25 julii 1281, de 13 decembris 1281, de 24 martii 1287, de 2 octobris 1292 et anni 1303 invenies. *Pertzii animadversio*, p. 312. — Textum vero Germanicum a constitutionibus Rudolfi, Adolfi et Alberti diversum, sive ab ipso exemplo anni 1235 sive a textu latino derivatum, cl. vir ille denuo proposuit inter *Addenda*, t. IV, p. 571-582. Cf. GATTERER, *De Epocha*, etc., ap. *Comment. Gotting.*, anno 1780, p. 24. Schönemann (*System der Diplom.*, t. I, p. 300) huic opinioni adversatur qua quidam Moguntinam constitutionem sub prima et originali forma Teutonico sermone scriptam fuisse crediderunt.

(2) Tunc temporis Henricum ex sententia principum regia potestate destitutum fuisse arbitramur. Ap. JUNGEN, *Miscellan.*, t. II, p. 122-123, adest quoddam instrumentum ubi ad calcem haec singularis nota legitur : « Acta sunt hec Friderico imperatore filium suum a sui regni solio destituente. » Cf. GEORGIUS, *Uffenh. Nebenstund.*, t. I, p. 205, nota.

In solemni curia Maguntiae, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, constitutionem generalem promulgat sub quindecim capitulis distinctam, ad statum imperii in observantia pacis et executione justitiae reformandum.

(Edit. ap. SCHUNK, *Beitrage zur Mainzer Gesch.*, t. I, p. 354. — HÖFER, *Zeitschrift*, t. II, p. 190, cum variantibus. — DREYER, *Nebenstunden*, ann. 1768, p. 433.— PERTZ, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 313; coll. cod. bibl. publ. Francofurtanae, olim S. Bartholom., sec. XIII, et charta civit. Tremoniae, seculi ejusdem, nunc in archivo provinciali Monasteriensi.)

Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Imperialis eminentie solium nutu divine provisionis adepti, circa regimen subjectorum consilia nostra duplici vinculo pacis et justitie roboranda providimus ut per hec nominis nostri celebritas habeat quod sibi servet ad gloriam, subditis ad salutem. Ex his enim precipue munitur auctoritas imperantis, cum in observantia pacis et executione justitie quantum terribilis est perversis, tantum est desiderabilis mansuetis. Proinde cum ad commissam nobis rempublicam gubernandam nos urgens cura sollicitet ut sub felici nostrorum temporum statu circa subjectos nostri imperii populos vigeat pacis et justitie moderamen, licet per totam Germaniam constituti vivant in causis et negotiis privatorum consuetudinibus antiquitus traditis et jure non scripto, quia tamen ardua quedam que generalem statum et tranquillitatem imperii reformabant nondum fuerant specialiter introducta, quorum partem aliquam siquando casus trahebat in causam, ficta magis opinio quam statuti juris aut optente contradictorio judicio consuetudinis sententia terminabat; de consilio et assensu dilectorum principum ecclesiasticorum et secularium in solempni curia celebrata Moguntie constitutiones quasdam certis capitulis comprehensas, presentibus eisdem principibus, nobilibus plurimis et aliis fidelibus imperii, fecimus promulgari; quas in publica munimenta redactas ab universis et singulis jussimus inviolabiliter observari, pena

contra transgressores sacrarum constitutionum edita, prout violate majestatis decus et facilitas exigit delinquentis.

1. *De ecclesiasticis sententiis in causis spiritualibus observandis.* Libertates ecclesiarum et jura tanto liberalius nostra debet fovere clementia quanto devotius nobis ab eisdem et earum rectoribus in spiritualibus et temporalibus servicium exhibetur. Statuimus igitur firmiter et districte precipimus ut in civitatibus, opidis, villis et omnibus locis sacri nostri imperii, episcoporum et archidiaconorum jurisdictioni nullus injuste resistat, sed eorum ordinationes et juste sententie in causis ecclesiasticis observentur.

2. *De advocatis ecclesiarum.* Statuimus insuper et districte jubemus ut omnes ecclesiarum advocati fideliter eas pro viribus et posse suo defendant, sicut divinam gratiam et nostrum diligunt favorem. In bonis etiam advocatiarum suarum ita se rationabiles et modestos exhibeant ut ad nos de ipsis gravis querela non veniat; alioquin, ad satisfactionem querelantium de ipsis sumemus ut est justum debitam ultionem. Preterea sub obtentu gratie nostre et imperii firmiter inhibemus ne quis propter quamcumque culpam, debitum vel guerram advocatorum, bona ecclesiarum invadat vel pignoret vel incendiis dampnificet aut rapinis. Quod si fecerit, convictus legitime coram suo judice, proscribatur, nec proscriptio relaxetur nisi triplum dampni persolvatur illati, duplum ecclesie cujus bona sunt et simplum advocato.

3. *De treugis.* Sepius accidit ut presertim inter militares viros orta contentio treugarum interpositione per obligationis vinculum conquiescat. Quia quod ex humanis erroribus per momenta subtrahitur, nisi nexui pene subjaceat in perniciem pristinam recidivat, firmiter igitur et districte precipimus ut si is in quo treuge violate sunt, cum eo in cujus manum promisse fuerunt et duobus aliis synodalibus viris integri status de violatione treugarum coram judice suo per sacramenta probaverit, violator proscribatur nec unquam absolvatur a proscriptione preter voluntatem actoris vel manum perdat. Si vero is in cujus manum treuge date sunt, noluerit veritati testimonium perhibere, cogatur a judice, nisi declaret suam ignorantiam sacramento; alioquin convictus manum amittat. Quod

si per mortem alicujus treuge fuerint violate et consanguineus interfecti aliquis probaverit secundum formam jamdictam, violator convictus perpetuo sit erenlos et rethlos.

4. *De judiciis.* Oportet officio judicis merita suffragari, quia moribus debet excellere qui reatus discutit aliorum. Sanctimus igitur sub obtentu gratie nostre firmiter injungentes ut principes nostri et omnes alii qui judicia tenent a nobis immediate, causas coram eis arbitratas secundum terrarum rationabilem consuetudinem justo judicio terminent et idem precipiant aliis judicibus qui sub eisdem sunt et jurisdictionem ab eis tenent. Quod qui non fecerit districte eum prout justum fuerit puniemus, nil de jure nostro vel pena nobis attinente remissuri, nulli volentes in hoc parcere vel deferre. Idem precipimus etiam a majoribus judicibus circa inferiores judices firmiter observari.

5. *Ut nemo se vindicet sine judicis auctoritate.* Ad hoc magistratus et jura sunt prodita ne quis sui doloris vindex sit; quia ubi juris cessat auctoritas, excedit licentia seviendi. Statuimus igitur ut nullus in quacumque re dampnum ei vel gravamen fuerit illatum, se ipsum vendicet, nisi prius querelam suam coram suo judice propositam secundum jus usque ad diffinitivam sentenciam prosequatur, nisi in continenti ad tutelam corporis sui vel bonorum suorum vim vi repellat: quod dicitur nothwere. Si quis aliter processerit ad vindictam, dampnum illatum adversario solvat in duplum, nulla actione sibi de dampnis vel gravaminibus illatis sibi de cetero competente. Si quis vero coram judice sicut predictum est in causa processerit, si jus non fuerit consecutus et necessitate cogente oportet eum diffidare inimicum suum, quod vulgo dicitur widersage, hoc diurno tempore faciat; et ex tunc usque in quartum diem, id est post tres integros dies, diffidans et diffidatus integram pacem servabunt sibi in personis et rebus. Is autem in quo violatum fuerit hoc statutum, coram judice conqueratur qui per se vel per nuncium citabit violatorem, et nisi violator productus super hoc vel septena manu synodalium hominum purgaverit innocentiam suam, quod non commiserit contra hoc statutum, perpetuo pene subjaceat quod dicitur erenlos und rehtlos (a).

(a) Sic germanice. Alias *herenlos et rechlos.*

6. *De teloneis et monetis.* Cum aliena invito domino non siue juris injuria contractentur, eo durius quis furti et falsitatis arguitur quo presnmptuosins aliqnid sibi de rei publice proventibus nsurpavit. Ideoque statuimns nt omnia telonea tam in terris quam in aquis post mortem dive memorie patris nostri imperatoris Heinrici a qnocnmque et ubicumque instituta fuerint, removeantnr omnino, nisi is qui habet coram imperatore probet ut justum est se telonenm de jnre tenere. Item precipimus omninm teloneorum superadjectionem removeri et omnino cessare et in statu pristine institutionis debite permanere. Si quis autem hujus nostre sanctionis violator exstiterit ant aliqnid ultra debitnm et statutum extorserit vel usurpaverit in loco indebito, coram suo jndice de his legitime convictus tanqnam predo et popnlator strate pnblice pnniatur. Receptores vero teloneorum tam in terris qnam in aquis debito modo teneri volumus ad reparationem pontinm et stratarum, transeuntibus et navigantibus a qnibns telonea accipinnt, pacem, securitatem et coudnctum, ita quod nichil amittaut quatenus durat districtus eorum, prout melius possnnt fideliter procurando. Quicumque vero tercio legitime convictus fuerit coram nobis statntum hoc non servasse, telonenm domino vacet a qno illud tenet. Districte insnper inhibemus ne domini vel civitates pretextu faciendarum mnnitionum vel alia quacumque de causa telonea vel exactiones instituant que vulgo dicuntur ungelt in homines extra positos vel extraueos vel bona eorum, sed dominus de sno vel hominnm suornm bonis edificet; violatoribus hujus edicti nostri tanqnam predonibus strate pnblice puniendis. Si bellnm vel verra fnerit inter aliquos qnorum alter vel nterque in strata telonenm habeat vel condnctum, nenter illorum nec quilibet alius in odium vel culpam illius ad quem jus telonei pertinet vel conductus, quicquam transeuntibns rapiat, nt transeuntes per stratam securitate gaudeant et quiete. Qui contra hoc fecerit tanquam predo publicus puniatur. Precipimus autem omnes stratas publicas observari et coactas stratas omuiuo cessare.

7. *De monetis.* Statnimns firmiter omnes monetas post mortem dive memorie Heinrici imperatoris patris nostri omnino cessare, nbicnmqne et a qnocumque fuerint institute, nisi qui tenet eas prout jnstum est coram

nobis ostendat se ab imperio de jure habere. Quicumque vero monetas injuste tenuerit, tanquam falsarius puniatur. Veteres autem monete debito modo et juste et rationabiliter observentur. Omnem fraudem et falsitatem in monetis fieri districtius inhibentes, preterea falsariorum pene subjacere decrevimus omnes illos qui sibi monetam sive formam aliene impressionis usurpant.

8. *De conductu usurpando.* Stulte presumentur illicita ubi questus improbitas humanitatis beneficium actionibus venalitatis exponit. Firmiter inhibemus ne quis conductum alicui precio prebeat, nisi jus conducendi teneat ab imperio jure feodali.

9. *De phalburgaris et muntmannis.* Precipimus ut phalburgari in omnibus civitatibus tam in nostris quam aliorum cessent et removeantur omnino; muntmannos etiam ubique cessare jubemus.

10. *De pignoribus.* Nullus aliquem sine auctoritate judicis provincie pignorare presumat. Quod qui fecerit tanquam predo puniatur.

11. *De pena filiorum qui committunt in patres, et fautores eorum* (1). Cum apud omnes ingratitudinis vitium non leve sit crimen, tanto gravius est in filio puniendum quanto paterne pietatis est immemor, cujus beneficia nullo potuit obsequio vel devotione mereri. Hac igitur edictali lege perpetuo valitura sanctimus ut quicumque filius patrem suum de castris, terris aliisve possessionibus violenter ejecerit aut bona ipsius incendiis vastaverit vel rapinis seu cum inimicis patris fedus inierit, sacramenta vel fidem prestans in paterni honoris vel bonorum ipsius grave detrimentum vel destructionem, quod vulgo verderpnusse (*a*) vocatur : si pater cum duobus viris bone opinionis et integri status, synodalibus hominibus, eumdem filium de aliquo maleficiorum jam enumeratorum coram judice

(*a*) Alias *Verderprusse* et *Vorderfnusse*.

(1) Notandum est hoc capitulum apud omnes versiones germanicas, quarum ordo ab originali latino discedit, sub initio constitutionis inseri. Quum autem rebellioni Henrici regis ibi clare alludatur, cujus destitutio in hac ipsa curia denuntiata fuit, rebellium poenam filiorum primum locum in editione teutonica obtinuisse credimus, ut populi memoriae et quasi oculis res aptius infigeretur.

suo convicerit sacramento, omnium bonorum successione tam paternorum quam maternorum, mobilium et immobilium, feodis, proprietate ac hereditate sit perpetuo ipso jure privatus; ita quod nec patris nec ullius judicis restitutione vel beneficio ullo unquam tempore potiatur. Filius vero qui mortem patris fuerit machinatus, aut vulnerando aut vinculando manus violentas in eum injecerit, si de hoc coram suo judice fuerit convictus, supradicto modo omni jure omnique actu legitimo perpetuo sit ipso jure privatus, quod vulgo dicitur erenlos et rehtlos, nulla circa ipsum restitutione locum habente. Testes vero quoscunque pater coram judice super hiis nominaverit, non obstante consanguinitate qua patri vel filio sunt astricti, omni prorsus contradictione et exceptione cessantibus, teneantur veritati testimonium perhibere. Quod si renuerint, cogantur a judice jure debito et consueto, nisi suam declaraverint ignorantiam sacramento.

Ministeriales vero et servilis conditionis homines ejusdem quorum consilio et auxilio filius aliquod prefatorum scelerum perpetravit, coram suo judice secundum formam supradictam a patre convicti supradicte pene que vulgo dicitur erenlos et rehtlos, perpetuo cum infamie nota subjaceant ipso jure. Contra quos tamen non ita districte procedatur, nisi prius contra filium sit processum ut maliciis et fraudibus occurratur.

Sane omnes alii quorum consilio et auxilio filius contra patrem commiserit, convicti per testes juxta formam predictam a judice in cujus jurisdictione id evenerit proscribantur; nec absolvantur a proscriptione nisi damna eorum consilio et auxilio illata persolverint, patri in duplum et judici quod tenentur videlicet wette. Si quis vero eorumdem vasallus patris fuerit, nichilominus ipso jure perpetuo cadat a feodo. Si vero dominus idem feodum ei quandocunque restituerit, tantumdem de bonis suis immobilibus vel si hec non habuerit, estimationem eorum judici suo persolvere teneatur. In omnibus tamen causis memoratis sit omnis testis liber, integri status et bone fame, in causis parium principum et aliorum, sive inferiores ipso sint, etiam ministerialiter (a). Ministeriales vero in causis ministerialium et inferiorum, sed non in causis liberorum; rustici vero et

(a) Id est *sive etiam sint ministerialis conditionis*; germanice *von dienstmannsart*.

servilis conditionis homines in causis non superiorum, sed suorum parium admittantur.

Si vero pater etate, infirmitate, captivitate aliave legitima causa impeditus suam non poterit injuriam prosequi, aliquis consanguineorum ipsius impedimentum patris expressum juramento declarans, ad eamdem actionem prosequendam debeat tanquam pater admitti, omni sibi jure concesso quod patri competeret. Hiis omnibus specialibus in odium et detestationem criminis contra divini et humani juris naturalem equitatem admissi generaliter perpetuo valituris.

12. *De proscriptionibus*. Penarum est pro qualitate nocentium inventa diversitas. Unde et proscriptos tanquam publicum crimen prosequimur, ut quibus immanitas flagitii patriam interdixit, impunis etiam inferatur offensa. Firmiter igitur et districte precipimus et statuimus proscriptionis sententiam a judicibus in locis tantum publicis promulgandam; nec proscriptio relaxetur, nisi sufficienti cautione premissa quod satisfaciat actori secundum consuetudinem terre. Quod si judex non fecerit, nos requisiti judicem ut justum est eumdem puniemus. Item districte precipimus ut omnis judex tam princeps quam inferior nemini qui a proscriptione absolvitur, relaxet penam que dicitur wette, ut magis ceteri timeant ne proscriptionibus involvantur.

Item statuimus ut quicumque per annum et diem in proscriptione imperatoris perstiterit, si actor ad cujus querelam fuit proscriptus de hoc ipsum legitime convicerit coram nobis, per sententiam nostram erenlos et rehtlos pronuncietur.

Item quicumque impetetur ab alio provocatus ad duellum pro crimine lese majestatis, tanquam consilio vel auxilio contra nos aut imperium aliquid attemptaverit factiosum, si legitimis sibi induciis prefixis non comparuerit suam innocentiam purgaturus, per sententiam nostram erenlos et rehtlos judicetur. [Item pro perfidia vel homicidio quod dicitur mort.]

13. *De proscriptis*. Precipimus et firmiter inhibemus ne quis proscriptos manu teneat vel scienter hospitio recipiat. Quod si fecerit et de hoc legitime convictus fuerit, tanquam proscriptus puniatur, nisi septima manu synodalium hominum integri status ignorantiam suam primo declaret.

Ubicumque proscriptus interdicitur vel invaditur, a nemine defendatur, et si quis eum scienter defenderit et de hoc legitime convictus fuerit, eadem culpa teneatur et tanquam proscriptus judicetur.

Nulla civitas vel opidum proscriptum teneat scienter. Nullus eum defendat si ei malum aliquod inferatur; nichil ei detur gratis; nemo secum in emptione vel venditione participet, sed in omnibus evitetur. Si civitas eum communiter scienter tenuerit, si est murata, murum ejus judex terre destruat; hospes ejus ut proscriptus puniatur. Si civitas muro caret, judex eam succendat nec ulli liceat eam defendere. Si civitas se opposuerit, tam civitas quam homines qui se opponent cadant ab omni jure suo. Si judex in cujus districtu est, hoc facere nequeat, significabitur nobis, et nos illud exequi faciemus.

14. *De emptoribus rei predate vel furtive.* Interciditur nocendi materia si fautoris occasio subtrahatur. Unde etiam secundum jura civilia pari pena prosequimur et fures et eos qui per participationem depositi vel empti sinum furantibus prebuerunt. Statuimus itaque ut quicumque scienter emerit rem predatam vel furtivam vel hospes fuerit, id est scienter receptor non proscriptorum predonum aut furum, si de hoc legitime semel convictus fuerit, domino cujus res erat solvat in duplum. Si secundo convictus fuerit hoc fecisse, si res predata fuerit tanquam predo, si furtiva tanquam fur puniatur.

15. *De justiciario curie.* Trahunt ad se sollicitudinem imperii regimen et diversarum negotia terrarum et regionum; que cum semper expediat per nostram diligentiam expediri, querelantium causas quibus personaliter presidere non possumus, per virum probate fidei, opinionis honeste, prepositum judiciis, loco nostri volumus terminari, in quo preter hec que nostre censure specialiter reservavimus, inviolabile judicium attendatur. Statuimus igitur ut curia nostra justitiarium habeat virum libere conditionis, qui in eodem persistat officio ad minus per annum, si bene et juste se gesserit. Hic singulis diebus judicio presideat, exceptis diebus dominicis et aliis festis majoribus, jus reddens omnibus querelantibus, preterquam de principibus et aliis personis sublimibus in causis que tangunt personas, jus, honorem, feoda, proprietatem vel hereditatem eorumdem,

et nisi de causis maximis; predictarum etenim discussionem et judicium nostre celsitudini reservamus. Hic judex terminos sive dies in illis arduis causis eorumdemque ad imperatorem (a) spectant non prefiget sine nostro speciali mandato. Reos non proscribet nec a proscriptione absolvet; hec namque auctoritati nostre et excellentie reservamus. Et idem jurabit quod nichil accipiet pro judicio, quia nec amore nec odio nec prece nec pretio nec timore nec gratia nec alia quacumque de causa judicabit aliter quam justum sciat vel credat secundum conscientiam suam, bona fide sine omni fraude et dolo. Eidem dimittimus et assignamus jura que ex absolutione proscriptorum provenerint que vulgo dicuntur wette, eorum dumtaxat (b) quorum cause coram eo tractate sunt ut benevolentius judicet et a nullo numera recipiat; quam penam nemini relaxabit, ut homines proscriptionem potius timeant. Idem habebit notarium specialem qui nomina proscriptorum scribet et actorum et causam ipsam sive querelam et diem quo proscriptioni involvuntur; item nomina absolutorum a proscriptione et actoris propter quem proscripti fuerunt, causam et diem absolutionis, fidejussorum absoluti nomina, qui sint et unde sint, sive aliam cautionem quam prestat absolvendus juxta consuetudinem terrarum pro satisfactione querelantis. Idem recipiet litteras continentes querelas et servabit. Idem nullam aliam curam negociorum curie habebit. Idem scribet nomina eorum qui accusantur vel denunciantur tanquam nocivi terre, et infamiam et eorum nomina quando a suspicione absolvuntur delebit. Idem scribet omnes sententias coram nobis in majoribus causis inventas, maxime contradictorio judicio obtentas, que vulgo dicuntur gesamiut urteil, ut in posterum in casibus similibus ambiguitas rescindatur, expressa terra secundum consuetudinem cujus sententiatum erit. Idem erit laicus propter sententias sanguinum quas clerico scribere non licet, et preterea ut si delinquit in officio suo, pena debita puniatur. Item juramentum prestabit secundum formam juramenti qualiter (c) justiciarius facit, et quod fideliter

(a) Alias *ad ipsum*.
(b) Alias *eosdem taxat*, male.
(c) Ap. Höfer *quod*.

et legaliter se habebit in officio, nihil scripturus et facturus contra jus et debitum secundum conscientiam boue fidei, omni dolo et fraude cessante.

Ad generalem statum et tranquillitatem imperii edite et promulgate sunt hee constitutiones de consilio et assensu principum tam ecclesiasticorum quam secularium necnon plurimorum nobilium et aliorum fidelium imperii, in sollempni curia celebrata Maguncie, anno incarnationis Domini MCCXXXV, mense augusti, indictione VIII, imperante domino Friderico secundo, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus XV, regni Ierusalem X, regni vero Sicilie XXXVII, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces Walteri abbatis Sancti Gisleni, inserit et renovando confirmat privilegium a patre suo Henrico imperatore anno 1191, 17 junii, eidem monasterio concessum. Apud Maguntiam, augusto.

(Edid. BAUDRY, *Annal. de l'abb. de S. Ghislain*, ap. REIFFENBERG, *Monuments pour serv. à l'hist. des prov. de Hainaut*, etc., t. VIII, p. 429; coll. cum originali in archivo Bruxellensi. Bulla avulsa, pendent tantum fila serica rubri coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Imperialis eminentia tunc precipue sui nominis titulos ampliat cum divine pietatis intuitu per quam preest principibus orbis terre, loca religiosa pia mentis affectione tuetur ac protegit et favorabiliter eorum justas petitiones admittit. Eapropter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod constitutus in presentia nostra Walterus venerabilis abbas monasterii Sancti Gisleni, fidelis noster, quoddam privilegium, olim indultum monasterio suo ab Henrico patre nostro inclite recordationis augusto, nostre celsitudini presentavit, humiliter supplicans ut

illud innovare et ea que continentur in ipso confirmare de nostra gratia dignaremur. Cujus privilegii tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus VI, divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus. Licet ad universas ecclesias Dei et personas ecclesiasticas celsitudinis nostre patrocinium generaliter debeat extendi, eas tamen amplioris nimirum favore benignitatis et gratie amplecti et confovere decrevimus quas specialioris debitum fidelitatis familiariori nobis devotione commendavit. Hanc sane circa monasterium Sancti Gisleni considerationem habentes quod a nostris predecessoribus, videlicet Dagoberto, Ottone tertio, Henrico secundo, Conrado itemque Conrado itemque Henrico tertio, regibus et imperatoribus, legitur esse constructum, universis imperii nostri tam presentibus quam futuris fidelibus notum fieri volumus quod nos ob firmam imperii regnique nostri stabilitatem et anime nostre nostrorumque parentum perpetuam salutem, interventu quoque et petitione carissimi fidelis nostri venerabilis scilicet Gotwini, ejusdem monasterii abbatis, laudabili quoque gloriosissimi domini ac patris nostri benedicte memorie Frederici christianissimi imperatoris exemplo inducti, ipsam Sancti Gisleni cellam ita prorsus ab omni jure mortalium liberam quod nulli ex temporalibus preter creatorem suum Deum servire deberet, excepto solum honoris largitione de manu regis et imperatoris sicut de manu liberi advocati recipienda, sub nostre tuitionis patrocinium suscepimus, et omnes res ad eam pertinentes juxta tenorem privilegiorum prefatorum regum et imperatorum lege in perpetuum valitura eidem monasterio renovamus, et imperiali auctoritate confirmamus in omni possessione jam dicte ecclesie, videlicet in terris, in pratis, in silvis, in aquis, in villis et in servis nullum advocatum preter abbatem habere. Sane servos cujuscumque civitatis, castri seu alterius loci incole fuerint, lege nulla impediente sue ecclesie lege adstrictos abbatique ac si domino et advocato suo per omnia servituros provida judicii ratione asserimus. Statuimus etiam ut defuncto abbate fratres ejusdem monasterii, invocata Sancti Spiritus gratia, idoneum et utilem rectorem sibi libere eligant, qui tempore oportuno presentie regali sive imperiali se exhibeat, et facto regie sive imperatorie majestati hominio, investituram abbatie de manu

regia seu imperatoria suscipiat. Adjicimus etiam ut sicut ex sententia principum coram nobis judicatum est, nullus villicationem in possessionibus ad eundem locum pertinentibus hereditario jure teneat vel repetat, sed abbas qui pro tempore fuerit idoneum et fidelem villicum de familia monasterii constituat et deponat. At si quis de familia monasterii abbati suo rebellis inventus fuerit, ex judicio et districtione parium suorum ad satisfactionem abbatis cogatur. Decernimus ergo et imperiali auctoritate precipimus ut nullus successorum nostrorum regum et imperatorum, nullus episcopus, dux, marchio, comes vel vicecomes aut alia quelibet persona magna sive parva hujus nostre renovationis confirmationem infringere presumat, sed predictus abbas suique successores nostra freti auctoritate bona monasterii recolligendo pristinam ejusdem loci libertatem sine impedimenti molestia obtineant. Si quis vero, quod absit, hujus precepti nostri statutum infringere temptaverit, centum libras auri puri componat, quarum partem dimidiam fisco nostro et reliquam predicto monasterio persolvat. Ut autem hec ab omnibus credantur et inconvulsa habeantur, hanc inde cartam scribi jussimus et sublimitatis nostre sigillo aureo communiri (1), manuque propria corroborantes idoneos testes subnotari fecimus, quorum hec sunt nomina :

Godefridus Aquilegensis patriarcha, Philippus Coloniensis archiepiscopus, Willielmus Ravennas archiepiscopus, Otto Frisingensis episcopus, Bonifacius Novariensis episcopus, Johannes Sancte Agathensis episcopus, Rofridus abbas Sancti Benedicti Montis Casini, Willelmus abbas Sancte Sophie in Benevento, Otto Boemorum dux, Conradus dux de Rotemburc, Bertholdus dux Dalmatie et marchio Hystrie, Henricus marchio de Romesberch, Henricus frater ducis Austrie, Albero comes de Bogen, Gerardus comes de Tullenstein, Raboldus comes de Ortemberch, Gunterus comes de Kevernberc, Petrus urbis Rome prefectus, Thedericus comes de Hostaden, Lambertus comes de Thuringen, Richardus comes Consie, Willelmus comes Caserte, et alii quamplures.

(1) Bulla Henrici aurea optime expressa et integerrima pendet ab originali in archivo Bruxellensi asservato.

Signum domini Heinrici sexti Romanorum imperatoris invictissimi. (*Monogramma.*)

Ego Ditherus imperialis aule cancellarius, vice Philippi Coloniensis archiepiscopi et Italie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCXCI, indictione VIIII, regnante domino Heinrico sexto Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus XXII, imperii vero primo.

Datum apud Neapolim per manum Heinrici protonotarii, XV kalendas julii, feliciter. Amen.

Nos igitur suis supplicationibus benignius inclinati, attendentes fidem et devotionem sinceram ipsius abbatis quam ad celsitudinem nostram habet, abbatem eumdem, successores ejus, monachos et omnia bona ipsius monasterii que juste possidet in presenti et in antea justo titulo poterit adipisci, sub speciali nostra et imperii protectione recepimus; suprascriptum quoque privilegium patris nostri presenti privilegio de verbo ad verbum inseri jussimus, omnia que continentur in eo auctoritatis nostre munimine confirmantes. Statuimus igitur et imperiali sancimus edicto quatinus nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictum monasterium, abbatem, successores ejus, monachos et homines ipsius monasterii contra presentis protectionis et confirmationis nostre tenorem super aliquibus ausu temerario molestare presumat. Quod qui presumpserit preter penam privilegio supradicto appositam, centum libras auri puri componat, medietate fisco nostro, reliqua dicto monasterio persolvenda. Ad hujus itaque confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : . . . Maguntinus, . . . Coloniensis, . . . Treverensis et . . . Bisuntinensis archiepiscopi, . . . Babinbergensis, . . . Constantiensis, . . . Hyldesemensis, . . . Leodiensis et . . . Cameracensis episcopi, frater H. magister hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem, . . . dux Bawarie palatinus comes Reni, . . . dux Karinthie, . . . dux Brabantie, . . . dux Lothoringie, . . . lantgravius Thuringie palatinus comes Saxonie, . . . marchio de Baden,

. . . comes Senensis, . . . comes Barensis, . . . comes Clevensis, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini S. Maguntini archiepiscopi Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXXV, mense augusti, octave indictionis, imperante domino Frederico II Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno quintodecimo, regni Jerusalem decimo, regni vero Sicilie tricesimo septimo, feliciter. Amen.

Datum apud Maguntiam, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, notificat sententiam in curia sua generali latam, qua jubetur ut Clementia filia comitis Stephani de Burgundia a comite Egenone de Urach nequiter detenta liberetur, eique castrum Burgdorf cum omnibus bonis eidem in dotem concessis restituatur. Maguntiae, augusto.

(Edider. Chifflet, *Lettre touchant Béatrix*, preuv., p. 97. — Schöpflin, *Histor. Zaring. Bad.*, tom. IV, p. 198. — *Solothurn. Wochenblatt*, ann. 1829, p. 630.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod assidentibus nobis dilectis principibus nostris in curia Maguntie generali, de ipsorum consilio, ad conquestionem comitis Stephani de Burgundia fidelis nostri quam proposuit coram nobis, pro parte filie sue Clementie quam asserit captivam violenter et nequiter detineri a comite E. de Hurach, et ab eodem castro Burcdorf ac aliis bonis que bone memorie B. dux Zaringie in dotalitium contulit ei, contra justitiam exposuit spoliatam, lata est sententia coram

nobis ut ipsam Clementiam liberari et castrum ipsum cum omnibus bonis in dotem sibi concessis ei restitui demandemus. Ad cujus rei memoriam et robur in posterum valiturum, presens scriptum fieri et sigillo nostro jussimns insigniri.

Testes hujus rei sunt : Maguntinus, Coloniensis, Treverensis et Bisuntinus archiepiscopi, Papimbergensis, Ratisponensis, Basiliensis, Ildesemensis, Leodiensis et Cameracensis episcopi, frater H. magister domus hospitalis Sancte Marie Theotonicorum in Jerusalem, dux Bawarie, dux Brabantie, dux Carinthie, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXV, mense augusto, indictione VIII, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus XV, regni Jerusalem X, regni vero Sicilie XXXVII, feliciter. Amen.

Datnm Maguntie, anno, mense et indictione prescriptis.

Maguntiae, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, Ottonem de Luneburg consanguineum suum, qui flexis coram se genibus sibi castrum Luneburg cum aliis castris in proprietatem resignavit, principem imperii creat, de civitate Brunswick et castro Luneburg cum eorum attinentiis ducatum ei constituens, eumque solemniter per vexilla investit.

(Edider. Rehtmeyer, *Braunschw. chronic.*, p. 473.— Schaten, *Annal. Paderb.*, t. II, p. 25. — Meibomius, *Scriptor.*, t. III, p. 206. — Harenberg, *Histor. Gandersh.*, p. 373 et 1352. — Scheid, *Origin. Guelf.*, t. IV, p. 49, cum facsimile et sigilli effigie. — Pertz, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 318, ex autographo nitidissimae scripturae, cujus bulla aurea in incendio palatii Brunsvicensis anno 1830 periit.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et

Sicilie rex. Gloriosus in majestate sua dominantium Dominus qui regna constituit et firmavit imperium, de cujus clementia vivimus, de cujus est munere quod feliciter imperamus, ad hoc nos supra reges et regna preposuit et in imperiali solio sublimavit ut nobis factori nostro gratitudine devota subjectis, pacem et justitiam moderamina nostra contineant, et qui sumus pre filiis hominum ab eo qui preminet orbi terre sublimius exaltati, viros dignos honoribus et non immeritos ad sollicitudinis partem admitti, liberaliter ad decus et decorem imperii nominis et honoris titulo decoremus. Hinc est igitur quod per presens scriptum noverit presens etas et futura posteritas quod, cum diu propositi nostri foret ut dilectum consanguineum nostrum Ottonem de Luneburch ad fidem imperii et devotionem nostram efficeremus artius obligatum, nec loci vel temporis oportunitas affuisset quo conceptam erga eum intentionem nostram prosequi nos deceret; contingente causa nostri felicis adventus in Alamanniam et pro reformatione tocius terre status indicta Maguntie curia generali, dictus Otto ad eamdem curiam vocatus accessit, in qua dum assidentibus nobis principibus nostra serenitas resideret, de reformando terre statu disponens, nominatus Otto de Luneburch flexis genibus coram nobis, omni odio et rancore postpositis que inter proavos nostros existere potuerunt, se totum in manibus nostris exposuit nostris stare beneplacitis et mandatis, et insuper proprium castrum suum Luneburch quod idiomate teuttonico vocatur Eygen cum multis aliis castris, terris et hominibus eidem castro pertinentibus in nostram proprietatem et dominium specialiter assignavit, ut de eo quicquid nobis placeret tanquam de nostro proprio faceremus. Nos autem qui tenemur modis omnibus imperium augmentare, predictum castrum de Luneburch cum omnibus castris, pertinentiis et hominibus suis, quemadmodum ex ejusdem Ottonis assignatione in proprietatem accepimus, in presentia principum in imperium transtulimus et concessimus ut per imperium infeodari deberet. Civitatem insuper de Brunswich, cujus medietatem proprietatis dominii a marchione de Baden et reliquam medietatem a duce Bawarie dilectis principibus nostris emimus pro parte uxorum suarum que fuerunt quondam filie Henrici de Brunswich comitis palatini Reni, patrui dicti Ottonis, similiter in eadem

curia imperio concessimus, proprietatem nobis debitam in dominium imperii transferentes. Preterea Ottone in ipsa generali curia in manibus nostris connexis palmis super sancta cruce imperii que ibidem tenebatur prestante fidei juramentum, nos attendentes quam pura fide, sincera et prona devotione se totum mandato nostro et voluntati commisit et in proprietatem nostram concessit proprie proprium castrum suum de quo nemini tenebatur, et humiliaverit se modis omnibus coram nobis; considerantes insuper quod nunquam per eum fuerit offensum imperium et nec contra honorem nostrum ad suggestionem alicujus voluerit inveniri (1), dignum et utile vidimus circa statum et augmentum ipsius imperiali munificentia providere. Quapropter cum consilio, assensu et assistencia principum civitatem Brunswich et castrum Luneburch cum omnibus castris, hominibus et pertinentiis suis univimus, et creavimus inde ducatum et imperiali auctoritate dictum consanguineum nostrum Ottonem ducem et principem facientes (2), ducatum ipsum in feodum imperii ei concessimus ad heredes suos filios et filias hereditarie devolvendum, et eum solempniter juxta consuetudinem investivimus per vexilla; de affluentiore gratia concedentes eidem decimas Goslarie imperio pertinentes. Ceterum ministeriales suos in ministeriales imperii assumentes, eidem concessimus eosdem ministeriales juribus illis uti quibus imperii ministeriales utuntur. Ad hujus itaque concessionis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt : S. Maguntinus, H. Coloniensis, E. Salzpurgensis, T. Treverensis et . . . Bisuntinus archiepiscopi; W. Madeburgensis electus, E. Pabembergensis, S. Ratisponensis imperialis aule

(1) Alludit imperator consilio quod Otto Sancti Nicolai cardinalis, tunc Sedis Apostolicae legatus, anno 1229 Ottoni de Luneburg dederat, suadens ut in Fridericum tunc excommunicatum insurgeret. Cf. tom. III, p 116.

(2) « Otto de Luninburch, nepos magni ducis Heinrici, novus dux et princeps efficitur. Quem diem rogavit imperator omnibus annalibus adscribi, eo quod tunc Romanum auxisset imperium novum principem creando, consensu omnium principum accedente. Fuit autem dies illa vigilia Timothei (21 augusti). » Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 367.

cancellarius, H. Constantiensis, S. Augustensis, B. Argentinus, H. Basiliensis, C. Hyldensemensis, J. Leodiensis, G. Cameracensis, J. Metensis, . . . Tullensis, . . . Monasteriensis, E. Nuemburgensis, . . . Trajectensis, C. Osemburgensis, R. Pactaviensis, H. Eystedensis, C. Spirensis, E. Merseburgensis, G. Verdunensis et C. Frisingensis episcopi; frater H. domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jherusalem magister, . . . Morbacensis, . . . Augensis et . . . Elwacensis abbates; O. dux Bawarie palatinus comes Reni, H. dux Brabantie, A. dux Saxonie, B. dux Karinthie, M. dux Lothoringie, H. lancgravius Turingie, palatinus comes Saxonie, H. marchio Misinensis, H. marchio de Baden, J. et O. marchiones de Brandeburch, H. comes Senensis, H. comes Barensis, D. comes Clevensis, H. comes de Hanalt, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini Maguntini archiepiscopi totius Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense augusti, octave indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia serenissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus sextodecimo, regni Jerusalem decimo, regni vero Sicilie tricesimo octavo, feliciter. Amen.

Datum Maguncie, anno, mense et indictione prescriptis.

In die Timothei, scilicet in octava Assumptionis (22 aug.), imperator diademate imperiali insignitus in ecclesia Moguntiensi, fere omnibus principibus astantibus, debito honore refulsit, post missarum sollempnia invitans principes omnes et omnem comitatum eorum ad festivas epulas, quae in loco campestri magnis sumptibus fuerunt praeparatae. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 367. 22 augusti.

Maguntiae, 23 augusti.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Conradi Hildeshemensis episcopi, ratam habet emptionem justo titulo factam a capitulo majoris ecclesiae Hildeshemensis quarumdam advocatiarum ab Hermanno et Henrico fratribus de Woldenberg, a Ludigero de Indagine et ab aliis.

(Edit. ap. Harenberg, *Hist. Gandersh. diplom.*, diss. II, p. 428-429, addita sed male anni 1220 notatione.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, preposito, decano totique capitulo majoris Hildeshemensis ecclesie fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Constitutus in presentia majestatis nostre C. venerabilis Hildeshemensis episcopus, dilectus princeps noster, nostre celsitudini supplicavit quatenus (*a*) emptionem factam a vobis ad opus ecclesie vestre justo titulo quarumdam advocatiarum ab Hermanno et Henrico fratribus de Woldeberg et a Ludigero de Indagine et a quibuscumque aliis qui easdem advocatias ab eadem vestra ecclesia tenuerunt, vel si quam emptionem in antea (*b*) fieri contigerit ab his qui similiter advocatias ipsas ab eadem ecclesia tenent, ratam habere de nostra gratia dignaremur. Nos (*c*) autem ipsius dilecti principis nostri, cujus sincera devotio et grata servitia nostro culmini grata resident et accepta, supplicationibus. . . . . emptionem ipsam predictarum advocatiarum, sicut a prefatis fratribus Hermanno et Henrico et a Ludigero de Indagine et a quibuscumque aliis qui ipsas a prenominata ecclesia tenuerint, juste et rationabiliter noscitur esse facta vel in antea fieri contigerit ab iis qui advocatias ipsas a prenominata ecclesia tenent, ratam et firmam ha-

(*a*) Ap. Harenberg *quamvis*, male.
(*b*) Ibidem *aurea*, male.
(*c*) Ibidem *dignamur. Hos*, male.

bemus ex nostre gratia majestatis. Ad hujus (a) itaque ratihabitionis memoriam, presentes litteras inde fieri et nostre majestatis sigillo jussimus communiri.

Datum Maguncie, vicesimo tercio augusti, VIII[a] indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, papae nuntiat ex deliberato cum principibus imperii consilio se Lombardiam ineunte futuro aprili hostiliter ingressurum, nisi negotium Lombardiae quod ipsi papae commisit, in festo Natalis Domini proximo terminetur. [In colloquio Maguntino, augusto.]

(Memorat. in *Summar. privilegior. eccl. Roman.*, ex cod. cardin. Ottoboni, ap. MARTENE et DURAND, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1244.)

Littera Friderici ejusdem, imperatoris, Jerusalem et Sicilie regis, domino Gregorio papae directa per quam ei significat quod super facto Lombardorum pro quo dictus dominus papa magistrum ... nuntium et scriptorem suum ad ipsum miserat, cum principibus imperii in generali curia Maguntiae celebrata, deliberaverat (1), juramento super hoc per eosdem principes corporali praestito in principio tunc futuri mensis aprilis ipsos Lombardos aggredi, et quod per duos viarum aditus, scilicet per Basileam et Augustam, Lombardiam introibunt. Nihilominus tamen ipse imperator committit totum ipsorum Lombardorum negotium domini papae arbitrio disponendum usque ad festum Natalis Domini tunc proxime, juxta tenorem scripti aurea bulla imperiali signati quod

(a) In impresso *has*, male.

(1) « In eadem curia ..... postulavit a principibus auxilium contra Lombardos. » *Annal. Argent.* ap. BOEHMER, *Fontes*, t. III, p. 109. Cf. epistolas Gregorii IX, 22 septemb. 1235 et 21 martii 1236, et praecipue encyclicam Friderici ipsius, quam circa junium 1236 ad reges misit, et incipit : *Inviti loquimur.*

anno praeterito in Tusciam sibi misit (1), quod scriptum per omnia ratum habet. Incipit sic : *Sanctissimo in Christo patri*... fol. XIX, p. 1.

Apud Hagenowe, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, notum facit quod in generali curia sua Walterus de Limburg pincerna Gottifredo de Hohenlohe comiti Romaniolae pro restauratione damnorum per se ipsi illatorum, mille marcas argenti solvendas promisit, et super solutione castrum suum Schenckenberg et alia bona tam in proprietate quam in feodis obligavit.

(Edider. HANSSELMANN, *Diplomatisch. Beweiss des hauses Hohenlohe*, t. I, beyl. n° XXII, p. 398, ex origin. in archivo Hohenl. — LUDEWIG, *Reliquiae manuscript.*, tom. II, p. 216.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nobis residentibus in palatio nostro Hagenowe in generali curia pro judiciis audiendis, assistentibus nobis plerisque principum et procerum nostrorum, dum Gottifridus de Hohello comes Romaniole fidelis noster conveniret in presentia nostra Walterum de Limpurc pincernam super immensis dampnis sibi illatis per eum, dictus Walterus cum eodem Gottifrido ad subscriptam conventionem et satisfactionem gratuitam, optenta licentia et permissione nostra, devenit : videlicet quod pro restauratione dampnorum promisit eidem Gottifrido mille marcas argenti puri et boni solvendas, pro quibus obligavit et assignavit ei castrum Scenkenburc et redditus centum talentorum Herbipolensis monete, ubicumque idem Gottifridus in bonis ipsius Gualterii sive in proprietate sive in feodis ejusdem velit accipere; ita quod proprietatem incontinenti per curiam

(1) Videlicet apud Montemflasconis, septembri 1234. Vid. supra, p. 490.

nostram sibi tradidit; feoda vero que ipse tenebat, videlicet per dilectum principem nostrum Babinbergensem et Herbipolensem episcopos, eidem assignavit, predicto Babenbergensi qui presens erat primitus resignando, subscriptis conditionibus et pactis in eadem traditione et assignatione taliter intervenientibus, quod ab hinc usque ad festum sancti Martini proximo venturum et ex tunc usque ad annum unum completum in eodem festo dictus Gottifridus et heredes sui omnia predicta bona cum pertinentiis suis pleno jure in libera et quieta possessione tenebunt; ita quod si completo anno in sequenti festo beati Martini prefatus Gualterus mille marcas puri argenti solverit eidem Gottefrido et heredibus suis, idem Gottefridus vel heredes sui tam predictum castrum quam alios redditus sibi restituere teneatur. Si vero termino pretaxato idem Gualterus non solverit predictam pecunie quantitatem, predictus Gottifredus et heredes sui predictum castrum Scenkeburc cum pertinentiis suis et redditus centum talentorum jure perpetuo tam proprietatis titulo in hiis que propria sunt quam jure feodali in feodalibus retinebunt, sine contradictione vel molestia alicujus quiete et pacifice possidenda (1). Ut autem predicta conventio et satisfactio in suo robore perseverent, ad ejusdem rei memoriam presentem memorialem paginam fieri fecimus et sigillo nostro jussimus communiri.

Testes autem qui interfuerunt sunt : Ekebertus Babinbergensis episcopus, Simfridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, H. landgravius Thuringie, B. dux Karinthie, . . . marchio de Baden, frater H. magister domus Theotonicorum in Jerusalem, C. burcravius de Nuremberc, Albertus de Rotenvels, Wolfradus de Crutheim, Engelhardus de Osterna, C. pincerna de Winterstetten, C. pincerna de Clingeburc, Fridericus de Kezzelburc, C. de Smidelvelt, Gottfridus de Solzburc, H. de Lapide, Otnandus de Escenowe, Hugo de Sulze, Marquardus de Sneite, Gottefridus miles de Hohello (2), et alii quamplures.

(1) Cf. infra documentum de conventione eadem ann. 1237 mense maio redactum.

(2) Hic autem non erat de stirpe Hohenloica oriundus, sed tantummodo miles sive vasallus castrensis (*burgmann*); huc pertinent solita verba : *castrum N. cum omnibus hominibus eidem*

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense augusti, octave indictionis.

Data apud Hagenowe, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Hagenowe, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, notum facit quod in generali curia sua Ludewicus de Schipf Gottifredo de Hohenlohe comiti Romaniolae pro restauratione damnorum per se ipsi Gottefrido illatorum, mille marcas argenti solvendas promisit, et super solutione castrum suum Schipf et alia bona tam in proprietate quam in feodis obligavit.

(Edider. Hansselmann, *Diplomatisch. Beweiss des hauses Hohenlohe*, t. I, p. 399, n° XXIII, ex originali. — Ludewig, *Reliquiae*, t. II, p. 218. — Oetter, *Wappenbel.*, t. II, p. 101.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nobis residentibus in palatio nostro Hagenowe in generali curia pro judiciis audiendis, assistentibus nobis plerisque principum et procerum nostrorum, dum Godefridus de Hohenlohe comes Romanie fidelis noster conveniret in presentia nostra Ludewicum de Schiphe super immensis dampnis sibi illatis per eum, dictus Ludewicus cum eodem Godefrido ad subscriptam conventionem et satisfactionem gratuitam obtenta licentia et permissione nostra devenit : videlicet quod pro restauratione dampnorum promisit eidem Godefrido mille marcas argenti puri et boni solvendas, pro quibus

---

castro pertinentibus. Ita in alio documento hujus temporis (apud Hansselmann, *Ibid.*, n° LII) Heinricus *miles de Hohenloch* permissione domini sui Alberti de Hohenloch decem maldra tritici offert ecclesiae in Scheftersheim. Istis etiam *de Hohenloch* cognomen erat tantummodo, cum alias ex propriorum bonorum titulo vocentur.

obligavit et assignavit ei castrum Sciphe et reditus centum talentorum Herbipolensis monete, ubicumque idem Godefridus in bonis ipsius Ludewici sive in proprietate sive in feodis ejusdem velit accipere; ita quod proprietatem incontinenti per curiam nostram sibi tradidit et feoda stabilire promisit. Insuper omnes homines suos militaris conditionis utriusque sexus eidem contulit assignando, subscriptis conditionibus et pactis in eadem traditione et assignatione taliter intervenientibus, quod ab hinc usque ad festum sancti Martini proximo venturum et ex tunc usque ad annum unum completum in eodem festo dictus Godefridus et heredes sui omnia predicta bona cum pertinentiis suis pleno jure cum hominibus in libera et quieta possessione tenebunt; ita quod si completo anno in sequenti festo beati Martini prefatus Ludewicus mille marcas puri argenti solverit eidem Godefrido et heredibus suis, idem Godefridus vel heredes sui tam predictum castrum quam alios reditus cum hominibus dictis restituere teneantur. Si vero termino pretaxato idem Ludewicus non solverit predictam pecunie quantitatem, predictus Godefridus et heredes sui predictum castrum Sciphe cum pertinentiis suis et reditibus centum talentorum et hominibus jure perpetuo tam proprietatis titulo in hiis que propria sunt quam jure feodali in feodalibus retinebunt, sine contradictione vel molestia alicujus quiete ac pacifice possidenda. Ut autem predicta conventio et satisfactio in suo robore perseveret, ad ejusdem rei memoriam presentem memorialem paginam fieri fecimus et sigillo nostro jussimus communiri.

Testes autem qui interfuerunt sunt : Ekebertus Babenbergensis episcopus, Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, Heinricus lantgravius Thuringie, B. dux Karinthie, ... marchio de Baden, frater Hermannus magister domus Theutonicorum in Jerusalem, Conradus burggravius de Nuremberch, Albertus de Rotenvels, Wolfradus de Crutheim, Engelhardus de Osterna, Conradus pincerna de Winterstetten, Conradus pincerna de Clingenborch, Fridericus de Kezzelberc, Conradus de Smidelvelt, Godefridus de Solzberch, Hermannus de Lapide, Otnandus de Eshenowe, Hugo de Sulze, Marquardus de Sneite, Godefridus miles de Hohenlo, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. tricesimo quinto, mense augusti, octave indictionis.

Data apud Hagenowe, anno, mense et indictione prescriptis.

Hagenowe, 9 septembris.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem praepositi et capituli Sancti Servatii in Trajecto, sententiam quondam coram filio suo latam confirmat qua fuit diffinitum eamdem cappellam ad jurisdictionem imperii pertinere neque episcopo Leodiensi in aliquo teneri.

(Edidit Miraeus, *Oper. diplom.*, tom. IV, p. 255; coll. cum chartul. MSS. S. Servat. in Bibl. reg. Paris., tom. I, p. 30 et p. 53 verso, in confirm. Rudolfi regis; t. II, p. 150 verso; t. III, p. 47 recto. Mentio fit sigilli, tunc in fragmenta confracti, caudis pergameneis appensi.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis per imperium constitutis presentes litteras inspecturis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Exposuerunt majestati nostre prepositus et capitulum cappelle nostre beati Servatii in Trajecto, fideles nostri, quod cum dilectus princeps noster venerabilis episcopus Leodiensis ipsam cappellam contra jus nostrum et imperii ac ipsius ecclesie libertatem quondam sibi subjicere niteretur et propter hoc coram rege filio nostro et assidentibus ei principibus citatus fuerit, tandem ut constitit fuit solemniter diffinitum per sententiam principum eorumdem, videlicet Maguntini, Treverensis et Coloniensis archiepiscoporum, Babembergensis, Metensis, Spirensis et Tullensis episcoporum et aliorum quamplurium clericorum et laicorum principum, necnon ducum, comitum et nobilium plurimorum, dictam cappellam ad jurisdictionem nostram et imperii pertinere et eidem episcopo in aliquo non teneri. Propter quod humiliter supplicarunt ut sententiam ipsam confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos igitur justis eorum petitionibus

inclinati, attendentes jus antiquum nostrum et imperii quo progenitores nostri felicis memorie cappellam ipsam immediate et libere possederunt, libertatibus etiam ipsius diligenter inspectis, sententiam ipsam utpote justam duximus confirmandam; fidelitati vestre mandantes quatenus nullus sit qui contra tenorem ejusdem sententie de eadem cappella presumat aliquid attemptare. Alioquin indignationem nostram se noverit incursurum.

Datum Hagenowe, nono septembris, nona indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, Cunrado burgravio de Nurenberg et haeredibus ejus emptionem castri Virnsberg, quod Gotfridus de Hohenloch a Ludewico de Virnsberg pro recompensatione damni, per eumdem sibi illati, receperat, confirmat. Hagenowe, septembri.

(Edit. ap. Hansselmann, *Diplom. Beweiss des haus. Hohenl.*, t. I, p. 400. — Oetter, *Gesch. der Burggr.*, t. I, p. 292. — Schutz, *Histor. Brandenb.*, cod. diplom., p. 72, n° 36. — *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 238, num. DCCXXXV. — Stillfried, *Monum. Zoller.*, tom. I, p. 40. — Originale desumptum ex archivo ord. Theuton. commendae Virnsberg, extat in tabul. Monac., sigillumque in omni ora laesum appendet ex filis sericis flavi coloris. Cf. *Deduction Brand. usurpationsgesch.*, 75, § 65, et Anhang 235, num. 117.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sycilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis quod Cunradus burgravius de Nurenberc, dilectus fidelis noster, in nostra presentia constitutus nostre celsitudini supplicavit quod cum ipse emisset a Gotfrido de Hohenloch fideli nostro castrum Virnesperc, quod idem Gotfridus pro recompensatione dampni a Ludewico de Virnesperc sibi illati eodem Ludewico concedente de nostra licentia fuerat assecutus, nos vendicionem ipsam ratam habere, et dictum castrum cum omnibus justiciis et rationibus suis sibi et heredibus suis confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos igitur suis supplicationibus favorabiliter incli-

nati, attendentes etiam grata satis et accepta servicia que idem burgravius nobis et imperio devote exhibuit hactenus et que de bono in melius poterit exhibere, de nostre liberalitatis gratia qua benemeritos et fideles nostros semper consuevimus prevenire, predictam venditionem ratam habemus, dictum castrum cum omnibus justitiis et pertinentiis suis, sibi et heredibus suis perpetuo confirmantes. Ad hujus itaque nostre confirmationis memoriam, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : S. venerabilis Ratisponensis episcopus, imperialis aule cancellarius, frater H. venerabilis magister domus Teuthonice, Hermannus marchio de Baden, comes Fridericus de Zolre, Wolfradus de Crutheim, frater Bertholdus de Tanrode, Cunradus de Smidelvelt, Hermannus de Stolzenberc, Henricus de Steine, Fridericus de Kezelberc, Hermannus de Seheijm, et alii quamplures.

Data apud Hagenowe, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense septembris, none indictionis.

Apud Hagenowe, septembri.

Fridericus, Romanorum imperator, ad conquestionem abbatis Murbacensis universis imperii fidelibus mandat ut nullus sit qui bona ejusdem ecclesiae alienare praesumat, sed si qua illicite alienata fuerint, ad jus ipsius ecclesiae debeant revocari.

(Edider. Lunig, *Reichsarchiv*, continuat. I, Spicileg. eccles., p. 973.— Schöpflin, *Alsat. diplom.*, t. I, p. 371.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum dilectus princeps noster venerabilis Murbacensis abbas coram Alberto justitiario

curie nostre (1) in judicio sit couquestus quod quedam bona ecclesie sue per homines suos alienata siut illicite in sunm et ecclesie sue prejudicium et gravamen, in eadem curia nostra seuteutialiter obtiuuit boua ipsius ecclesie alieuari per aliquos non debere, sicut de jure nou posse, imo si qua alienata illicite iuventa fueriut, debeant revocari. Verum quia nihil prodesset ferri seuteutias nisi earum exequutio sequeretur, fidelitati vestre precipiendo maudamus quateuus uullus sit qui coutra tenorem ejusdem sententie bona ipsius ecclesie alienare presumat. Sed si qua illicite alienata inventa fuerint, debeaut ad jus ipsius ecclesie revocari. Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri fecimus et sigillo nostro muuiri.

Datum apnd Hageuovam, anno dominice incarnationis M. CC. XXXV, mense septembris, nona iudictione.

Fridericus, Romanorum imperator, innovat et confirmat privilegium ab Henrico sexto patre suo anno 1195, octavo decimo die octobris, indultum, quo abbatiam de Altenberg ab omni theloneo, tam in terra quam in aqua, perpetuo liberam constituit. Hagenowe. septembri.

(Edidit LACOMBLET, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band, p. 105, n° 200, et erst. Band, p. 380, n° 546.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per preseus scriptum notum facimus uuiversis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod . . . veuerabilis abbas de Monte Veteri fidelis noster celsitudiui uostre quoddam scriptum olim a domiuo imperatore Heurico felicis recordationis karrissimo patre nostro ecclesie sue indultum preseutavit, supplicans hnmiliter et devote ut illud

(1) Scilicet Albertus de Rossevach, de quo infra. Ex constitutione Maguntina munus justitiarii per Allemanniam noviter statutum, hunc Albertum obiisse arbitramur.

innovare et confirmare de nostra gratia dignaremur; cujus scripti tenor talis est:

Heinricus sextus, divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie. Cnm ecclesias Dei et loca divino cultui mancipata benignitatis nostre favore clementer respicimus et viros religiosos in imperio nostro a theloneis ant aliis publicis exactionibus liberos et absolutos constituimus, ad presentis vite cnrsum feliciorem et ad eterni premii retributionem nobis id profuturum non dubitamus. Noverint itaque nniversi imperii nostri fideles tam futnri quam presentes quod nos, intuitu divini amoris et ob spem eterne retributionis, viros venerabiles fratres de Monte Veteri ab omni theloneo tam in terra quam in aqua perpetuo liberos esse volumus et omnino absolutos, de universis scilicet frnctibns eorum qui eis de terris ipsorum et allodiis annuatim solent provenire. Itaqne mandamus et precipimus universis thelonearius nostris et officiatis qui nunc sunt aut pro tempore fuerint, ut nullus eornm aliquod omnino theloneum, ut dictnm est, a predictis fratribus exigere audeat vel accipere de rebus videlicet prenominatis. Ut antem hec nostre liberalitatis munificentia rata perpetuo et inconvulsa predictis fratribus observetur, presentem exinde paginam conscribi et nostre majestatis sigillo jussimus communiri. Statnimus ergo ut nullus omnino contra hoc mandatnm nostrum venire audeat vel ipsum aliquo modo presumat violare. Qnod qui facere presumpserit, nostre majestatis indignationem se non dubitet incursurum.

Data apud Maguntiam, anno Domini MCXCV, indictione XIII, XV kalendas novembris.

Nos igitur ipsius abbatis supplicationibus inclinati, de speciali gratia nostra predictum privilegium patris nostri et ea omnia que continentur in ipso duximus confirmanda; statuentes ut nlla persona sit que predictum abbatem vel fratres suos contra concessionem domini patris nostri et presentem confirmationem nostram audeat molestare. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incurrisse. Ad hujus itaqne confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jnssimus communiri.

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis MCCXXXV (1), mense septembri, none indictionis.

Apud Hagenowe, septembri.

Fridericus, Romanorum imperator, abbatissam et conventum monasterii Lilienthal, Bremensis dioecesis, cum omnibus earum bonis in sua protectione recipit, eisque specialiter confirmat loca quae dicuntur Trupa et Vallerbroke.

(Edid. JOH. VOGT, *Monum. inedit. praecipue Bremens.* (Bremen, 1752), tom. II, p. 24.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis fidelibus nostri imperii tam presentibus quam futuris quod venerabilis abbatissa et conventus in Lilientale ordinis Cisterciensium, Bremensis diocesis, fideles nostre, culmini nostro humiliter supplicarunt ut tam personas quam monasterium ipsum et omnia bona [ejus] sub speciali protectione et defensione nostra et imperii, necnon locum qui dicitur Trupa cum loco qui dicitur Wallerbrocke usque ad antiquam Sidewendinge et ab antiqua Sidewendinge usque ad marcam civium de Willigstede cum agris cultis et incultis, que omnia juste tenent et possident, eis confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos igitur supplicationes ipsarum fidelium nostrarum benigne ac favorabiliter admittentes, prenotatam abbatissam, conventum, monasterium et omnia bona sua que in presentiarum juste tenent et possident et que in antea justo titulo poterunt adipisci, sub speciali nostra et imperii protectione ac defensione recepimus; locum qui dicitur Trupa cum loco qui dicitur Wallerbrocke usque ad antiquam Sidewendinge et ab antiqua Sidewendinge usque ad marcam civium de Willigstede cum agris cultis et

(1) In eodem anno, mense decembri, apud Hagenowe, Fridericus eidem abbatiae aliud defensionis privilegium, Lacombleto teste, indulsit.

incultis, sicut ea juste tenere et possidere noscuntur, eis de nostra gratia confirmantes. Presentium igitur tenore mandamus firmiter inhibentes quatenus nullus sit qui dictam abbatissam et conventum, fideles nostras, in personis et monasterium in bonis suis, loco qui dicitur Trupa et loco qui dicitur Wallerbrocke predictis, sicut superius est expressum, contra hujus protectionis et confirmationis nostre tenorem ausu temerario offendere indebite seu molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem culminis nostri se noverit incursurum. Ad hujus autem protectionis et confirmationis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Datum apud Hagenouve, anno gratie M. CC. XXXV, mense septembris, indictione IX.

Apud Hagenowe, septembri.

Fridericus, Romanorum imperator, abbatem Sancti Trutperti, conventum, monasterium et omnia bona ejus sub sua et imperii protectione recipit.

(Inedit. ex chartulario S. Trutperti, fol. 25, in archivo Carlsruhensi.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris, quod supplicavit excellentie nostre venerabilis [abbas] Sancti Trutperti fidelis noster ut ipsum, conventum, monasterium et omnia bona sua sub nostra et imperii protectione recipere dignaremur. Nos igitur qui religiosas personas et loca Deo dicata digno favore prosequimur, suis supplicationibus inclinati, predictum abbatem, conventum et monasterium ac omnia bona sua que in presenti juste tenent et possident et in antea justo titulo poterunt adipisci, sub nostra et imperii protectione recipimus speciali; fidelitati vestre precipiendo mandantes quatenus nullus sit qui eumdem abbatem et predicta omnia contra presentis protectionis nostre tenorem temere impedire pre-

snmat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad cujus protectionis nostre memoriam et robur in posterum valiturum, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus insigniri.

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis M° CC° XXX° V, mense septembris, none indictionis.

Gregorius papa Fridericum imperatorem monet iniquitatis filios qui non vellent Ecclesiam imperio uniri, occultas spargere litteras quas de conscientia summi pontificis mendaciter asserunt emanare; dum collaterales imperatoris litteras quoque dirigant quibus pax turbari possit. Unde rogat ut his fraudibus occurrens os iniqua loquentium, sicut ipse versa vice facit, obstruat. Asisii, 20 septembris.

(Edid. Höfler, *Kaiser Friedr. II*, docum., p. 352, n° 22; ex regest. Gregor. IX, n° 236, ann. IX.)

[Gregorius, etc.,] Friderico Romanorum imperatori, etc. Consueti fecundius in aqua turbata piscari, pacis dulcedinem mortis amaritudinem existimant, seminant lites et jurgia ut ex iis iniquitatis manipulos et sceleris lucra metant. Efficacius autem dolos hostes domestici machinantur qui recta dominorum opera depravantes, lucem tenebras statuunt et quibusdam venenatis immixtionibus corda principum caritatis bitumine colligata dissolvunt, ut, vulnerata pace, suas exercere malitias liberius valeant quas concordie tempore ab obscuro fraudium in lucem producere non audebant. His enim Sathane stimulis sepius Sedes Apostolica pungitur, a quibus etiam immunis imperialis curia non habetur. Nam cum olim pro quodam negotio tuo scripserimus, sicut intelleximus, quidam iniquitatis filii qui nequaquam vellent Ecclesiam imperio vinculo dilectionis uniri, occultas litteras et cedulas dicti negotii executoribus transmiserunt ne ad ipsius prosecutionem procederent; asserentes mendaciter quod eorum littere de

nostra conscientia emanarent. Super quo illius qui nihil ignorans scrutator est cordium et cognitor secretorum, testimoninm invocamns, quod nnnqnam a nobis eorum machinatio prodiit, sed pnre de impnra ipsorum machiuatione processit; quod in facto regni Hierosolimitani evidenter argnere ac eos qui contraria scripserant per effectum operis in utroque negotio mendaces poteris invenire. Nonnulli vero collaterales tni, pacis imperialis emuli, sicnt creditur inimici, eas de processu vestro (?) litteras dirigunt qnibus si veritas testis assisteret, totum quod super te fuudavit Dominns edificinm ruinam patiens deperiret. Verum cum nos olim his fraudibus occurrentes, tecum in reformatione pacis, si bene recolis, duxerimus ordinandum ut si quid ad alterum de altero quod pacem lederet perveniret, latratibus detrahentinm hinc inde denegaremns auditnm; serenitatem tuam rogandam duximns et monendam quatenus cum talia de nobis ad aures tuas perveninnt, os iniqua loquentium, sicnt et nos versa vice facimus, obstruas, et nobis ut excellentie tue litteris nostris veritas innotescat, audita rescribas. Sic etenim pax in sno vigore servabitur et in sui lesionem capitis susnrronnm iniquitas mentiotur.

Datnm Assisii, XII kalendas octobris, pontificatus nostri anno IX.

Scriptum est super hoc magistro domns Theutonicorum ut eidem imperatori praemissa prudenter referat et ipsum ad id studiosius indncat.

Assisii, 22 septembris.

Gregorius papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat quod cum Theodericus, Ravennas archiepiscopus, Apostolicae Sedis legatus, in civitatem Acconensem diffinitioni suae parere nolentem sententiam interdicti promulgaverit, ipse interdictum relaxavit; eum monens quibus conditionibus pax restaurari posse videatur.

(Edid. partim RAYNALD. *Annal. eccles.*, tom. XXI ad ann. 1235, §§ 43 et 44, e regest. Gregor., lib. IX, epist. 230-231. Nunc vero primum in integrum damus ex collect. Laporte du Theil, ap. Biblioth. imper. Paris.)

Gregorius, etc., Friderico Romanorum imperatori, etc. Dignum illius assumit animus gaudium qui se brachiorum viribus ab aliorum sentit impugnatione munitum, et firmamentum tunc decorum efficitur cum lune quam non offuscat eclypsis radiis illustratur. Porro si brachium destituatur potentia et luna propter terrarum obicem solaris sit luminis beneficio spoliata, pars cetera corporis iniquorum injuriis et jacturis exponitur et celi facies noctis tempore denigratur. His etenim inductionibus moniti, bis etiam rationibus excitati, ut majestas augmentis augeatur augusta felicibus, ut ad ejus mandatum rebellis redeat, ei subditus pareat et sibi barbarus sit subjectus ferventi desiderio cupimus, et residens in nostri pectoris secreto propositum eo libentius actionibus explicamus, quo fortius in exaltatione imperii quod defensio est Apostolice Sedis et brachium, sublimatur et honoratur Ecclesia, quo damnosius in ipsius quod est Ecclesie speculum, depressione opprimitur et ab hostium remanet persecutionibus indefensa. Sane cum olim, sicut asseritur, cives Acconenses excellentie tue rebelles existere teque regni Hierosolymitani presumpsissent juribus spoliare, venerabili fratri nostro... archiepiscopo Ravennati ad partes illas personaliter accedenti apostolicis dedimus litteris in mandatis ut eos quod formam pacis inter te ac illos mediantibus venerabili fratri nostro patriarcha Antiocheno et dilecto filio magistro domus Theutonicorum tractatam observarent, induceret (1). Alioquin omnia, quoad jus possessionis et proprietatis, in eum statum in quo ante ortam discordiam inter Riccardum Filangerium marescalcum tuum et nobiles et barones regni predicti et cives eosdem fuisse noscuntur, auctoritate nostra reducens, contradictores et rebelles censura ecclesiastica coerceret. Qui, antequam sibi de predicte pacis quam dicti Acconenses probare volebant forma constaret, nostri mandati ordine non servato, celsitudinem tuam et nobilem virum Conradum natum tuum ad predicta restituit; et quod cives et syndici Acconenses prefato Riccardo marescallo, tuo et ejusdem nati nomine, ac aliis bajulis quos ibi pro tempore duxeris

(1) Cf. quoque mandata quae de hujus archiepiscopi legatione, data Spoleti, 8 augusti 1234, praelatis et universis regni Hierosolymitani papa direxerat, et supra exhibentur, p. 481, 482.

statuendos, in ordinatione castrorum et officialium, perceptione redditnum et omnium aliorum jnrium que in ipso regno ad regem de antiqua et obtenta consnetudine spectare noscuntnr, obediant; nec non ipsi ac nobiles regni ejusdem communiam dissolvant, campanam deponant et amoveant consules et capitaneos ab eis post ortam discordiam ordinatos, ac ipsins regni proprietatem ad dictum Conradnm pertinere diffinieudo decrevit; et eis sue diffinitioni parere nolentibns, in civitatem Acconensem interdicti et in syndicos civium et nobilium et majorum consnlnm universitatis Acconensis ac eorum fautores et consiliarios excommunicationis sententias promnlgavit. Quod cnm ad nostram notitiam pervenisset, nos attendentes qnod cum inibi diversorum ritunm habitatores existant, de facili terre illius homines ab Ecclesie Romane ritn recedent et per hoc inficerentnr heretica pravitate, ac ob id Terre Sancte pro qua mnltorum catholicorum sanguine fuso, Ecclesia Dei innumerabiles ferens angustias labores nimios snbiit ac expensas, gravia pericula imminerent, recepta ab ipsis Acconensibus cautione qnod nostris debeant parere mandatis, prefatum dumtaxat relaxavimus interdictum, ne tibi et dicto nato tno damnum de regno predicto modica hora contingeret, qnod vix longi labor temporis restauraret. Verum dilecto filio magistro Petro de Vineis (*sic*) jndice ac nuntio tuo ad nostram presentiam postmodnm accedente, et tam dilecto filio... electo Pactensi, apud nos non sine multa sollicitndine pro tnis insistente negotiis, qnam eodem unntio a nobis ex parte tna petentibus processum predicti archiepiscopi confirmari, nnntii et procnratores dictornm Acconensinm compromittendi in nos habentes plenariam potestatem, ordinationi et dispositioni nostre super premissis articulis committere se volebant (1). Sed quia dictns magister ex parte tna hoc ipsnm acceptandi mandatum ut assernit non habebat, ad de-

(1) Cf. BERN. THESAUR. sive *Continuat. Guill. Tyrensis*, ap. GUIZOT, *Collect. des Mémoir.*, t. XIX, p. 484 et seqq., ubi duae Acconensium legationes ad papam, scilicet de pace cum imperatore tractanda memorantur: una cui praeerant Philippus de Trecis et Henricus de Nazareth ad ann. 1236 ineuntem reponenda, altera quam ex parte quoque regis Cypri suscepit miles dictus Galfridus Letort, qui Januam et postea Viterbium veniens circa initium anni 1237, pacis rescissionem a papa obtinuisse dicitur.

terminationem procedi non potuit hujusmodi questionis. Dicti etiam electus et magister eligentes potius in hac parte tuum expectare responsum quam aliquid inconsulto te gerere, noluerunt super hoc aliquid acceptare. Ideoque serenitatem tuam monendam duximus et hortandam quatenus, inspecta cedula quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, super his tue voluntatis beneplacitum imperialibus nobis insinuare litteris non postponas. Ceterum nequaquam super interdicti prefati relaxatione turberis, cum ex hoc tibi nullum prejudicium generetur, et id honore tuo considerato, ob statum illius terre integre conservandum fecerimus, necnon ad imperialem exaltationem, ipsam esse nostram et Ecclesie procul dubio reputantes, in his et aliis firmiter aspiremus.

Datum Assisii, X kalendas octobris, anno nono.

[Tenor cedulae quam papa misit imperatori de rebus Syriae componendis.]

Super negotio regni Hyerosolimitani beneplacito tuo nobis prius exposito, omnia quoad jus possessionis et proprietatis, in eum statum in quo ante discordiam inter Riccardum Filangerium marescalcum tuum et nobiles et barones [regni] predicti et cives Acconenses fuisse noscuntur, reducere; et ut cives et sindici Acconenses balivis quos ibi pro tempore duxeris statuendos tuo et nobilis viri Corradi nati tui nomine, in ordinatione castrorum et officialium, perceptione redditum et omnium aliorum jurium que in ipso regno ad regem de antiqua et obtenta consuetudine spectare noscuntur, salvis assisiis necnon antiquis et approbatis regni predicti consuetudinibus, obediant, et ipsi ac nobiles ejusdem regni communiam dissolvant, campanam deponant et amoveant consules et capitaneos ab eis post ortam discordiam ordinatos, et omnibus juramentis factis in prejudicium tuum et Corradi ejusdem penitus abjuratis, iterato tibi et ei fidelitatis exhibeant juramenta, sumus statuere et ordinare parati, si ad id tua serenitas accommodabit assensum. Ceterum predictus R. marescalcus tuus ad bajulationis officium ob tuum restituatur honorem, ita tamen quod bajulus hinc inde omni carens suspicione in

kalendis martii proximo futuri regno preficiatur eidem, quem preficiendi nobis per tuas committas litteras potestatem. Et quia inter ipsum marescalcum et partem alteram sunt inimicitie capitales, justa habent eum ratione suspectum; quo si illud exerceret officium, ipsos gladius vel alterius generis consumeret cruciatus; interim alii bajuli officium administrent. Ad hec, quia non bene posset prefati regni sedari turbatio si regnum Cypri in discordia remaneret, excellentiam tuam rogamus et monemus attente quatenus hujusmodi negotium, ut vel carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Cypri ad tuum faciamus redire mandatum, vel inter te ac ipsum treugas ad certum terminum statuamus ne ex hoc impediatur Terre Sancte subsidium, nostre ordinationi committas.

Assisii, 22 septembris.

Gregorius papa magistro domus Theutonicorum nuntiat quid cum Petro de Vinea imperialis curiae judice tractaverit de relaxando interdicto in Acconem temere promulgato; et de negotio Lombardorum, quod vult imperator infra festum Nativitatis per sententiam compleri, dum alioquin idem imperator cum exercitu partes ingredi Lombardiae paratus sit. Unde per eumdem magistrum imperatorem papa rogat monendum ne, postquam super hoc negotio se praecise in manibus Ecclesiae posuerit, nova adjecta conditione compromissum impediat, quum se Lombardi arbitrio Ecclesiae se praecise commiserint.

(Edit. ap. SAVIOLI, *Annal. Bologn.*, t. III, pars II, p. 156.)

Datum Assisii, X kalendas octobris (1), anno IX.

---

(1) Postridie, scilicet IX kalendas octobris, Friderico imperatori scripsit papa ut mitteret magistrum hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum pro terminanda discordia inter ipsum et Lombardos, et ipsi magistro scriptum est super hoc in eumdem modum. *Index litter. Gregor. IX*, ann. IX, n° 234.

Gregorius papa Ratisponensi et Hildesemensi episcopis mandat ut juxta priorum continentiam litterarum suarum, in episcopos Herbipolensem et Augustensem, Fuldensem abbatem et alios necnon in Wormatiensem electum et Devardum canonicum Herbipolensem, qui similia praesumpsisse dicuntur, omni appellatione postposita procedant. Assisii, 24 septembris.

(Edidit Höfler, *Kaiser Fried. II*, docum., p. 351, n° 21; ex regest. Gregor. IX, ann. IX, n° 232.)

Gregorius, etc., Ratisponensi imperialis aule cancellario et Ildesemensi episcopis, etc. Olim audito quod venerabiles fratres nostri Herbipolensis et Augustensis episcopi ac abbas Vultuensis, oblivioni commisso quod carissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum imperator, etc., provisus a Domino Ecclesie sit defensor et quidquid in prosperis vel sinistris illi advenire dinoscitur, ipsius Ecclesie quasi proprium reputetur, juramenti quo tenentur eidem religione contempta, nobili viro Henrico nato suo contra omnem hominem prestitis juramentis adheserant, dantes causam ut status orbis illo concursu discriminis turbaretur, quod nec facile corrigi nec multis posset laboribus aboleri; fraternitati vestre dedisse recolimus in preceptis ut inquisita super his diligentius veritate, si constaret vobis rem taliter se habere, ipsis ex parte nostra firmiter injungere curaretis ut infra duos menses post monitionem vestram recepturi pro meritis Apostolice Sedis se conspectui presentarent; alioquin eos ad id auctoritate nostra sub Apostolica obedientia cogeretis; D. prepositum de Hougue et Vualterum de Tanemburg canonicos Herbipolenses, qui Mediolanum contra imperatorem eumdem ivisse de mandato dicti nobilis ferebantur, suspensos ab officio et beneficiis ad nostram venire presentiam per censuram ecclesiasticam appellatione postposita

compellendo (1). Verum cum, sicut accepimus, a vobis per hujusmodi litteras nullus habitus sit processus, nos merito providere volentes ne ipsi de tante temeritatis excessu, digne non solum in clericis, sed etiam in laycis correctione solita castigari, materiam habeant gloriandi, quin imo ut pena de preterito ipsos cautos efficiat de futuro, qui si oculos ad superni equitatem judicis erexissent, non filium in persecutionem tanti patris accendere, sed pro illius deprimenda protervia omnis vigilantie studium debuissent potius assumpsisse, precipiendo mandamus quatenus super premissis circa episcopos, abbatem et canonicos memoratos, necnon circa Vormacensem electum (2) et magistrum Devardum canonicum Herbipolensem, qui cum predictis presumpsisse similia referuntur, post susceptionem presentium juxta priorum continentiam litterarum omni appellatione postposita sub Apostolica obedientia procedatis; quod super premissis inveneritis, nobis vestris litteris infra dictum terminum fideliter expressuri.

Datum Assisii, VIII calendas octobris, pontificatus nostri anno IX.

Assisii, 26 septembris.

Gregorius papa patriarchae Antiocheno mandat ut rectoribus societatis Lombardiae kalendas decembris proximo futuras pro

---

(1) Cf. supra, p. 532, litteras papae datas Perusii, 13 martii.

(2) De itinere Landolfi ad curiam Romanam hanc mentionem habemus in *Annal. Wormat.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 165: « Traditores vero domini Landolfi episcopi qui honorem ecclesiae suae totaliter relinquentes ipsum insequebantur, et quia ad hoc instabant quod dominus Heinricus de Catanea prothonotarius (idem fortasse de quo supra, p. 355, not. 1) a domino imperatore episcopus Wormatiensis constitueretur, ideo habebant litteras quascumque volebant, statim procurabant litteras ad cives ut dominum episcopum a loco illo unanimiter removerent. Quod cives facere noluerunt..... Videns haec dominus episcopus breviter se expediens, una cum venerabilibus patribus domino Conrado de Than Spirensi episcopo et domino Hermanno Herbipolensi episcopo, qui in eadem dampnatione erant, accessit ad curiam Romanam. » Ex litteris papae iter Landolfi non ante finem novembris mensis reponendum esse censemus.

termino praefigat, quo per procuratores idoneos coram se comparere debeant.

(Edid. partim RAYNALD., *Annal. eccles.*, ad ann. 1235, § XIII, e regest., lib. IX, n° 237. Nunc ad integrum damus ex coll. Laporte du Theil.)

Gregorius, etc., patriarche Antiocheno, Apostolice Sedis legato, etc. (1). Dilectum filium magistrum P. de Vuarcino scriptorem nostrum, latorem presentium, virum providum et fidelem, cujus fidem jam in multis experti sumus, ad te cum litteris imperialibus transmittentes; licet carissimus in Christo filius noster Fredericus Romanorum imperator, etc., festum Nativitatis Domini proximo futurum in quo petit totum negotium quod inter ipsum et Lombardos vertitur expediri, terminum petierit assignari et apponi penam triginta millia marcarum in compromisso (2); et si forsan dicti Lombardi nostram ordinationem, dispositionem, laudum vel arbitrium non servaverint, rectores societatis Lombardie ac potestates et consilia civitatum ipso facto sententiam excommunicationis incurrant; quia tamen consideratis diligenter ipsius negotii circumstantiis universis, non videmus qualiter tam arduum negotium possit in tam brevi tempore commode expediri, mandamus quatenus prefigas rectoribus societatis ejusdem ac ipsis Lombardis pro termino kalendas decembris proximo nunc futuras, in quo per syndicos seu per procuratores sufficientes et idoneos plenum mandatum habentes ad ponendum totum negotium sub prescripta forma in manu Ecclesie et parendum super eo precise mandatis nostris, et ad prorogandum ipsum terminum si viderimus expedire, omni dilatione ac excusatione cessantibus, compareant coram nobis. Alioquin, sibi poterunt imputare si quod eis periculum exinde contigerit iminere.

Datum Assisii, VI kalendas octobris, anno IX.

---

(1) Hunc cum plenae legationis officio miserat in Lombardiam papa, litteris datis Perusii XII kal. junii, pontificatus anno IX, *ibid.*, § XII.

(2) Si tamen de compromisso 13 maii 1232 Paduae concluso agatur, non ibi nisi de poena viginti millium marcarum argenti mentio fit. Cf. supra, p. 350.

Scriptum est in eumdem modum (n° 238) cum notis chronologicis eisdem rectoribus societatis Lombardiae, a verbis *Licet carissimus in Christo* usque ad *contigerit imminere,* verbis competenter mutatis.

Trojae, 5 octobris.

Taxatores civitatis Trojae a curia constituti ad colligenda tria millia et quadringentas uncias auri pro redemptione captivorum in obsidio hujus urbis, vigore mandati Riccardi de Montefuscolo imperialis justiciarii, sub hasta vendunt pro tribus unciis et dimidia partem terrae Johannis Tafuri civis Trojani, qui ad undecim uncias impositus exivit de Troja nec solvit.

(Inedit. in archivo monast. Montis Virginis, vol. CXXIV, pergam. 116, ex originali diversis locis oblitterato.)

In nomine Domini Jhesu Christi, anno ejusdem incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, imperii vero domini nostri Frederici invictissimi Romanorum imperatoris et semper augusti anno quintodecimo, sui vero regni Ierusalem anno decimo et regni Sicilie anno tricesimo octavo, atque cum eo regnante domino nostro Henrico gloriosissimo rege filio ejus anno vicesimo tercio, quinto mensis octobris, octave indictionis (1). Nos Simon de Guernisio, Matheus de Concilio et Tholomeus, Troiani cives, fatemur quod cum universitati Troie sindicos suos constitutos ab eadem universitate [requisituros] (*a*) tria milia unciarum auri et quadringentas uncias auri pro redemptione captivorum in obsidium Troie (2) dominus

(*a*) Deest hoc verbum aut quoddam aliud similis sensus.

(1) Notarius ibi utitur indictione, non cesarea, vel graeca, sed pontificali.

(2) Rebellioni et obsidioni Trojae alludit Riccardus de Sancto Germano, cum ad ann. 1233, mense januario, breviter dicat : « Trojae moenia diruuntur. » Seditiones tamen per Apuliam diutius ferbuisse suspicamur, dum legamus ibidem : « 1234 septembri, imperator in regnum rediens casalia quaedam Apuliae depopulari jubet. » Vid. etiam quid supra notaverimus,

noster invictissimus imperator Fredericus premisisset, et postea dominus noster serenissimus imperator, cum esset in procinctu eundi in Alamanniam firmiter precepisset ipsam quantitatem auri ab universitate Troie sine dilatico exigi et . . . ., nos predictos et complures alios de eadem universitate taxatores et collectores de predicta quantitate auri curia constituit et ordinavit. Quum inter nos diligenti consilio . . . . habito singulis de eadem universitate et unicuique certam quantitatem auri secundum vires facultatum suarum prout invenimus et novimus imposueramus (?), de qua auri quantitate perficienda Johanni Tafuro undecim uncias auri pro predicta redemptione imposuimus, quas . . . . pro eo quod idem Johannes Tafurus exivit de Troia, non solvit, curia nobis per licteras suas firmiter precipiendo mandavit quod de prediis suis rusticis vel hurbanis tantum venderemus ut quantitatem auri per nos sibi impositam curie solveremus; quarum continentia talis erat:

Prudentibus viris bajulis et judici Troie, etc., Ricardus de Monte Fuscolo imperialis justiciarius, etc. Quia curia imperialis pecuniam sibi promissam pro deliberatione captivorum in obsidium Troie cum integritate requirit et ipsam sine diminutione qualibet vult habere, provisum est ut hii de terra vestra qui per vos vel alios quamplurimos viros bonos . . . . possessiones vel partem possessionum illorum de Troia tam captivorum quam et aliorum qui pecuniam eis impositam solvere non possunt aut nolunt, quum tamen ad debitum curie sufficere possint, ut ex pecunia ex possessionum ipsorum vendicione redacta curie satisfiat. Quare vobis ex parte imperiali qua fungimur auctoritate mandamus quatenus tantum de possessionibus illorum de Troia quam pecuniam eis impositam solvere nequeunt aut nolunt, vendatis illis de terra vestra qui ad emendum . . . . per vos et alios, sicut dictum est, inventum fuerit, quod ad debitum curie plene sufficiat et curie satisfiat, venditionibus ipsis, prout

---

p. 495, not. 2. De redemptione autem captivorum fusius, testante iterum Riccardo de S. Germano, edocemur: « 1235 mense martii, captivi de Apulia qui tenebantur apud Canusium, per interventum pecuniae liberantur, et ex eis quidam digna sunt poena mulctati. »

vestrum requirit officium, accuratim (?) debitum impendentes. Data apud Montem Sancti Angeli, septimo augusti, octave indictionis.

Nos itaque predicti Simon de Guernisio, Matheus de Concilio et Tholomeus . . . . Sancte Marie taxatores et collectores, mandato curie satisfacere cupientes, cum dictus Johannes Tafurus predictas undecim uncias auri nuper sibi impositas, pro eo quod exivit de Troia, curie non solvisset, unam partem terre que fuit ipsius Johannis Tafuri que est ex ista parte Rurassonis et secus ipsum Rurassonum, sicut infrascriptis finibus denotatur, trigiata dierum spatio, loco subastacionis aste fiscalis . . . . voce preconis omnibus de civitate Troie venalem et denuntiatam, ut plus inde offerenti venderetur. Interim cum nullus ad eamdem partem ipsius terre emendam ad nos veniret, consilio inter nos habito, presentibus . . . . Zachinto et . . . . bajulis Troie, coram Nicolao de Sperano imperiali Troie judice et testibus infrascriptis ad hoc specialiter convocatis, predictam partem ipsius terre que fuit ipsius Johannis Tafuri, sicut infrascriptis finibus denotatur, cum omnibus pertinentiis et utilitatibus suis Jacobo de Padulo pro una uncia et dimidia, Petro Oddonis pro una uncia et dimidia et Jacobo de Caleppa pro dimidia uncia auri, secundum quod Jacobus de Tasso et Jacobus de Amatoribus provisores a curia ordinati, viri idonei et legales, prestito sacramento juxta qualitatem . . . . valere sunt arbitrati, pro parte curie vendidimus et tradidimus, et ipsos Jacobum de Padulo, Petrum Oddonis et Jacobum de Caleppa in civilem et naturalem possesionem ejusdem terre induximus; que quidem pars dicte terre hiis finibus et mensuris clauditur : videlicet in prima parte secus alteram partem ejusdem terre in qua tenet Robbertus de Girardo sunt passus septuaginta septem et pedes tres usque in Rurassonum (a); a secunda parte secus ipsum Rurassonum sunt passus ducenti usque in viam puplicam, a tercia parte secus viam puplicam sunt passus nonaginta duo et . . . . aliam partem ejusdem terre quam tenet Guillelmus Torsamontanus sunt passus centum septuaginta. A quarta parte secus terram domini impera-

(a) Ibi et infra legi etiam potest *Rivassonum*.

toris sunt passus centum duodecim usque. . . . . sunt tali (?) passu cum quinque pedibus et semi constat mensura antem pedis est quantum a principio . . . . conspicitur usqne . . . . inciditur et crux designatur. Et per hujus vendicionis et traditionis confirmationem profitemur nos a predictis Jacobo de Padulo, Petro Oddonis et Jacobo de Caleppa tres uncias et dimidiam auri cum definicione pro parte curie recepisse. Unde nos predicti collectores de mandato curie voluntarie coram prefato judice Nicolao et testibus infrascriptis obligavimus nos pro parte curie eisdem Jacobo de Padulo, Petro Oddonis et Jacobo de Caleppa et eorum heredibus per . . . . quas eis judicis prenominati judicio dedimus, [pro] ipsa curia imperiali fidejubentes quatinus dictam terram eis et eorum heredibus curia imperialis ab omnibus hostibus antestare et defendere debeat, et ad ipsorum cautelam presens instrumentum factum est. Quod scripsi ego Guarinus Troie notarius qui interfui, in mense et supradicta indictione, in civitate Troia.

† Ego qui supra Nicolans de Sperano, Troie imperialis jndex.

† Ego . . . . filius Egidii.

† Ego Probns de . . . . testis sum.

Fridericus, Romanorum imperator, buticlario de Nurenberch, ad querelam praepositi et conventus de Speinshart mandat, ut causa inquisita super advocatia villarum quarumdam arrogata, lantgravios de Waldeck, de Leuchtenberch et Henricum de Turndorf, ab omni molestatione dicti praepositi compescat. Augustae, 25 octobris.

(Editum prima vice ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 242, num. DCCXXXVII. Nullum quidem appendet sigillum, nullumque appensi aut impressi modo restat vestigium. Verumtamen cum character scripturae ac forma membranae cum inscriptione externa *buticlario de Nurenberch fideli suo pro preposito de Speinshart,* ipsum autographum repraesentent, vel locus sigilli cum parte mem-

branae infima succisus est, vel potius mandatum quod ab exordio semper sigillo caruit, alteri justo instrumento atque sigillo munito inclusum erat.)

Fr[idericus], Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, buticlario de Nuorenberch fideli suo gratiam suam et omne bonum. Querelam prepositi et conventus de Speinshart fidelium nostrorum recepimus continentem quod lantcravii de Waltekke, de Luikenberch et Henricus de Turndorf, occasione advocatie quam habere se asserunt in quibusdam villis ipsius ecclesie, videlicet Wolawe, Curbansdorf, Prissen, Curbenseze, Mukenrott, Aldinriut et Tunpach, cum nullam ibi advocatiam habeant, ipsos prepositum et conventum in eisdem villis aggravant et dapmnificare non cessant, omnem eis molestiam et jacturam assidue inferendo. Cum igitur ecclesiarum jura volimus illesa servari, fidelitati tue firmiter precipiendo mandamus, quatinus inquisita de hiis diligentius veritate, si tibi constiterit ita esse, predictos lancravios et Henricum taliter ab eorumdem prepositi et conventus indebita molestatione compescas, et cogas prout justum fuerit ut ablata restituant, ut super hiis iterum nullam querimoniam audiamus et tua proinde devotio commendetur.

Datum Auguste, XXV octobris, indictionis VIIII^a.

Augustae, octobri.

Fridericus, Romanorum imperator, ecclesiam in Kitzingen, cum personis et possessionibus omnibus, in speciali protectione sua et imperii recipit.

(Edit. in Jager, *Gesch. Frankenlands*, t. III, p. 380, num. 35; et ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 243, num. DCCXXXVIII, ex originali unde sigillum nonnihil laesum appendet ex filis sericis flavi et rubri coloris.)

Fr[idericus], Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Religiosam vitam habentibus imperiale debet adesse presidium ne cujusvis temeritatis incursus aut eos a bono proposito re-

vocet aut in eis, quod absit, robur sancte conversacionis infringat. Cum igitur ecclesia in Kizingen, sicut intelleximus, agitetur pressuris multiplicibus et diversis gravaminibus indebite opprimatur, volentes ei ex consueta nostre celsitudinis clemencia providere, ecclesiam ipsam ac dilectam nobis in Christo abbatissam ac ceteras ejusdem ecclesie personas cum omnibus possessionibus ac bonis que in presentiarum juste tenent et possident aut in futurum justo acquisitionis titulo poterunt adipisci, sub nostra et imperii speciali recepimus protectione. Mandantes et firmiter precipientes quatenus nullus sit qui dictam ecclesiam aut personas ibidem Domino famulantes in possessionibus et bonis suis presumat temere molestare. Quod qui presumpserit indignacionem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus itaque nostre protectionis memoriam, presens scriptum fieri et sigillo nostro jussimus communiri.

Data Auguste, anno dominice incarnationis M° CC° XXXV°, mense octobris, none indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Rudolpho, abbati Faucensi, privilegium anno 1219 (verius 1218) super restitutione provinciae Aschowe a se indultum, innovando confirmat. Apud Augustam, octobri.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 239-241, num. DCCXXXVI, ex origin. in archivo cathedr. August.; cujus sigillum periit, remanentibus tantum filis sericis rubri coloris. Memoratum quoque in BRAUN, *Gesch. der Bisch. von Augsb.*, t. II, p. 245.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Imperialis eminentia tunc precipue nominis sui titulos ampliat, cum divine pietatis intuitu, per quam preest principibus orbis terre, loca venerabilia pia mentis affectione tuetur, et justas pro eis porrectas favorabiliter peticiones admittit. Ea propter universis imperii fidelibus pre-

sentibus et futuris volumus esse notum [quod Ruodolfus venerabilis abbas Fancensis, dilectus fidelis noster, privilegium quoddam monasterio suo indultum a nobis tempore regni nostri nostre celsitudini presentavit; supplicans ut illud innovare, et que continebantur in ipso confirmare de nostra dignaremur gratia; cujus tenor est per omnia talis :

(*Sequitur de verbo ad verbum privilegium* apud Ulmam, 10 septembris anno 1218 *datum, quod supra exhibuimus,* t. I, p. 555.)

Nos igitur attendentes fidem et devotionem ipsius abbatis quam ad celsitudinem nostram habet, suis supplicationibus inclinati, predictum privilegium ei a nobis indultum, presenti privilegio de verbo ad verbum jussimus inseri, omnia que continentur in eo nostre auctoritatis munimine confirmantes. Statuimus igitur et imperiali sancimus edicto quatinus nulla persona, alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictum monasterium, abbatem et successores ejus super predictis bonis contra presentis privilegii nostri tenorem ausu temerario molestare presumat. Quod qui presumpserit preter indignationem nostri culminis quam incurret, centum libras auri puri componat, medietate fisco nostro, reliqua dicto monasterio persolvenda. Ut autem hec nostra confirmatio robur perpetue firmitatis obtineat, presens privilegium fieri mandavimus et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt dilecti principes venerabilis Eberhardus Salzburgensis archiepiscopus, S. Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, Sibotto Augustensis episcopus (1), frater Hermannus magister domus Sancte Marie Theutonicorum, . . . abbas Sancti Emmeranni, O. dux Bawarie, H. langravius Turingie, comes palatinus Saxonie, H. marchio de Baden, C. burcravius de Nuoremberc, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tri-

---

(1) Hinc comperimus Augustensem episcopum, quem a papa Romam evocatum tanquam rebellionis Henrici regis fautorem vidimus (cf. p. 532 et 777), nunc in curia imperatoris morantem verisimiliter in gratiam ejus fuisse quoque receptum.

cesimo quinto, mense octobris, indictione nona, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus quinto decimo, regni Jerusalem decimo, regni vero Sicilie tricesimo septimo (1), feliciter. Amen.

Datum apud Augustam, mense, anno et indictione prescriptis.

Apud Augustam, octobri.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Hermanni magistri domus Sanctae Mariae Theutonicorum, ei et fratribus ejus ecclesiam in Kunitz, cum ecclesiis in Berne et Yvernstorf, quas olim eisdem jam concessit, denuo concedit et in perpetuum confirmat.

(Edit. in *Soloth. Wochenblatt*, ann. 1828, n° 23, p. 236; coll. cum libro copiali ord. Theutonic. in archivo Königsberg., fol. 111-112.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Si fidelium nostrorum et eorum precipue quorum devotionem obsequia gratiora commendant, petitiones favorabiliter exaudimus, nostris potius utilitatibus providemus, dum quod uni confertur ob meritum transfunditur ad alios per exemplum. Universis igitur nostro imperio subjectis tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod constitutus in presentia nostra frater Hermannus, venerabilis magister domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem, dilectus fidelis noster, nostre celsitudini supplicavit quod cum olim apud Burgum Sancti Donnini sibi et domui sue concesserimus ecclesiam in

(1) Annus regni Siciliae, quinque mensibus jam ante inceptus, tricesimus octavus esse deberet.

Chuniz (*a*) cum ecclesiis in Berne et in Yverinsdorf (*b*), quia nunc eadem ecclesia in Chuniz cum ecclesiis supradictis ad manus nostras pleno jure dominii pervenit, ecclesias ipsas eidem magistro et domui sue de novo concedere et confirmare de nostra gratia perpetuo dignaremur. Nos igitur attendentes fidem laudabilem et devotionem sinceram ipsius magistri et fratrum suorum necnon et grata servitia que nostre celsitudini jugiter exhibere non cessant, suis supplicationibus inclinati, predicte domui hospitalis, eidem magistro, fratribus et successoribus eorumdem de nostre munificentie gratia concedimus et in perpetuum confirmamus supradictam ecclesiam in Chuniz cum ecclesiis in Berne et Yverinsdorf cum omnibus justitiis et rationibus earumdem. Statuimus igitur et imperiali edicto in perpetuum valituro sancimus quatenus nulla deinceps persona humilis vel sublimis, ecclesiastica vel mundana, predictam domum hospitalis Sancte Marie Theutonicorum, magistrum eumdem, fratres vel successores eorum contra tenorem presentis concessionis et confirmationis nostre super ecclesiis antedictis aliquatenus impetere (*c*) seu molestare presumat. Quod qui presumpserit preter indignationem nostri culminis quam incurrisse se noverit, quinquaginta libras auri pro pena componat, medietate fisco nostro et altera medietate parti lese solvenda. Ad hujus igitur (*d*) nostre concessionis et confirmationis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et sigillo nostre majestatis (*e*) jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Wenceslaus illustris rex Bohemorum, Eberhardus Salzburgensis et Theodoricus Treverensis archiepiscopi, Sifridus Ratisbonensis imperialis aule cancellarius, Eckebertus Babenbergensis, Rudegerus Pataviensis, ... Frisingensis, Siboto Augustensis et Heinricus Constantiensis episcopi, Heinricus lantgravius Thuringie palatinus

(*a*) In Teut. ord. copiali libro *Kunitze*.

(*b*) Ibidem *Yvermisdorf*.

(*c*) In copiali libro *impedire*.

(*d*) Ibidem *itaque*.

(*e*) Ibidem *et bulla aurea typario nostre majestatis impressa;* unde suspicandum duo exemplaria fuisse redacta, unum cum sigillo cereo, alterum cum aurea bulla.

comes Saxonie, Bernardus dux Carinthie, Otto dux Bavarie palatinus comes Rheni, Albertus dux Saxonie, Hermannus marchio de Baden, Gottfridus et Conradus de Hohenloch comites Romaniole, Gebhardus de Arnestein (*a*), et alii quamplures.

Signum domini Friderici II, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Moguntinensis archiepiscopi Germanie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXV, mense octobris, none indictionis, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus XVI, regni Jerusalem X, regni vero Sicilie XXXVI (*b*), feliciter. Amen.

Datum apud Augustam, anno, mense et indictione pretitulatis.

Fridericus, Romanorum imperator, ministerialibus infra comitatum Stadensem constitutis et ad dominium de Brunswick attinentibus mandat ut duci Ottoni de Luneburg tanquam domino suo obediant, ipsi fidelitatis juramentum exhibentes. Apud Augustam, 31 octobris.

(Edit. ap. Rethmeyer, *Braunschw. chronik*, p. 476. — Scheid, *Origin. Guelf.*, t. IV, p. 167. — Pratje, *Uber Bremen und Verden*, t. VI, p. 116.)

Fridericus, Dei gracia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis ministerialibus infra comitatum Stadensem constitutis et ad dominium de Brunesvic attinentibus fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Credimus ad vestram audientiam pervenisse qualiter de consilio principum dilectorum, O. de Luneburch dilectum

(*a*) In libro ord. Theuton. copiali *de Hennenstein*, minus recte.

(*b*) In libro copiali *tricesimo septimo;* recte tamen XXXVIII.

nostrum in principem creaverimus, concedentes ei de gratia speciali ducatum de Brunswic cum omnibus justitiis et rationibus attinentibus ad dominium civitatis ipsius de Brunswic. Quare fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus eidem duci dilecto principi nostro attendatis et obediatis de cetero tanquam domino vestro, sibi fidelitatis juramentum secundum consuetudinem imperii exhibentes ut ex fidelitate et devotione quam erga eum habebitis de cetero, melius commendari possitis, et tam ipsum ducem quam excellentiam nostram ad grata vobis premia conferenda pro meritis inducatis.

Datum Auguste, ultimo octobris, indictione nona.

Apud Augustam, 31 octobris.

Fridericus, Romanorum imperator, universis civibus de Staden mandat ut Ottoni de Luneburg, quem in principem suum creavit, restituant ea quae tenent de haereditate pertinente ad dominium de Brunswick, quam eidem contulit in feudum.

(Edider. Scheid, *Orig. Guelf.*, t. IV, p. 168. — Pratje, *Uber Bremen und Verden*, t. VI, p. 116. — Schöpflin, *Hist. Zar. Bad.*, cod. diplom., t. IV, p. 199.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis civibus de Staden fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Dudum in collegio curie Moguntinensis, de consilio principum nostrorum, Oddonem de Luneborch in principem nostrum creavimus, sibi conferentes in feudum hereditatem pertinentem ad dominium de Brunswic, quam a dilectis principibus nostris Oddone duce Bavarie et marchione de Baden olim emeramus, nomine uxorum suarum pertinentem (a) ad eosdem. Verum cum quedam de hereditate ipsa tenere dicamini contra collationem ipsi principi nostro factam, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus ea que de hereditate ipsa tenetis,

(a) Ap. Schoepflin *pertinentia*, minus recte.

restituatis et dimittatis eidem principi nostro nec aliquam ei super hiis molestiam inferatis, ut devotionem vestram pro meritis commendemus.

Datum apud Augustam, ultimo octobris, nona indictione.

Otto, comes palatinus Reni et dux Bavariae, in praesentia Friderici Romanorum imperatoris cum Henrico abbate de Tegernsee dividit in matrimoniis contractis aut contrahendis inter suos et ejusdem ecclesiae ministeriales, sicut Ludewicus pater suus id quondam confirmaverat. Apud Augustam [octobri].

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. VI, p. 208, inter Monum. Tegerns.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Otto, Dei gratia comes palatinus Rheni et dux Bawarie. Firmiora sunt universa que geruntur et nulla possunt calumpnia perturbari, si vigorem trahunt ab annotatione testium et roborato testimonio litterarum. Cognoscat ergo presens etas et sciant posteri quod ego Otto comes palatinus Reni et dux Bawarie juxta conniventiam et petitionem dilecti nobis Hainrici abbatis venerabilis de Tegernse suique conventus et ministerialium, pactum tale inivimus cum abbate ipso, et manuale, domini nostri Romanorum imperatoris Friderici auctoritate, ambo simul inviolabiliter in presentia principum subscriptorum roborari [fecimus], quod in matrimoniis contractis et in futuro contrahendis inter nostros et antedicte ecclesie ministeriales utrinque dividantur; quod etiam pie recordationis Ludwicus pater noster equidem firmiter confirmaverat. Ut autem res ista foret stabilior et in statu incolumi semper conservetur, nomina testium qui presentes aderant fecimus expresse subnotari, paginam ipsorum nostrorum munientes firmamento.

Testes sunt : Eberbardus Salzburgensis archiepiscopus, Ekkebertus Babenbergensis episcopus, Chunradus Frisingensis episcopus, Sifridus imperialis aule cancellarius et Ratisponensis ecclesie episcopus, Rudi-

gerus Pataviensis episcopus, Heinricus Sekkavensis episcopus, Siboto Augustensis episcopus, Wenczlaus rex Bohemie, Bernhardus dux Karinthie, Raspo lantgravius Thuringie, Chunradus comes de Wazzerburch, Luitoldus de Augia, Albardus Proisingen, Sifridus de Wroberch, Henricus de Hohenrain, Chunradus Ouffenhovern, Albanus de Waringow, Ulricus et Chunradus Testudines, et alii quamplures.

Acta sunt hec apud Augustam, ibidem presidente feliciter Friderico supradicto imperatore, anno incarnationis Domini MCCXXXV, indictione nona.

Augustae, 1° novembris.

In festo Omnium Sanctorum imperator conventum principum habuit apud Augustam. Ubi rex Boemiae affuit, recipiens ab imperatore decem millia marcarum pro parte Sueviae quae jure haereditario suam uxorem (1) contingit. — Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 368.

Augustae, novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, Hermanno magistro hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum in Jerusalem donationem et venditionem quorumdam bonorum ibidem expressorum inter domum eamdem ex una parte atque Bertrandum Porcelet et Isabellam uxorem ejus ex altera, coram Riccardo Filangerio tunc in partibus Syriae imperiali legato factam, ratam habet et confirmat.

(Edid. Stillfried, *Monum. Zoller.*, 1ª pars, p. 46; coll. cum copia authent. in arch. Stuttgart. et cum libro copiali ord. Theuton. in archivo Berolin.)

---

(1) Scilicet Cunegundis, quae etiam Catherina, secunda Philippi Romanorum quondam regis filia.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Imperialis excellentie dignitas tunc vere laudum suarum titulos ampliat et nominis sui famam extollit, cum se fidelium suorum petitionibus favorabiliter exhibet, in hiis precipue per que venerabilium locorum commoda procurantur, quia quod uni confertur ob meritum transfunditur ad alios per exemplum. Eapropter notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod frater Hermannus venerabilis magister hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem, dilectus fidelis noster, in nostra presentia constitutus, ostendit nobis scriptum quoddam manu publica et ydoneis testibus roboratum, in quo continebatur qualiter Bertrandus Porcelet et Isabella uxor sua de Bezem (a) filia quondam Philippi Rufi, in presentia Richardi Filangerii marscalci, regni Ierosolymitani bajuli et legati imperii in partibus Syrie, fidelis nostri, et aliorum nobilium regni nostri Jerosolymitani, de bona et gratuita voluntate ipsorum dederunt in elemosynam et vendiderunt fratri Ludolfo tunc temporis preceptori predicte domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum Ierosolymitane, recipienti loco et jure ipsius domus et magistri sui, duo casalia, videlicet Arabiam et Zechaniam (b), cum omnibus pertinentiis et justitiis eorumdem, gastinis etiam Berhenne, Mezera, Miskelyn cum villanis predictorum casalium et gastinarum ipsarum et eorum uxoribus ac filiis, terris laboratis et non laboratis, montibus, vallibus, planis, nemoribus, aquis et pascuis, receptis exinde ab eodem preceptore nomine dicte domus hospitalis tribus millibus et sexingentis bisantiis sarracenatis, ad habendum et possidendum eadem casalia cum gastinis et omnibus hominibus ac tenimentis eorum pleno jure dominii et ad faciendum ex eisdem casalibus quicquid velint, prout hec et alia ipsum instrumentum expressius continebat. Propter quod dictus magister nostre celsitudini supplicavit ut donationem et venditionem ipsam sibi et domui sue factam, prout superius continetur, ratam habere et confirmare perpetuo dignaremur. Nos igitur attendentes grata ejus et accepta servitia

(a) Alias *de Bezen.*

(b) Alias *Zechaniam* sive *Zethaniam.*

que nobis dudum exhibuit et exhibet incessanter, cujus intuitu domum hospitalis predicti dignis proponimus beneficiis ampliare, suis supplicationibus inclinati, donationem et venditionem sibi et domui sue factam ab eisdem Bertrando Porcelet et Isabella uxore sua de casalibus supradictis, sicut superius est expressa et confectum exinde continet instrumentum, ratam habemus perpetuo et auctoritatis nostre munimine confirmamus; statuentes ut tam ipse magister quam fratres et omnes successores eorum omni futuro tempore predicta casalia cum hominibus, gastinis, justiciis et pertinentiis eorumdem pleno jure dominii possideant et teneant sine omni servitio libere et quiete, ad faciendum exinde quidquid velint sine contradictione vel molestia alicujus. Ut autem hec nostra confirmatio robur obtineat perpetue firmitatis, presens scriptum fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa fecimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Theodericus Treverensis et Eberardus Salzpurgensis archiepiscopi, Ekebertus (*a*) Babenbergensis, Rudegerus Pataviensis, Heinricus Constantiensis et Conradus Frisingensis episcopi; Otto palatinus comes Reni et dux Bavarie, Albertus Saxonie et Bernhardus Karinthie duces, Heinricus lantgravius Thuringie et palatinus comes Saxonie, Hermannus marchio de Baden, Hermannus de Orlamunde, Boppo de Hennenberch, Heinricus de Seine et Hartmannus de Dillingen comites, Fridericus de Truhendingen, Godefridus et Conradus de Hohenloch, Wolframus de Krutheim (*b*), et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense novembris, indictione nona, imperante domino Friderico, Dei gratia serenissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, Romani imperii ejus anno XVI°, regni Ierosolymitani anno XI°, regni vero Sicilie XXX° VII°, feliciter. Amen.

Datum Augusto, anno, mense, indictione pretitulatis.

(*a*) Alias *Ekehardus*, minus recte.

(*b*) Alias *de Knutheim*, minus recte.

Fridericus, Romanorum imperator, cives Novi Fori et Nurnberg propter vicinitatem qua eorum negotia communia fiunt, a jure teloneorum inter se solvendorum immunes esse declarat; salvo quod utriusque civitatis incolae tam in his civitatibus quam per alias civitates telonea imperio debita exsolvant. Augustae, novembri.

(Edid. Löwenthal, *Geschichte des schultheiss. und stadt Neumarkt* (München, 1805), Urkund., p. 215, n° I.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod constituti in presentia nostra cives Novi Fori et Nurmberg fideles nostri nobis humiliter supplicarunt quod cum, propter vicinitatem qua inter se una civitas esse censentur, communia sint ejus negotia mercimoniis et simul utantur, eos altrinsecus a theloneorum exactionibus quibus ad invicem frequentius gravabantur, immunes et liberos fieri dignaremur, videlicet ut inter se nullum debeant jus theloneorum exsolvere. Nos ergo eorum supplicationibus inclinati, attendentes puram eorum fidem et grata servitia quibus majestati nostre studuerunt semper et student devote placere, predictos cives Novi Fori et Nurmberg fideles nostros ab omni jure theloneorum inter se perpetuo liberos esse volumus et immunes: videlicet ut nec cives Novi Fori apud Nurmberg nec cives Nurmberg apud Novum Forum ullo tempore inter se theloneum exsolvere teneantur; ita tamen quod proventus quos in civitatibus supradictis curia nostra de theloneis percipere consuevit cum omni integritate solvantur, et quod per alias civitates et loca quibus exhiberi theloneum solitum est, utriusque civitatis incole debitas rationes theloneorum exsolvant, ne jura imperii que tenemur augere videantur ex hoc aliquatenus minorari. Ad cujus rei

memoriam et in posterum firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Auguste, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo qninto, mense novembris, indictionis none, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanornm imperatore semper augusto, Jernsalem et Sicilie rege, anno imperii ejns sexto decimo, regni Jerusalem decimo, regni vero Sicilie tricesimo septimo, feliciter. Amen.

Brixiae, 5 et 7 novembris.

Renovatio societatis Lombardiae, scilicet inter Mediolanum, Laudam, Novariam, Alexandriam, Cumas, Trivisium, Paduam, Bononiam, Brixiam, Faventiam, cui accedunt potestas et ambaxatores Ferrariae.

(Edit. ap. Muratori, *Antiquit. Ital. med. aevi*, t. IV, p. 331-334, ex archivo Estensi.)

I.

In Christi nomine. Anno ejusdem Nativitatis millesimo ducentesimo trigesimo quinto, indictione VIII, Brixie, tempore Gregorii pape et Federici imperatoris, die lune V intrante novembri, presentibns domino Bonapaxe milite domini Johannis de Porta potestatis Ferrarie, Christofaro notario Mediolanensi et Johanne de Sala notario de Bononia, testibus rogatis et vocatis, in camera sale domini Guale episcopi Brixie, ibiqne dominus Johannes de Porta civis Brixie et Ferrarie potestas et dominus Guizardinns Contrarius et dominus Nascimbene judex, ambaxatores et rectores communis Ferrarie, nomine et vice dicti communis, protestati fuerunt et expresse dixerunt dominis Bartholomeo de Nascinturre tunc antiano societatis Lombardie, Ursulino de Bari, Guala de Libida, Alberto Boniperti de Novara, Spitio Incoardo, Ruffino de Mandello de Mediolano, Gerardo Ercolano, Napuliono de Laerdo de Faventia et Griffolino de Griffis de Brixia, tunc rectoribus societatis predicte, quod parati erant

pro communi Ferrarie reformare societatem predictam secundum antiqunm modum et formam, ita quod dicte potestati Ferrarie et ipsi communi reserventur omnes bone couditiones que fnerunt statute et promisse communi Ferrarie eo tempore quando dictam societatem primo juraverunt. Et quod dicta potestas et commune Ferrarie non teneautur pro dicta societate vel occasione dicte societatis subire aliquod onus expeusarum vel ullam tagliam militum vel peditum aut aliqnod aliud onus quod imponi posset per predictos rectores ant eornm successores, cum dicta civitas Ferrarie sit gravata hactenus multis oneribus impeusarum propter civilem dissensionem et propter inundationem aquarnm et propter alias graves et intolerabiles gravitates que passa fuit et est dicta civitas, et specialiter propter servitia hacteuus facta societati predicte. Sed predicta potestas et predicti rectores et ambaxiatores dicunt et asserunt et volunt quod civitas Ferrarie sit de societate predicta in hunc modum : scilicet in dando vias et in aliis que circa hec fuerint opportuna secundum possibilitatem dicte civitatis Ferrarie, et in vetando Teutonicis et eorum fautoribus ne per vias et aqnas Ferrarie vadant et veniant ad offensionem et detrimentum societatis Lombardie. Qui dominus Bartholomeus antianus una cum supradictis rectoribus prefatam potestatem Ferrarie et dictos rectores pro communi Ferrarie secundum supradictum modum et sicut predixerunt, ad societatem predictam receperunt, affirmaverunt et approbaverunt, et eos jurare fecerunt. — Et ego Aribertus, Dei gratia sacri palatii notarius, his omnibus interfui, rogatus scribere scripsi et complevi.

II.

In Christi nomine. Anno ejusdem Nativitatis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, indictione VIII, Brixie, tempore domini Gregorii pape et Federici imperatoris, die mercurii VII intrante novembri, in publica concione Brixie, presentibus domino Bonapace milite potestatis, Guidone de Raule, Tederico de Villa de Mediolano, Bonaventura notario de Faventia, Cristofaro notario de Mediolano et aliis, ubi dominus Umbertus

Saccus Mediolani potestas, dominus Ubertus de Mandello potestas Laude, dominus Florius de Castelleto potestas Novarie, dominus Resonatus Puteibonelli potestas Alexandrie, dominus Conradus de Conceso potestas Cumi, dominus Rainerius Zeni potestas Trivisii, dominus Octus de Mandello potestas Padue, dominus Carnelvarius de Uzine potestas Bononie, dominus Paganus de la Turre potestas Brixie et dominus Andreas domini Aldevrandini nomine et vice potestatis Faventie, juraverunt et reformaverunt societatem predictam, et prefatus dominus Johannes de Porta Ferrarie potestas nomine et vice communis Ferrarie in dicta concione juravit dictam societatem Lombardie, Marchie et Romanie secundum modum et formam et conditionem quam dixerat et proposuerat dominis Bartholomeo antiano et Ursulino judici rectoribus Bononie (*sic*) et eorum sociis. Protestatus fuit quod in nullo alio vult teneri pro communi Ferrarie nec ipsum communo ipsis rectoribus vel societati predicte, nisi secundum quod predixerat et cum supradictis antiano et rectoribus fuerat et est in concordia et scriptum reperitur per me Aribertum notarium. Qui rectores secundum modum supradictum receperunt eum et jurare fecerunt in dicta concione. Et ego Aribertus, *ut supra*.

Hagenowe, [exeunte novembri.]

Inde imperator se contulit ad oppidum Haginhowe in quo hiemavit. Ibi affuerunt comes Tolosanus et comes Provinciae. Recepit autem comes Tolosanus marchiam Provinciae ab imperatore, homagium sibi praestans. Comes autem Provinciae quinquagenarius ideo tunc primum ab imperatore ad gradum militiae est provectus, quia comites suae parentelae se non credunt diu posse vivere postquam gradum militiae sunt adepti.... Ibidem nuntii reginae Hispaniae (1) affuerunt qui pulcherrimos dextrarios et

(1) Scilicet Beatrix, quae etiam Elisa, Philippi Romanorum regis ultima filiarum. Mense novembri 1219, Ferdinando Castellae et Legionis regi nupserat.

magnifica munera Cesari attulerunt. Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 368.

Fridericus, Romanorum imperator, donat, concedit et confirmat Raymundo comiti Tolosano affini et fideli suo terram Venesinam totamque aliam quam in imperio sive in regno Arelatensi et Viennensi idem comes tenere consuevit, et restituit eum in dignitatem marchionatus Provinciae. Hagenowe, decembri.

(Edit. ap. Bouche, *Hist. de Provence*, t. II, p. 226, sed minus correcte. Integrum tamen extat in *Chartul. Raym. comit. Tolos.*, ap. Biblioth. imper. Parisiensem.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Imperialis excellentie solium tunc augetur, cum retinendo que donat et donando que retinet, vel subjectorum devota obsequia remunerat, aut aliquorum devotionem munificentia liberalitatis acquirit, etc. Hac igitur consideratione commoti, illustris viri dilecti affinis et fidelis nostri Raimundi comitis Tolosani fide et devotione pensatis, recepto ab eo, etc. [Sequitur de verbo ad verbum, sicut in privilegio dato apud Montemflasconis, septembri 1234, quod supra p. 486.] Ut autem hoc nostra defensio, concessio et confirmatio robur obtineat perpetue firmitatis, ad futuram memoriam presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt : ... Treverensis archiepiscopus, ... Vivariensis episcopus, dux Brabantie, dux de Limburg, dux Bavarie comes palatinus Reni, dux Lotharingie, marchio de Baden, burgravius de Nuremberg, A. de Pictavia comes Valentinus, et alii quamplures.

Signum domini Friderici II, Dei gratia Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense decembris, none indictionis, imperante domino nostro Friderico II, Dei gratia serenissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus septimo decimo, regni Jerusalem undecimo, regni vero Sicilie trigesimo septimo.

Datum Hagenowe, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Hagenowe, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, Raymundo comiti Tolosano affini et fideli suo dominos villae Insulae, civitatis Carpentoratis, castri de Interaquis et aliorum locorum perpetuo in vassallos concedit.

(Edit., sed mendose, in *Bullar. civit. Avenion.*, p. 137; — ap. Bouche, *Hist. de Provence*, t. II, p. 1065, ex arch. comit. Venaiss. — Kausler, *Anzeiger für Kunde der Teutschen vorzeit*, 1835, p. 133. Nunc exhibemus ex originali ap. *Trésor des chartes*, in archivo imperii Parisiensi, arca J. 309, n° 13, ubi adest sigillum integrum filis sericis rubri coloris appensum. Extat quoque copia *ibidem*, arca J. 277, n° 1.)

Fridericus secundus, divina favente clemencia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Si dilectorum fidelium nostrorum supplicationes et eorum precipue quos et grate devotionis affectus et servicia gratiora in conspectu nostre celsitudinis recomendant, admittimus liberaliter et clementer, eo nostris et imperii utilitatibus consultius providemus quo quod uni de innata impendimus gracia, ad plures transfunditur per exemplum, et sic multos ad nostram et imperii devocionem per liberalitatis desteram evocamus. Inde est quod nos attendentes sinceram et puram devocionem quam Raymundus illustris comes Tholosanus, dilectus affinis et fidelis noster, erga excellenciam nostram habet, necnon grata satis et accepta servicia que nobis et imperio devote prestitit hactenus et prestare poterit in antea gratiora, de munificentie nostre gratia qua benemeritos fideles nostros benigne semper et favorabiliter

consuevimus prevenire, donamus et concedimus sibi et heredibus suis perpetuo in vassallos, dominos ville Ynsule, civitatis Carpentoratis, castri de Interaquis, ville Quadarosse, castri de Nometamiis, castri Petre Lapte et castri de Intercalliis (1), et ut in eis plenam jurisdictionem debeat exercere quam ipsi et heredibus suis de nostra duximus gratia concedendam; mandantes ut tam ipsi domini dictorum locorum quam heredes sui nominato comiti et heredibus suis tanquam dominis eorum in omnibus de cetero respondeant et intendant, salvo dominio et jure nostro et imperii principali. Statuimus igitur et presentis privilegii auctoritate mandamus quatenus nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, dictum comitem vel heredes suos contra hujus privilegii nostri tenorem ausu temerario super predictis impetere vel gravare presumat. Quod qui presumpserit centum librarum auri puri pena plectatur, medietate camere nostre et reliqua medietate passis injuriam persolvenda. Ad hujus autem donationis et concessionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium inde fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Trevereusis archiepiscopus, episcopus Vivariensis, dux Bawarie, palatinus comes Reni, dux Lothoringie, dux Brabantie, dux de Limburg, marchio de Baden, burgravius de Nuremberc, A. de Pictavia comes Valentinus, D. de Berchagius, B. de Aicara, V. de Banasta, W. de Navis (2), et alii quamplures.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense decembri, none indictionis, imperante domino Friderico secundo, Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno septimo decimo, regni Jerusalem undecimo, regni vero Sicilie tricesimo septimo, feliciter. Amen.

Datum apud Hagenum, anno, mense et indictione prescriptis.

(1) Scilicet *L'Isle*, *Carpentras*, *Entraigues*, *Caderousse*, *Les Metamies* (?), *Pierrelatte* et *Entrechaux*.

(2) Quae loca his quatuor ultimis nominibus conveniant, non bene scimus. *Banasta* tamen forsitan idem est ac *Banassac* (Lozère). Adsunt quoque in Occitania varia loca quae *Naves* vel *Navès* vocantur.

Hagenowe, 31 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, dominis villae Insulae, Carpentoratis, castri de Interaquis, et aliorum locorum donationem supradictam notam facit, ut comiti Tolosano tanquam domino suo de caetero obediant.

(Edit. in *Bullar. civit. Avenion.*, p. 138, et ap. Bouche, *Hist. de Provence*, t. II, p. 1066, ex arch. comit. Venaiss.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, dominis ville Insule, civitatis Carpentoractis, castri de Interaquis, ville Caderosse, castri de Montemaniis (1), castri Petrelate et castri de Intercallis presentes litteras inspecturis, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Notum facimus fidelitati vestre quod nos pro gratis et acceptis servitiis que Raymundus comes Tholosanus, dilectus affinis et fidelis noster, nobis et imperio devote hactenus exhibuit et exhibere poterit in futurum, vos ipsi comiti et heredibus suis perpetuo concessimus de nostra gratia in vassallos, salvo dominio et jure nostro et imperii, imperiali juxta quod in privilegio nostro inde sibi indulto appertius continetur. Quare fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus quatenus dicto comiti dilecto fideli nostro juramenta prestetis, ipsi tanquam domino vestro (a) ad honorem et fidelitatem nostram et imperii de cetero intendentes.

Datum Agen., ultimo die decembris, IX^a indictione.

(a) Ap. Bouche *nostro* male, sicut et supra *nos* pro *vos*.

(1) Sic in duobus. Quum tamen nullum circa partes illas locum inveniamus qui huic nomini rectius conveniat, alteri formae, sicut in privilegio praecedente eam interpretati fuimus, majorem adhibendam fidem censemus. Non diffitendum vero quin interpretatio nominis hujus, scilicet *de Nomsiamiis*, difficilis adhuc remaneat.

Fridericus, Romanorum imperator, ad instantiam archiepiscopi Treverensis, abbatem et ecclesiam de Vuadegozingen cum omnibus bonis praesentibus et futuris sub sua et imperii protectione recipit. Hagenowe, decembri.

(Ediderunt REUSS, *Teutsche staatskanzlei*, t. XXXIV, p. 136. — LUDOLPH, *Symphor. consultat.*, t. I, p. 1441. — J. MART. KREMER, *Geneal. Gesch. des alten Ardennischen Geschlechts*, n° VII, ex chartul. Sarepont., fol. 51. Francfort et Leipsig, 1785.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus imperii tam presentibus quam futuris quod nos, ad supplicationem dilecti principis nostri venerabilis Treverensis archiepiscopi, abbatem et ecclesiam de Vnadegozingen (*a*) cum omnibus bonis suis que in presenti juste tenent et possident et in antea justo titulo poterunt adipisci, sub nostra et imperii protectione recipimus speciali (1); presentis scripti auctoritate mandantes et firmiter inhibentes quatenus nullus sit qui dictum abbatem et ecclesiam in persona vel bonis contra hujus protectionis nostre tenorem ausu temerario offendere vel inquietare presumat. Quod qui presumpserit indignationem culminis nostri se noverit incursurum. Ad hujus autem rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Datum apud Hagen., anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mensis decembris, none indictionis.

(*a*) Scilicet *Wadgassen*, sicut interpretatur Boehmerus, *Regest. imper.*, p. 165, n° 825.

(1) Hoc protectorium confirmavit Carolus quintus, Wormatiae, die prima mensis maii, anno MDXXI; quod etiam ap. LUDOLPHUM, *loco supr. citato*.

Hagenowe, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, duas partes judicii, advocatiae et collectarum in valle Sancti Gregorii a monasterio Sancti Gregorii se accepisse testatur; quod monasterium vicissim sub sua speciali protectione recipit.

(Edider. Lunig, *Reichsarchiv*, t. XIX, p. 1101. — Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, tom. I, p. 372, ex autogr. abbat. S. Gregor.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis fidelibus nostris imperii tam presentibus quam futuris quod, cum de jure haberemus in valle Sancti Gregorii unam partem judicii, advocatie et collectarum et monasterium ejusdem Sancti Gregorii de predictis haberet reliquas duas partes, F. (a) venerabilis abbas et conventus monasterii ipsius, fideles nostri, ut pleniorem gratie et protectionis nostre [fructum] sibi circa ejusdem monasterii commoda et profectus acquirerent, grata et spontanea voluntate sua prefatas duas partes ad monasterium ipsum spectantes, ut dictum est, nobis et imperio donaverunt, salvis villicationibus aliisque juribus que constat dictum monasterium hactenus habuisse, et salva etiam medietate duarum partium collecte ipsi monasterio debite quam reservavit sibi monasterium supradictum, reliquam medietatem nobis et imperio conferendo juxta tenorem cujusdam scripti sigillorum ipsius abbatis et conventus munimine roborati. Propter quod monasterium prenominatum cum ipsis abbate et conventu et omnibus bonis suis que nunc juste tenent et possident et in antea justo titulo poterunt adipisci, sub nostra et imperii protectione recepimus speciali. Presentis igitur scripti authoritate mandamus quatenus nullus sit qui dictum monasterium, abbatem et conventum in personis aut bonis prefatis contra hujus protectionis nostre tenorem ausu temerario impedire vel inquietare pre-

(a) Scilicet *Fridericus*.

sumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad hujus itaque protectionis cautelam et rei geste memoriam, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Datum Hagenowe, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo quinto, mense decembris, none indictionis.

ANNO 1236. — INDICTIONE 9.

Fridericus, Romanorum imperator, B. episcopo Vivariensi et successoribus ejus confirmat omnia privilegia a praedecessoribus suis et a seipso ecclesiae Vivariensi indulta. Apud Hagenowe, januario.

(Edit. ap. De Vic et Vaissete, *Hist. gén. de Languedoc*, t. VI, preuves p. 406, édit. Du Mège, ex Bibl. reg. Paris., fonds Baluze, portefeuille de Viviers.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Decet imperialis excellentie dignitatem justis subditorum petitionibus inclinari, et eorum maxime quos experientia fidei, devotionis integritas et obsequia dignos faciunt et commendabiles representant : ut qui augustali solio divino munere presidemus, et obtenta beneficia servemus in posteris et ea liberaliter confirmationis nostre munimine roboremus. Eapropter universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris volumus fore notum quod cum dilectus noster B. venerabilis Vivariensis episcopus nostro culmini supplicasset attente ut quia ecclesia sua habet indulta sibi dudum a divis augustis predecessoribus nostris inclite recordationis et nobis, quorum tenores non possent in uno privilegio comprehendi, predicta privilegia cum his que continentur in his confirmare sibi de nostra gratia dignaremur. Nos pensatis meritis fidei et devotionis ejusdem quem in honore ac servitiis nostris et imperii semper efficacem invenimus, supplicationibus suis favorabiliter inclinati, prefata privilegia

dicte ecclesie Vivariensi a divis augustis quondam predecessoribus nostris et nobis dudum concessa cum omnibus que continentur in ipsis, secundum quod ea omnia temporibus ipsorum predecessorum nostrorum et usque ad hec felicia tempora nostra eadem ecclesia juste tenuit et possedit, sibi de gratia nostra duximus confirmanda; statuentes et imperiali sancientes edicto quatenus nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, ecclesiam Vivariensem, episcopum vel ejus successores contra hujus confirmationis nostre tenorem, aliquo tempore adveniente, ausu temerario super his omnibus impetere vel inquietare presumat. Quod qui forte presumpserit, preter indignationem nostri culminis quam incurret, L librarum auri puri pena plectetur, medietate ipsi camere nostre et reliqua medietate parti passe injuriam persolvenda. Ut autem hec nostra confirmatio robur obtineat perpetue firmitatis, presens privilegium fieri et bulla aurea typario (a) nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Treverensis archiepiscopus, dux Bavarie comes palatinus Reni, dux Lotharingie, dux Brabantie, dux de Limburg, marchio de Baden, burgravius de Nuremborc, R. comes Tolosanus, A. de Pictavia comes Valentinensis, G. de Borgavius, A. Aioara, V. de Bavasta (b), V. de Navis, et alii quamplures.

Signum domini Friderici, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis magnifici.

Acta sunt [hec] anno dominice incarnationis MCCXXXV, mense januarii, IX indictionis, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus XVI, regni Jerusalem X, regni vero Sicilie XXXVII (c), feliciter. Amen.

Datum apud Hagenau, anno, mense et indictione prescriptis.

(a) In impressis *tympano*, male.

(b) Cf. nomina quae in praecedente privilegio, p. 801, diverse simul et rectius exprimuntur.

(c) Istae notae cum praelaudato privilegio non concordant. Recte tamen, si tempora computaveris, ita essent : *anno imper. XVI, regn. Jerus. XI, Sicil. XXXVIII.*

Fridericus, Romanorum imperator, priorem et conventum ecclesiae Sanctorum Petri et Pauli apud Rūgisberg in districtu Bernensi, sub imperiali protectione recipit. Apud Hagenowe, januario.

(Edit. ap. *Solothurn. Wochenblatt*, ann. 1827, p. 377, n° 39; coll. cum *Monuments de la Franche-Comté*, collect. Droz, in Bibl. imper. Paris., t. XLIII, fol. 79 verso, 80 recto, ex arch. Bernensi, lib. sign. D, 3.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod venerabilis prior et conventus ecclesie Sanctorum Petri et Pauli in Rugkesperc, fideles nostri, celsitudini nostre humiliter supplicarunt ut ipsos, ecclesiam ipsam et cetera bona eorum sub nostra et imperii protectione recipere dignaremur. Nos igitur suis supplicationibus benignius inclinati, predictos priorem et conventum, ecclesiam et omnia bona sua que in presenti juste tenent et possident et in antea poterunt adipisci, sub nostra et imperii protectione recepimus speciali; universitati vestre precipiendo mandantes quatinus nullus sit qui eosdem priorem et conventum, ecclesiam et alia bona sua contra presentis protectionis nostre tenorem temere impediat vel molestet. Ad cujus protectionis nostre memoriam et cautelam, presens scriptum sibi fieri et sigillo majestatis nostre jussimus insigniri.

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis MCCXXXV, mense januarii, none indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Johannis de Mecklemburg, omnia bona et jura quae tam in aquis quam in terris hactenus hic legitime tenuit, eidem confirmat. Apud Hagenowe februario.

(Edit. ap. Rudloff, *Cod. diplom. histor. Megapolitanae med. aevi*, fascic. I, p. 26 (Schwerin 1789, 4°) ex confirmatione Ludovici imperatoris de anno 1314 in archivo ducali Schwerinensi. Hujus privilegii copiam solita sua humanitate nobis fecit Boehmerus.)

Fridericus, Dei gracia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sycilie rex, universis presentes litteras inspecturis, fidelibus suis, graciam suam et omne bonum. Supplicavit celsitudini nostre Johannes de Mechkelinburg, fidelis noster, quatenus bona et jura sua, que tam in aquis quam in terris justo titulo hucusque possedit, sibi confirmare pro parte nostra et imperii de nostra gracia dignaremur. Nos igitur suis precibus annuentes, bona et jura sua, sicut ea omnia tam in aquis quam in terris juste et rationabiliter hactenus dinoscitur possedisse, auctoritate nostra et imperii sibi duximus confirmanda.

Datum apud Hagenow, anno dominice incarnationis M°CC°XXXV°, mense februario, IX indictione.

Viterbii, 21 februarii.

Gregorius papa Friderico, Romanorum imperatori, scribit de concordia quam iniit inter ipsum et cives Acconenses aliosque regni Jerosolymitani, quantum ad jura ipsius regni; quam observandam mandat (1).

(Inedit. et extract. ex *indice epistolar. Gregorii IX*, ann. IX, n° 390, ap. collect. Laporte du Theil, in Biblioth. imper. Parisiensi.)

Datum Viterbii, VIIII kalendas martii, anno nono.

---

(1) Adsunt quoque in *indice* litterarum Gregorii argumenta duarum aliarum epistolarum de eodem negotio : unius praeceptori et fratribus hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum in Accon; incipit : *Juxta formam*. Dat. Viterbii, XI kal. martii (19 febr.), n° 391; — alterius archiepiscopo Nazareno et episcopo Acconensi, qua significat papa discordiam quae erat inter Fridericum imperatorem et cives Acconenses aliosque homines regni Jerusalem amicabili a se fuisse compositione sopitam. Incipit : *Cum divina*. Dat. Viterbii, VII kal. martii (23 febr.), n° 389.

Henricus, Angliae rex, Friderico, Romanorum imperatori, gratias agit quod ei placuerit casum inauditum qui in partibus Alemanniae accidit, sibi communicare; magistrum Gualterum [de Ocra] imperatoris clericum, quem adhuc penes se retinuit, sub proximo remissurus. Apud Windsoram, 24 februarii.

(Edit. ap. Rymer, *Foedera, conventiones*, etc., t. I, p. 224.)

Domino suo ac magnifico F., Dei gratia Romanorum imperatori semper augusto, etc., fratri dilectissimo, Henricus eadem gratia rex Anglie, etc., salutem et semper felices de hostibus triumphos. Venientem ad nos Henricum de Aeys (Aquis?) imperialis aule marescallum, nuncium vestrum, lete sicut decuit et honorifice recepimus; magnificentie vestre copiosas exsolventes gratiarum actiones quod placuit vobis casum a nobis prius inauditum qui nuper accidit in partibus vestris, nobis communicare (1).

---

(1) Non dubitandum censemus quin hic agatur de inaudito quodam crimine tunc in Judaeos intentato. De quo ita *Chronicon Erphordiense* : « Hoc anno V kalendas januarii (28 decemb. 1235) in Fulda Judaei utriusque sexus triginta quatuor a crucesignatis christianis sunt perempti, quoniam duo ex iisdem Judaeis in sancto die Christi cujusdam molendinarii ..... quinque pueros miserabiliter interemerant ac ipsorum sanguinem in saccis cera linitis susceperant, igneque domui supposito recedentes. Cujus rei veritate comperta et ab ipsis reis Judaeis confessa, puniti sunt ut supra dictum est. » Ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 397. Rem quoque fusius narrant *Annales Argentinenses*, ad ann. 1236, *Ibidem*, t. III, p. 409 : « Eodem tempore apud Fuldense monasterium Judei quosdam pueros christianos in quodam molendino ut ex eis sanguinem ad suum remedium elicerent, peremerunt. Unde cives ejusdem civitatis multos ex Judeis occiderunt. Sed cum puerorum corpora in castrum Hagenowe delata et ibidem venerabiliter tumulata fuissent, imperator tumultum qui tum contra Judeos ortus est, aliter sedare non valens, multos viros potentes, magnos et litteratos ex diversis partibus convocans, diligenter a sapientibus inquisivit utrum, sicut fama communis habet, Judei christianum sanguinem in Parasceve necessarium haberent; firmiter proponens si hoc ei de vero constaret, universos imperii sui Judeos fore perimendos. Verum quia nichil certi super hoc experiri poterat, severitas imperialis propositi, accepta tamen a Judeis magna pecunia, in brevi con-

Parati quidem cum affectione sincera in hiis que nostre sunt possibilitatis, vestro per omnia beneplacito volnntatis respondere, dnos de discretioribus neophytis qni reperiri potuerunt in regno nostro, ad vestre majestatis presentiam destinamus, preceptis vestris in omnibus pro posse suo parituros. Nec moveatur si placet imperialis celsitudo quod dilectum nobis magistrum Galterum (1) clericnm vestrum adhuc penes nos retinuimus, qnoniam per ipsum ad vos demum revertentem, super negotiis qne nobis exposnit ex parte vestra, plenius excellentie vestre respondere curabimus.

Teste rege apud Windsoram, XXIV die febrnarii, anno [regni ejus] vicesimo.

Viterbii, 28 februarii.

Gregorius papa Friderico Romanorum imperatori conqueritur quod in regno Siciliae ecclesiae a ministris imperialibus privilegiis spoliatae sint et pastoribus viduae remaneant; praeterea se excusans super renovatione societatis Lombardiae et poena in Veronenses pacis violatores imposita, monet ut excessus corrigi faciat, quum eos ulterius dissimulare non possit.

(Edidit Raynald., *Annal. ecclesiast.*, tom. XXI, ad ann. 1236, § XV et XVI, sed non integram exhibuit epistolam. Complementum addimus ex Höfler, *Kais. Friedr. II*, append., n° 23, c regest. Gregor., lib. IX, n° 398, et praecipue ex collect. Laporte du Theil in Bibl. imper. Paris.)

Gregorius, etc., Friderico, etc. Dum preteritorum consideratione futnra colligimus, dum ventura in statera procedentinm ponderamus, spem

---

quievit. » Cf. Richer. Senon., *Ibidem*, t. III, p. 58. Neophytos autem de quibus paulo post in epistola Henrici regis Angliae mentio fit, fuisse credimus Judaeos noviter conversos, de quorum ore veritatem requirendam imperator in animo habebat.

(1) Scilicet Gualterum de Ocra, pro quo paulo post in Angliam redeunte, rex salvum ei conductum faciendum ballivis suis jussit, « teste rege apud Wintoniam, decimo nono die maii. » Cf. Rymer, *Ibid.*, p. 227.

firmam quod ad exaltationem Ecclesie ac catholice fidei perpetuis paratus temporibus studeas inveniri, in utero mentis pure concipimus, et fidem eorum mendaciis adhibere qui inter Ecclesiam et imperium unitatem a mediatore Dei et hominum ordinatam vulnerare cupiunt, prohibemur. Nam cum olim presentibus venerabili fratri Sabinensi episcopo et dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, qui ob id ad excellentiam tuam, te petente nobisque mandantibus accesserunt, nonnullos subversores fidei digna feceris animadversione puniri; cum, imperii viribus et regni collectis, Ecclesie defensionem super quo sepissime serenitas tua digne precônio laudis attollitur, in propria persona susceperis, et ut ejus hostes reprimeres te multis sumptibus et laboribus fatigaris; cum pluries per nuntios et litteras tuas te de consilio nostro in negotiis fidei et libertatis ecclesiastice ac recuperatione jurium Ecclesie et imperii promiseris processurum, cogitatio recta non recipit et jus rationis credere non permittit ut in virum conversus alium a matre tua avellere cupias libertatis ecclesiastice fulcimentum. Sed et argumento si placet uti poteris simili ne per sinistre suspicionis absinthium, tuum de nobis amaricari permittas auditum, qui tibi contra eos qui imperialem potentiam quibusdam versutis dolositatibus non leviter ledere videbantur, patenter adstitimus, qui honorem tuum tam in minori quam in apostolatus officio constituti, bona fide, etiam te nesciente, promovimus, quod et facere nunc sicut et hactenus, licet inde multi submurmurent, non cessamus. Nec enim posset ad credulitatem nisi minus sane mentis accedere ut pia mater Ecclesia que te ex tue utero genitricis ab iis qui vite et terre tue moliebantur insidias, potenter eripuit et usque ad hec tempora ad conservationem honoris tui multis sudoribus laboravit, prepotentis dextere brachium presidio sponse Christi celitus deputatum temeritate cujuslibet suspicionis amittere et tanti velit laboris meritum vacuare. Verum super eo quod te scripsisti exinde non absque ratione mirari quod circa factum prelatorum regni prius ex solo fuerimus rumore turbati quam ad tuam notitiam, sicut ex condicto sperabas, fecerimus insinuata perduci, vehementius admiramur, quia si an dictum a facto vel factum a dicto existentiam sumat, inspicias, quanta sit rei que

firmum prebet testimonium veritati ad opinionem distantia, non ignoras. Nam ecce in regno predicto per ministros imperiales nudate privilegio libertatis ecclesie bonis sacris deputatis usibus spoliate flent, quia ipsarum pastores etiam et ministri patres et filii exulare coguntur, carceri mancipantur, et foro ecclesiastico derelicto, in examine vetito actiones suscipere, tallias solvere et bona compelluntur ecclesiastica ut se a vexationibus redimant, exhaurire; et si quando eas contingat pastoris solatio viduari, non permittuntur sibi sponsum eligere et viduitatis vestimenta deponere, donec adulterinis alicujus amplexibus qui non canonice, sed per impressionem electus aut alias intrusus fuerit, extiterint copulate. Ecce ibi catholica fides perit, ex eo heresis inibi precipue vires sumit quod in ecclesias et personas ecclesiasticas officialium oppressione seviente, eedem predicationis ex qua maxime confutantur heretici et catholici roborantur, exercere non possunt officium, quia necessario cetera pars edificii corruit cujus concutitur fundamentum. Ecce de ruina Hierusalem Babylonis menia, de acervo lapidum Sion Agarenorum gymnasia construuntur, et edificia in quibus divinum nomen excolitur, illuc migrare coguntur ubi Mahomet perditus adoratur. Super quo eo crudelioris nos doloris gladius percutit quo fortius incircumcisi quasi in regni medio positi levius fidem catholicam sue possunt infidelitatis veneno corrumpere, quo majora exinde contingunt pericula quod christiani commiscentur eisdem; paganorum contubernia ab ovili dominico greges fidelium abigunt, et Hebrei ab Egyptiis sic oppressi eorum quasi dominio subjugantur. Ecce in dicto regno contra pacis inter te et Ecclesiam reformate federa, quidam nobiles privati castris et aliis bonis suis, uxoribus et liberis captivatis, loca sua proscripti relinquere, domicilia in aliorum transferre coloniam et ad extremam coguntur inopiam devenire. Et dum similis premit afflictio pauperes, id tanto magis Deo displicere putamus quanto fortius ipsos credimus innocentes. Quid plura! in omnibus his Ecclesia tanto majori rubore perfunditur quanto probabilius premissis discordia causam dare preterita creditur, dum illi qui adheserunt Ecclesie plus ceteris contra justitiam opprimuntur. Utinam hec veritatis essent destituta subsidio et mendax inveniretur quilibet hec

dicendo, ut et audita non credere ac fidem cogeremur a creditis removere! Sed si verius loquimur, jam pro majori parte ista non credimus, de quibus opinione cessante certam scientiam obtinemus. Ceterum ex eo sibi tua serenitas titulum laudis acquirit quod, sicut asseris, mentientibus ut quicquam contra te in renovatione societatis Lombardie (1) in Tuscia vel Verone fuerit per Ecclesiam procuratum, credere dedigneris. Nam si Lombardi vel alii tue metu potentie sibi a futuris student casibus precavere et juxta sapientiam hujus mundi aliqnid de Ecclesia pro sua parte disseminant, per quod sibi favorem acquirere moliantur; si Veronensibus ad bonum pacis per venerabiles fratres nostros Reginum et Trevisanum episcopos auctoritate nostra reductis, et nobili viro Johanne Fortibrachio sicut mandaveras ipsorum regimen recipere recusante, nobilem virum comitem Raynerum de Marzan (2) fidelem nostrum, ad nuntiorum utriusque partis instantiam, injuncto ei quod via procedens regia (*a*) nequaquam ad sinistram vel dextram declinaret, in potestatem duximus providendum, non est quod nobis valeat imputari. Verumtamen sustinere non possumus quin contra eos qui excommunicationum sententiis, juramentis et penis interpositis vilipensis, potestatem qui pure se habuit et de sinceritate fidei ab utraque parte publice commendatur, capere, et pacem non sunt veriti violare, sicut justitia exegit, procedamus. Ceterum si mentiatur iniquitas quod in ultramontanis et Italie partibus Ecclesie studium tuos procuret impedire processus, imperialis utilitatis res expetit ut cum opera contrarium protestentur, ora mentientium obstruas, et auditum eorum qui schismatum zizania seminant ut exinde iniquitatis lucra conquirant, oblocutionibus interdicas. Ad hec quia multiplicatus in aures Apostolice Sedis clamor de regno predicto veniens et usque in celum, sicut credimus, jam ascen-

(*a*) Sic in duobus. Verisimiliter per oscitantiam pro *recta*.

(1) Vide supra p. 796, §§ I et II.

(2) Verci, *Stor. degli Ecelini*, t. II, p. 100, hunc vocat *Raynerus Bulgarellus de Perusia*. Qui autem, licet rector pacificus, haud multo post ab Ecelino expulsus est. Cf. Verci, *Ibidem*, t. II, p. 109 et seqq.

dens nos de preteriti silentii culpa redarguit et ad tuam excellentiam clamare compellit, ut nostro forsan excitata clamore lacrymas misericordie manu a maxillis abstergere, doloribus populi regni predicti medelam apponere ac plagas ipsius studeat sicut convenit alligare; celsitudinem tuam rogandam duximus attente et monendam quatenus diligenter attendens quantum fame imperiali expediat et ad tui nominis honorem accedat, sic, juxta quod nobis per tuas litteras pluries promisisti, premissa corrigi et ne in posterum similia presumantur facias interdici, quod ecclesie ac homines regni predicti, medela post vulnus habita, post fletum consolatione suscepta, se ab hujusmodi miseriis gaudeant respirare. Si enim volueris rationis diligenter examinare judicium apud tribunal tue mentis, aperte invenies diffinitum quod nos qui tibi hactenus plus justo forsitan deferentes ecclesiis et personis ecclesiasticis justitiam exhibere distulimus, id sine divine majestatis offensa, lesione fame et conscientie nostre dissimulare ulterius non valemus.

Datum Viterbii, II kalendas martii, pontificatus nostri anno IX.

Apud Argentinam, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, controversiam inter se et Bertholdum Argentinensem episcopum diu agitatam per compositionem terminat, qua ipse ab episcopo in feudum recipit civitatem Mulhausen cum aliis possessionibus, castris et advocatiis ibidem expressis, et vicissim eidem episcopo renuntiat in castris et possessionibus, scilicet Altentann, Egensheim, Bernstein, Girbaden, aliisque.

(Edid. Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 374, ex apographo tabularii episcop. Tabernis.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus, Jherusalem

et Sicilie rex. Ad commune bonum pacis et pro sopienda. . . . . majestas simul et devotio juste conveniunt et non minus concordiam quam justitiam amplectuntur, ut digna sit regnantis majestas et principis devotionis provisio laudabilius per compositionem in his que jure feudali debentur . . . . . . serenis affectibus quam eminentia jurium convenire. Hinc est igitur quod cum diu controversia fuerit inter nos ex parte una et dilectum principem nostrum Bertholdum venerabilem Argentinensem episcopum pro parte sua et ecclesie sue ex altera de feudo quod nos pro parte progenitorum nostrorum in bonis ejusdem ecclesie contingebat, et multa fuisset pro tempore hinc inde turbatio, ut felici tempore nostro et diebus ejusdem episcopi pacaretur, dignati sumus inflectere animum, [nosque] et idem episcopus eadem consideratione ductus ad subscriptam compositionem de communi et gratuita voluntate debita solennitate convenimus, prout legitur in sequenti. Primo itaque idem episcopus pro parte sua et ecclesie sue una cum communi assensu fratrum suorum totius capituli, concessit nobis et masculinis heredibus nostris in perpetuum in rectum feudum civitatem Mulhausen cum jure patronatus ejusdem ecclesie, decimis, censibus, cum advocatia, judicio, nemoribus, agris, piscationibus, pratis, pascuis, terris cultis et incultis et cum omni utilitate apparente vel latente nunc existente vel futura, cum omnibus possessionibus, juribus et pertinentiis suis pleno jure nobis de cetero possidendam. Item concessit nobis in rectum feudum castrum et villam Newenburg cum advocatiis cenobiorum in Selden et in Vilmarscellen et cum jure patronatus ecclesiarum, villarum scilicet Anmutingen, Teningen et Newenburg, et quicquid juris habet in eisdem villis necnon cum omni jure, possessionibus et pertinentiis suis, ita plane et integre quemadmodum ipse et ecclesia sua ea usque modo tenuerint, exceptis ministerialibus utriusque sexus militaris conditionis. Item concessit nobis in Molsheim et Muzeche advocatias que debent teneri per nos et heredes nostros, ita videlicet quod quicquid vel qualitercumque ex ejus vel earum pertinentiis exactum fuerit vel acquisitum per nos vel per officiales nostros, inter nos et eumdem episcopum vel alium qui pro tempore fuerit equaliter dividetur. Reservavit insuper in eisdem villis sibi et successoribus suis jus patronatus, decimas, aliaque jura que sui prede-

cessores episcopi hactenus perceperunt ibidem; officia vero villicationis ipsarum villarum persone cui volet locabit. Item sub eadem compositione facta est subscripta permutatio inter nos pro parte nostra et heredum nostrorum et eumdem episcopum pro parte sua et ecclesie sue: videlicet quod pro villa de Trenheim cum omnibus juribus et rationibus suis permutavimus vallem de Britztal cum omni jure suo. Item pro villa de Wasselnheim cum omnibus rationibus suis quam recepimus in permutationem ab eodem episcopo propter jus patronatus ecclesie et feuda vasallorum, permutavimus contra advocatiam de Bischovesheim cum honoribus ei pertinentibus ubicumque resideant. Item idem episcopus concessit nobis et heredibus nostris in rectum feudum omnes homines de Westhoven ad ecclesiam suam spectantes, similiter omnes homines in Rodesheim sibi et sue ecclesie pertinentes; etiam nos concessimus ei et ecclesie sue omnes homines apud Zaberniam commorantes. Item idem episcopus concessit nobis et heredibus nostris in feudum quidquid juris habuit in Offenburg, reservatis capitulo jure patronatus ecclesie et censibus que ad eorum prebendas ex antiquo pertinuerunt ibidem, et de predicto feudo investivit nos corporaliter ut est moris, et nos pro eadem compositione solvimus ei mille marcas argenti quas ipse a nobis integre recepisse fatebatur. Item proventus villarum comitie equaliter dividentur. Item pro nobis et heredibus nostris renuntiavimus eidem episcopo et ecclesie sue si quod jus habebamus in castris et possessionibus infra scriptis, videlicet Tanne veteri, Eigensheim, que fuit comitis Alberti de Tagesburg; item castrum Bernstein, Girbaden, Tagesburg, Rheinaw cum omnibus juribus et pertinentiis eorum, ita videlicet quod nulla etiam ratione donationis seu venditionis vel alia aliqua de causa eumdem episcopum aut aliquem successorem suum per nos vel per aliquem alium impediemus vel faciemus aliquatenus impediri. Item pro eo quod idem episcopus recognovit jus nostrum in subscriptis rebus, concessimus ei et ecclesie sue novum castrum Tanne et curtem sitam in Tambach et antiquum pedagium apud Tanne, in statu in quo fuit tempore domini augusti patris nostris imperatoris Henrici memorie recolende. Statutum est insuper generaliter in compositione predicta ut homines nostri et heredum nostrorum, ministeriales nostri et homines eorum non reci-

piantur amodo in civitate et burgis ejusdem episcopi et ecclesie sue pro civibus. Similiter homines ejusdem episcopi et ecclesie sue, ministeriales sui et homines eorum non recipiantur in burgis nostris et heredum nostrorum pro civibus e converso. Si vero aliqui sunt in burgis nostris residentes quos residentiam continuam et mansionem certam more civium in burgis ipsis tenuisse constiterit, nobis relinquentur ibidem, ita tamen quod de bonis extra jacentibus domino ville in qua sita sunt ratione banni cum convillanis suis in generalibus collectis servire teneantur, et idem hominibus ejusdem episcopi et ecclesie sue observabitur. Item ministeriales seu homines ejusdem episcopi et ecclesie sue non convenientur vel impetentur a consortibus suis coram scultetis et advocatis nostris, nisi res litigiose sint in districtibus eorumdem, nec ministeriales aut homines nostri convenientur coram episcopo, scultetis vel advocatis suis a consortibus eorum, nisi res litigiose sint in districtu suo corporali et ecclesie sue. Omnibus illis nichilominus qui pfalburgarii nuncupantur aut aliis quibuscumque superius nominatis, si dimissis locis ubi residebant ad nos vel dominos suos ministeriales nostros redire voluerint, absque damno vel pena qualitercunque eis propter hoc constituta, cum universis rebus suis liberam redeundi habeant facultatem; et idem hominibus ejusdem episcopi conditionis et ecclesie sue conservabitur, sicut in generali curia Maguntie extitit constitutum. Statutum est insuper et propositum quod apud Schletstatt de cetero moneta non cudatur, nec alias in episcopatu suo, nisi ubi de jure cudi debet. Item de foro Ettenheim et de Malberc diebus quibus jam servatur amodo conservetur (1). Ut autem presens infeudatio, compositio et permutatio inviolabiliter observentur et robur accipiant inconcussum, ad perpetuam ejusdem rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo nostre majestatis jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : dilecti principes nostri Sifridus venerabilis Moguntinensis archiepiscopus, Conradus abbas Sancti Galli, Hermannus marchio de Baden, Conradus burgravius de Noremberg, Gotfridus de Hochenloch, Henricus et Albertus fratres de Nifen, Henricus et Gotfridus

(1) Cf. supra compositiones jam initas annis 1223 et 1226, t. II, p. 756 et 900.

juniores de Nifen (1), Anshelmus de Justingen (2), Ludovicus de Osthenberg (3), Burcardus de Geroltzeckh, Conradus pincerna de Winterstetten, Henricus de Pappenheim imperialis aule marscalcus, Egenolfus marscalcus et subscripti ministeriales Argentinensis ecclesie, Guntherus de Landtsperg, Cono de Bercheim, Eberhardus de Landtsperg, Albertus Beger, et alii plures qui interfuerunt.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo sexto, mense martii, nona indictione, imperante predicto domino nostro Friderico II Dei gratia excellentissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jherusalem et Sicilie rege, Romani imperii ejus anno XVII, Jherusalem XI, regni vero [Sicilie] ejus anno XXXVII, feliciter. Amen.

Datum apud Argentinam, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Columbariam, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, civibus Argentinensibus pro devotis eorum servitiis eos in sua speciali defensione recipit, eorum proprietates ab omni precaria eximit, jus quo extra civitatem in judiciis trahi non debeant confirmat, eisque alia privilegia impertitur.

(Edit. ap. Wencker, *Coll. von Ausbürgern*, p. 7. — Laguille, *Hist. d'Alsace*, preuves, p. 40. — Lunig, *Reichsarchiv*, t. XVI, p. 726; ubi inseritur in bulla Innocentii IV, dat. Lugduni, XI kal. augusti, anno V, quae etiam extat ap.

---

(1) Quum omnes Nifarios nunc in curia praesentes reperiamus, Heinricum seniorem imperatori reconciliatum fuisse conjicimus. Cf. supra p. 733, not. 2.

(2) Fuerit ne ille Anselmus senior an junior, nescimus. Minime tamen dubitandum quin Anselmus pater mense novembri ejusdem anni ad ducem Austriae imperatoris inimicum accesserit. Cf. supra, *Ibidem*, not. 1.

(3) Forsan *Lichtenberg*, illustris Alsatiae magnatum familia, cujus caput Ludovicum tunc fuisse ex aliis documentis novimus. In sequenti privilegio testis adest *Ludewicus de Liehtenberc*.

Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 400. Hujus privilegii originale integerrimum asservatur in archivo civitatis Argentinae. Sigillum cerae rubrae pendet filis sericis viridis et amaranthini coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Augustalis pietatis immensa clementia eorum commodis et honoribus hylariori vultu consuevit intendere quos in suis obsequiis pia et prompta voluntate desudare cognovit experientia certiori. Inde est quod nos advertentes quam sincero affectu civitas Argentinensis servitiis nostris se exposuit et qualiter per evidentissima obsequiorum suorum merita imperialis majestatis sibi specialem induxit gratiam et favorem, ad communem utilitatem civitatis Argentinensis pariterque honorem in evum promovendum, gratiosum favorem nostrum duximus concedendum ut exemplo retributionis ejus quam pro servitiis suis memorate civitati concessimus, alie quoque civitates imperii proniori voluntate ad nostra servitia ferventius animentur. Notum sit igitur omnibus tam presentibus quam futuris quod nos sepedictam civitatem Argentinensem cum omnibus ejus incolis sub speciali defensionis nostre gratia recipientes, de liberalitate nostri culminis ipsi civitati indulgemus et in evum confirmamus ut ubicumque ipsius civitatis burgenses per totam provinciam Alsatie proprietates aliquas sive quascumque possessiones habuerint, nulli licitum sit de hiis proprietatibus sive possessionibus vel et hominibus eorum servitium aliquod accipere aut exigere vel etiam cujusquam precarie sive exactionis onus eis imponere, quoniam nos dictam civitatem cum omnibus ejus pertinentiis tam intus quam extra ad speciale obsequium imperii decrevimus reservare. Preterea constituimus, tradidimus et auctoritate imperiali consensuque principum nostrorum confirmavimus institutum et jus quoddam quod cives iidem habuerunt a divis augustis progenitoribus nostris Lothario et Philippo Romanorum regibus memorie recolende : ut nunquam in loco aliquo per personam aliquam ecclesiasticam vel secularem eorum aliquis impediatur aut molestetur vel in judiciis trahatur extra civitatem vel prorsus cogatur ab aliquo pro sua proprietate seu possessione ibi cuiquam respondere. Sed si aliquis adversus aliquem eo-

rum aliquid questionis habuerit, infra civitatem coram ipsius civitatis judicibus eum impetat ibique ei respondeat et satisfaciat. Presertim eadem auctoritate imperiali concedimus et indulgemus quod mercatores ipsorum per aquarum decursus cum suis mercimoniis euntes, quocumque locorum navigia perveniant, si quo casu contingente rupta fuerint vel ad terram pervenerint, ne periculum naufragii cum rerum suarum dimersione perpessi, aliquod in bonis suis idcirco dispendium sustineant vel jacturam, sed tam navigia quam navigantium bona illis reserventur ad quos spectabant antequam navigium hujusmodi periculum incurrisset; sublata penitus omni consuetudine locorum. Volumus itaque fideles nostros cives Argentinenses consistere in omni jure et bonore atque constitutione, sicut a divis progenitoribus nostris avo, patre atque patruo nostro, inclitis Romanorum imperatoribus et regibus, eorum fuerunt temporibus sublimati. Statuentes et imperiali edicto districte precipientes quatinus nulli unquam hominum sublimi vel humili, ecclesiastico vel seculari, hanc nostre donationis seu confirmationis paginam licitum sit infringere vel ei ausu temerario contraire. Quod qui presumpserit triginta libras auri componat, quarum medietas camere nostre, reliqua vero passis injuriam persolvatur. Ut autem presens concessio et confirmatio robur obtineat perpetuo valiturum, presentem paginam conscribi et sigillo nostre celsitudinis fecimus roborari.

Testes hujus rei sunt : venerabilis Sifridus archiepiscopus Maguntinus, Bertholdus Argentinensis episcopus, Hugo Morbacensis abbas, dilecti principes nostri; Hermannus marchio de Baden, Conradus burgravius de Nuremberc, Fridericus de Zolre, Heinricus de Werde, Albertus de Habesburc, Luitharius de Hohenstaeden, comites; Burchardus de Geroltescke, Burchardus et Simon filii ejusdem, Ludewicus de Lichtenberc, Anselmus de Rapoltstein, Gerardus de Wassenberc, Conradus de Winterstet pincerna, et alii quamplures.

Signum domini nostri Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXXVI, mense martii, none indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia Romano-

rum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, Romani imperii ejus anno XVII, Jerusalem XI, regni vero Sicilie XXXVII, feliciter. Amen.

Datum apud Columbariam, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, civium Argentinensium mercimonia per imperium devehenda in suam et imperii specialem tutelam suscipit. Apud Hagenowe, 7 martii.

(Edid. Schoepflin, *Alsat. diplomat.*, tom. I, p. 374.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis presentes litteras inspecturis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Supplicarunt celsitudini nostre cives Argentinenses fideles nostri ut ipsos in imperio nostro cum ipsorum mercimoniis procedentes sub nostre et imperii defensionis gratiam recipere dignaremur. Nos igitur ipsorum supplicationibus inclinati, predictos cives cum ipsorum mercimoniis per imperium procedentes tam in aquis quam in terris cum personis et rebus suis sub nostra et imperii securitate recepimus speciali; universitati vestre mandantes et per obtentum gratie nostre firmiter precipientes quatenus nullus sit qui predictos cives contra presentis securitatis nostre paginam per imperium nostrum cum suis mercimoniis procedentes in rebus presumat ledere vel personis. Quod qui presumpserit, majestatis nostre offensam se noverit incursurum.

Datum apud Hagenowe, septimo martii, none indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Petri Raceburgensis episcopi qui investituram temporalium bonorum Apud Hagenowe, martio.

hujus ecclesiae a se suscepit, eum, successores ejus, capitulum possessionesque et jura ecclesiae sub protectione sua et imperii recipit, eidem ecclesiae bona omnia quorum quaedam nominatim exprimuntur, confirmans.

(Edid. de Westphalen, *Monum. inedit. rer. German. praecipue Cimbricarum*, etc., t. II, p. 2070.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Ad promovendum et conservandum salubriter ecclesiarum statum, illius intuitu cujus nomini sunt dicate, de cujus clementia feliciter imperamus, necnon ut in bonis earum favore nostro servetur integritas, tanto favorabilius inducimur et tenemur quanto in conspectu summi regis gratiores efficimur, de cujus bonorum plenitudine recepimus universa. Hinc est itaque quod presentis scripti serie notum fieri volumus universis quod cum Petrus Raceburgensis (1) episcopus, dilectus fidelis noster, in conspectu nostro se presentaverit, regalem investituram temporalium bonorum ecclesie sue, sicut moris est, pro parte nostra et imperii de largitione celsitudinis nostre suscipiens, nostro culmini supplicavit quatenus personam suam, successores suos, capitulum, possessiones, decimas et omnia bona et jura ecclesie tam in aquis quam in terris que in presentiarum justo titulo possidet vel in antea poterit rationabiliter adipisci, sub nostram et imperii specialem protectionem recipere et de nostra dignaremur gratia confirmare. Nos itaque suis justis supplicationibus clementius annuentes, divine retributionis intuitu et pro nostre salutis augmento, eumdem episcopum, successores suos, capitulum, possessiones, decimas, omnia bona et jura ecclesie, sicut ea omnia tam in aquis quam in terris in presenti juste noscitur possidere vel in antea justo titulo poterit adipisci, sub nostra et imperii protectione recipimus speciali, et eadem de innata sibi nostre majestatis clementia con-

(1) *Ratzburg*, urbs quondam episcopalis, quinque leucis tum Lubeckio, tum Lawenburgo distans.

firmamus, quorum quedam propriis vocabulis duximus exprimenda : terram Butin cum suis terminis et cum advocatia ejusdem terre, curias episcopales in terra Raceburg, Verchow cum suis terminis, dimidiam villam Panthen et insulam Campe cum aquis sibi pertinentibus, in terra Wittenburg Dodowe, in terra Dartsowe Biscopestorff, in terra Brezen tres villas Gressowe, Mandrowe et Hohenkerken cum earum terminis, in terra Wanninge villas Manke et Brezegore cum earum terminis; in terra Boycenburg Benin, in Sadelbandia Putrowe, in Gamma tres mansos; ad usus quoque capituli in terra Raceburg Rodemoizle, Citene majus et minus cum suis terminis, Clotesvelde, Walegotesvelde et Suartensee, in terra Wittenburg Buzowe, in terra Zuerin Exen cum suis pertinentiis. Statuimus igitur et presentis scripti auctoritate mandamus quatenus nullus princeps ecclesiasticus et secularis, dux, marchio, comes, advocatus, ministerialis, schultzetus vel alius aliquis officialis, nullave persona sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra presentis protectionis et confirmationis paginam venire presumat; et qui presumserit in vindictam temeritatis sue penam quingentarum marcarum argenti se noverit incursurum, quarum media pars camere nostre et reliqua passis injuriam persolvatur. Ad hujus itaque protectionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus insigniri.

Hujus enim rei testes sunt venerabilis Sigfridus archiepiscopus Moguntinus, Conradus (*a*) Argentinensis, Conradus Spirensis episcopi, Conradus de Sancto Gallo, Ulricus de Murbach abbates, Hermannus marchio de Baden, Conradus burgravius de Nuremberg, comes Albertus de Habspurg, Conradus de Hohenloch comes Romaniole, Conradus de Winterstedt pincerna, Henricus de Pappenheim imperialis aule marscalcus, et alii quamplures.

Signum domini nostri Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

(*a*) Sic : recte tamen *Bertholdus.*

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense martii, none indictionis, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia [Romanorum imperatore] semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, Romani imperii ejus anno septimo decimo, Jerusalem undecimo, regni vero ejus Sicilie anno tricesimo septimo. Amen.

Datum apud Hagenowe, anno, mense, indictione prescriptis.

Apud Hagenowe, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, sententiam Alberti de Rossewag, imperialis curiae suae justiciarii, datam Hagenau 20 februarii 1236 et nunc insertam confirmat, qua in lite quae inter Conradum abbatem Sancti Galli et comitem Diethelmum de Toggenburg vertebatur, castri de Utznaberg pacifica possessio praedicto abbati adjudicatur.

(Memorat. et extract. ap. Wegelin, *Geschichte von Toggenburg*, t. I, p. 77.)

Datum apud Hagenowe, anno dominice incarnationis MCCXXXVI, mense martii, none indictionis.

Viterbii, 21 martii.

Gregorius papa Friderico Romanorum imperatori scribit conquerens quod magister domus Theutonicorum, frustra expectato adventu nuntiorum societatis Lombardiae, a se discesserit neque redire postmodum voluerit. Unde monet ut eumdem cum pleno mandato de compromittendo in manibus suis super negotio Lombardiae, ad se sine mora remittat.

(Initium epistolae hujus edidit Höfler, *Kais. Friedr. II*, append. n° 24; finem vero Raynaldus, *Annal. eccles.*, tom. XXI, ad ann. 1236, § 2, e regest. Gregor., lib. X, n° 1.)

Gregorius, servus servorum Dei, etc., Frederico, etc. Olim nobis imperialis excellentie litteris presentatis in quibus inter cetera que de tuo processu magnifico narrabantur, venit in medium quod de principum solemni consilio super negotio Lombardie te precise in manibus Ecclesie, juxta compromissi formam quam a te recepimus in Thuscia, poneres, ita tamen quod negotium ipsum ad honorem tuum et imperii commodum usque ad proximo preterite Nativitatis dominice terminum compleretur; alioquin ex tunc ne tibi et principibus solita illusio fieret per Lombardos, velles cum exercitu partes ingredi Lombardie; quia in eisdem litteris talis extitit adjecta conditio per quam compromissum penitus tollebatur et tantum non videbatur posse negotium terminari, videlicet « ita tamen quod ipsum negotium ad honorem tuum et imperii commodum infra dictum festum Nativitatis dominice compleretur », nos excellentiam tuam quod super eodem negotio te juxta memoratam formam precise et sine conditione aliqua in manibus Ecclesie poneres per dilectum filium H. magistrum hospitalis Sancte Marie Theutonicorum fecimus admoneri (1), qui ob id ad nos a tua excellentia destinatus (2), quia Lombardi diutius expectati nuntios suos infra terminum sibi datum super hoc ad nostram presentiam non miserunt, dicto negotio imperfecto recessit. Cumque infra paucos dies post ipsius recessum ambassatores Lombardorum ad Sedem Apostolicam accedentes se legitimo fuisse impedimento detentos firmiter assererent et se ad compromittendum in nos precise paratos offerrent, nos cupientes pacis commodum procurare, compromissum predictum recepimus et prefatum magistrum ad nos duximus revocandum. Qui transmissis ad nos litteris quod jussus a te cogebatur sine mora venire, ad tuam presentiam est reversus. Quocirca excellentiam tuam rogandam duximus attentius et hortandam quatenus prudenter advertens quod ad instantiam tuam, de consilio fratrum nostrorum, patriarcharum trium et prelatorum omnium qui erant apud Sedem Aposto-

(1) Cf. supra, p. 776 et not. 1.

(2) Mense novembri anni praecedentis Hermannus in curia imperatoris apud Augustam adhuc morabatur. — Cf. supra, p. 793.

licam constituti, negotium Terre Sancte quod ad te post Sedem Apostolicam noscitur specialiter pertinere, duximus assumendum, providentes ut orbis terre discordes ad treugam vel concordiam cogerentur, et quod jam ad hoc aliqui ex magnis terre principibus sunt compulsi, quinimo reges aliqui, multi nobiles et potentes crucis signaculum per Dei gratiam receperint, prefatum magistrum H., ne dicte terre negotium quod ad utilitatem Ecclesie, imperii ac totius populi christiani noscitur ordinatum, quod absit, valeat impediri, cum pleno mandato de compromittendo super premissis precise in manibus nostris sine more dispendio studeas destinare; sciturus quod si contra Lombardos, maxime cum se precise in manibus Ecclesie posuerint, hoc potissimum tempore procedere molireris, tantam exempli perniciem aliis tribuendo per quam presumi possit a pluribus quod ceteros Ecclesia fefellisset, id pati equanimiter eamdem Ecclesiam non deceret, presertim cum super negotio in quo de tanta gloria Redemptoris agitur, acceptio personarum haberi non debeat nec aliquid nos deceat perpeti per quod processus ejusdem posset aliquatenus impediri. Diligenter enim considerare te convenit quod illi qui excellentie tue contraria consulunt, ad id te nituntur inducere per quod te illis laboribus involuto de quibus de facili nequeas expediri, utilitates suas fortius valeant procurare.

Datum Viterbii, XII kalendas aprilis, anno X.

Scriptum est in eumdem fere modum episcopo Ratisbonensi imperialis aule cancellario, Moguntinensi et Trevirensi archiepiscopis et episcopo Ildesemensi.

In eumdem quoque modum scriptum est magistro hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum usque ad « valeant procurare. Quocirca mandamus quatenus dictum imperatorem ad id efficaciter moneas et inducas (1). Datum, ut supra. »

---

(1) Paulo post, die vigesimo septimo hujus mensis martii, idem magister Romam evocatus est « pro magno honore Ecclesiae et imperii promovendo ac pro negotiis Terrae Sanctae et tranquillitate pacis eorumdem. Incipit : *Quum*. Dat. Viterbii, VI kal. aprilis. » *Index litter. Gregor. IX*, anno X, n° 16.

Gregorius papa rectoribus societatis Lombardiae scribit se eorum legatos recepisse, quorum ante adventum magister Theutonicorum ex mandato imperatoris qui se laesum dicebat, jam discesserat et nondum reversus est. Ad eos nuntium mittit episcopum Esculanum pro tractanda pace cum imperatore. Viterbii, 1° aprilis.

(Edid. SAVIOLI, *Annal. Bologn.*, t. III, pars II, p. 164, ex regest. Gregorii IX, anno X, n° 7.)

Datum Viterbii, kalendis aprilis, anno decimo (1).

Fridericus, Romanorum imperator, privilegium a se ipso civibus de Mollesheim tempore regni sui anno 1220 indultum, renovat et inserendo confirmat. Apud Hagenowe, april.

(Edid. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplomat.*, tom. I, p. 336, n° CCCCXII; finem tamen sub abbreviata forma exhibuit.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Tenore presentium notum esse cupimus tam presentibus quam futuris quod constituti coram nobis cives de Mollesheim fideles nostri presentabant culmini nostro scriptum quoddam concessum eis tempore regni nostri, supplicantes devote ut idem scriptum eis confirmare de nostra gratia dignaremur; cujus continentia talis erat : [Sequitur de verbo

(1) Adsunt in regestis Gregorii (n[is] 8 et 13) duae epistolae de legatione ejusdem episcopi, prima potestatibus et communitatibus Lombardiae de generali pace, data Viterbii, IV non. aprilis (2 april.), altera militibus et populo Placentino de speciali pace inter ipsos stabilienda. Data Viterbii, nonis aprilis (5 april.)

ad verbum privilegium datum Hagenowe, 4 februarii, ann. 1220, quod supra, t. I, p. 736.]

Nos igitur attendentes circa cives predictos de Mollesheim fidelia servitia. . . . . de benignitate culminis nostri gratiam eamdem quam tempore regni nostri eis fecimus, auctoritate imperiali ipsis duximus confirmandam. . . . .
. . . .

Testes hujus rei sunt : Heinricus Constantiensis episcopus, Hermannus marchio de Baden, Conradus burcgravius de Nuerinberc, [etc.].

Signum domini nostri Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo CCXXXVI, mense aprili, none indictionis, imperante domino nostro Friderico. . . . . . ., Romani imperii ejus anno septimo decimo, regni Jerusalem undecimo, regni vero ejus Sicilie anno tricesimo septimo, feliciter. Amen.

Datum apud Hagenowe, anno, mense, indictione prescriptis.

Apud Spiram, 16 aprilis.

Fridericus, Romanorum imperator, querelas papae redarguit de injuriis quae in regno suo ecclesiis et praelatis illatae dicuntur, monetque ne verbis obloquentium faciliorem aurem praebeat; de Saracenis vero Siciliae quos in Capitanata inter christianos fecit morari, exponit quantum id christianitati proficiat, quum jam tertia pars eorum ad fidei consortium sit reducta; rogat etiam ne contra Veronenses qui a societate Lombardorum in fidelitatem imperii redierunt, excommunicationem immeritam ferat, super negotio regni Cypri cum in Italiam fuerit reversus, responsurus.

(Edidit Höfler, *Kaiser Friedrich II*, Docum., p. 356, n° 25, e Gregor. regest., lib. X, n° 107; coll. cum collect. Laporte du Theil in Bibl. imper. Paris.)

Sanctissimo in Christo patri Gregorio, Dei gratia sancte Romane Ecclesie summo pontifici, Fridericus, eadem gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, salutem et reverentiam filialem. Preterita nostre sinceritatis obsequia que jam a memoria nostra deciderant dum ad futura propensius aspiramus, ac pura vestre paternitatis affectio quam de scrinio nostri pectoris abradere dierum serra non poterit, dum constantis spem gratie repromisit votis nostris, acuta calcaria prebuerunt ut voluntati vestre per omnia que honorem Ecclesie et imperii recta fronte prospiciunt, hilari mente occurrere debeamus. Ad illud impossibile tamen, providentissime pater, nec obligare nos volumus nec possemus, quod per sinistre non suspicionis, sed relationis absinthium amaricari de vobis nostrum non permittamus auditum, venenari tamen nullo modo vel tempore permittemus eumdem. Non amaricari namque non potest devotissimi filii sincerus auditus, quem fere omnis generis hominum sinistra dicentium turba conturbat. Nec tamen amaricamur in vobis de quo falsa confingunt, sed amaricamur in ipsis qui falsa nos credere moliuntur; adeo ut nisi multa bone conscientie gravitas quam de vobis haberi Petri petra compellit, a levitate mendacium averteret aures et animum audientis, fame scientia deserviret, nisi quod apud nos unius constantie virtus multorum mendacium numero non succumbit. Vos tamen, o pater, in istis, si dicere liceat, valde lentissima nobis affertis auxilia per exemplum, dum ex improbabilibus argumenta conjicitis et ad certas reducitis conjecturas. Sic etenim que per officiales et fideles nostros in regno Sicilie nobis absentibus aguntur interdum, ad notam nostri nominis revocatis, ac si in regnum a Theutonia oculis lynceis et voce tonitrui clare prospicere possemus et prospici, audire subtiliter et audiri. Sic que vobis lingua mendacii suggerit indubitanter asseritis, ac si monstrasset hec oculus veritatis, viduatas privilegiis, destitutas bonis ecclesias, personas ecclesiasticas captivatas, vetito foro compulsas, talliis et exactionibus subditas denotastis, et quo vulneramur acerbius, ecclesias viduas adulterinis amplexibus per nos illaqueari compulsas, earumdem ruinosarum rudera ad profana loca conversa describitis et pacem inter Ecclesiam et imperium initam violatam. Hec universaliter et

indefinite nobis, particulari vel singulari propositione cessante, pontificalis descriptio patefecit. Possemus utique certius negare non facta et efficacius facta corrigere, si fuissent distinctius singula denotata. Sed ut generalis instantia generale falsificet argumentum, hoc generaliter respondemus quod hec omnia a nostra scientia et conscientia sunt remota, nisi quod omnino non credimus ut odio vel injurie adscribatis quod juris executio aut cautela deposcit. Si etenim propter ea que a nobis ecclesie vel persone ecclesiastice forsitan de feudis vel patrimoniis tenent, in quibus laicorum quorumlibet jura censeantur, debita curie nostre deposcimus, si demania nostra tam in hominibus quam in terris ad nostra fiscalia revocamus, si cum locis venerabilibus ipsorum indemnitate servata permutamus interdum, si jus electionum ex antiqua regni dignitate nostris progenitoribus debitum reservamus, nulli facere putamus injuriam dum utimur jure nostro. Vos etiam qui quietem nostram presertim in regno Sicilie peroptatis, infideles prelatos aut infidelium genere proditos, de quibus pro tempore magna dispendia sumus experti, ecclesiis regni preficere non velletis. Salubrius etiam estimamus quod ad tempus vacet ecclesia quam nobis sit in perpetuum nociva. Illud tamen inficiari non volumus quod interdum officiales nostri subtili reverentia tenti et superficialis zelo fidei ultra quam nobis expediret accensi in ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum injuriam prolabuntur, correctionem quorum dilectis familiaribus nostris dum in Germaniam veniremus duximus committendam, ac deinde processus nostros ibidem divina potentia feliciter dirigente, eisdem sepissime per litteras nostras mandavimus illud idem; gratissimum etiam reputantes quod per dilectum fidelem nostrum venerabilem magistrum domus Theutonicorum apud Sedem Apostolicam existentem (1) exstitit super his eisdem injunctum, idem

(1) De mora magistri Hermanni in curia Romana unde subito fuit reversus, cf. supra p. 825 et *Annal. Worm.* ap. Böhmer, *Fontes*, t. II, p. 165, ubi agitur de negotio trium episcoporum, scilicet Wormatiensis, Spirensis et Herbipolensis, quos Hermannus imperatori reconciliavit et in Alemanniam reduxit, « promittens domino papae ipsos gratiae domini imperatoris honeste et secundum voluntatem eorum restituere. » Rem tamen ad alteram Hermanni legationem paulo post reponendam esse censemus.

que sub obtentu gratie nostre familiaribus antedictis mandavimus observari. In quantum etiam moleste geramus illorum nequitias qui contra federa pacis inter Ecclesiam et nos inite venientes opinionem nostram sic enormiter ledere moliuntur, non prius vobis scribendum vidimus aliquid quam judicium vindicte significet manifestum indicium voluntatis. Illud tamen tacere non possumus, quod prorsus a sana debuit consideratione discedere nos contra omne jus gentium tanti facinoris fore fautores ut illorum dissimularemus injurias, quos delere de libro viventium ex justis et innumerabilibus causis irreprehensibili ratione possemus. Nec hoc etiam civitates et loca testantur que, licet tempore scismatis supradicti vobis adheserint, in nostra tamen gratia revocate communi quiete nostri regiminis pacifice perfruuntur. Illorum preterea inveterata jam fabula silere deberet per quam ob ruinas ecclesiarum, de quibus omnis a nobis abest notitia, teste Deo, et ob Sarracenorum in Apulia mansionem, apud vos et Ecclesiam de indevotione notamur. Sed quod a patre quem cause nostre justitiam minime latere credidimus, de Sarracenis ipsis fuit bujusmodi mentio, non mirari solummodo cogimur, sed dolere, dum exinde patimur injuste redargutionis aculeos unde putavimus debite glorie premium reportare. Quod enim non sine multo labore nostri corporis etiam et nostrorum fidelium periculis et expensis e montanis Sicilie Sarracenorum removimus incolatum, ubi plures christianos quam hodie insula predicta contineat, ipsorum iniquitas interemit, ipsos in media christianorum planitie collocantes, utilitatem hujusmodi sumus experti quod dum catholicorum quotidie instruuntur exemplis, dum ipsorum sedula servitus invidet libertati, loti fonte baptismatis ad christianorum ritum, prout se quilibet suorum manibus potest eripere, ad catholice fidei redeunt unitatem; adeo quod primates ipsorum qui Alchadi dicuntur, dum nos propterea moveri putarent, sub spem damni nostri quod nos proinde pati dicebant, nobis in Apulia commorantibus, jam tertiam partem eorum ab ipsorum ritu reductam ad fidei nostre consortium querebantur; et procul dubio creditur quod si futura preteritis conformentur, non post multa dierum spatia ex toto de reliquis eveniet illud idem. Denique litterarum vestrarum caudam dissimulatione non

videmus transeundam, in qua contra Veronenses qui Lombardorum versutiis involuti, ejectis de civitate illis qui corrupti jam fuerant fraudibus et pecunia Lombardorum, nomen nostrum et imperii publice invocarunt, ad excommunicationis sententiam vos velle procedere dixistis; nec in hoc commodum nostrum solummodo, sed honorem Ecclesie contemplamur. Nonnulli sunt etenim qui, forsitan zizaniorum filii, ad aggregandum civitatem ipsam societati Lombardorum sub pretextu petitionis obsidum, vos extimant aspirasse. Et quanquam, prout firmiter credimus, ipsorum opinio a veritate discedat, quia tamen tantus est numerus eorumdem quod tot mendacium dispersa relatio habere jam incipit vires fame, constantissime credimus honori vestro consulere, dum rogamus quod per exhibitionem operis contrarium demonstretis. Hec igitur omnia, reverendissime pater, si in considerationum vestrarum libra diligenter appenditis, dum affectum purissimi filii circa vos et matrem Ecclesiam, dum justitiam rescribentis perspicaciter discernetis, acerbitatem verbi quod extrema litterarum vestrarum conclusio continebat « vos observare tolerantiam ulterius non valere », vestri conclave consilii forsitan temperasset. Denique super negotio regni Cypri et . . . patriarche Hierosolimitani deliberatiori consilio illud paternitati vestre respondere curabimus, cum duce Domino in Italiam cismontana provincia nos sub optata sorte reduxerit, quod honori vestro et Ecclesie ac imperii viderimus expedire.

Datum apud Spiram, XVI aprilis, IX indictionis.

Apud Spiram, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Paterniacensi (Peterlingen) confirmat privilegium eidem a Friderico primo avo suo 15 februarii 1153 concessum, quo jura et possessiones ejusdem recensentur.

(Edit. ap. Guichenon, *Bibl. Sebus.*, ap. Hoffmann, t. I, p. 315. — Schoepflin, *Alsat. diplomat.* t. I, p. 239 et 377, ex apographo Bernensi. — Et in *Solothurn. Wochenblatt*, ann. 1830, p. 43.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. . . . . volumus esse notum quod venerabilis prior et conventus monasterii Paterniacensis, fideles nostri, quoddam privilegium eis indultum a divo avo nostro Frederico inclyte recordationis augusto tempore regni sui nostre celsitudini presentarunt; humiliter supplicantes ut illud eis innovare de nostra gratia dignaremur. Cujus tenor est per omnia talis :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, divina favente clementia Romanorum rex augustus. Cum ecclesiis Dei per universum nostrum imperium constitutis regia nos deceat auctoritate consulere, illud precipue ob salutis nostre prosperitatem duximus animadvertendum quatenus jura donationum ab antecessoribus nostris regibus seu imperatoribus pie devotionis intuitu ecclesiis concessa, nostra auctoritate usibus ipsorum in perpetuum profutura inviolabiliter conservemus. Eapropter tam futurorum quam presentium solers noverit industria quod nos fidelium nostrorum confratrum Paterniacensium querimoniam contra Oudelbardum de Vivicis (1) de curti que Kercers (2) nuncupatur, in qua ipse advocatiam contra sancita privilegiorum predecessorum nostrorum obtinere volebat, pro debito nostro clementer admittentes, ex judicio principum nostrorum prefato Oudelbardho eamdem advocatiam sibi usurpatam quassavimus; statuentes ut nec in predicto loco vel in quibuscumque possessionibus ad idem cenobium pertinentibus aliquis aliquod jus advocatie sibi usurpare presumat, sed abbas Cluniacensis tam presens quam successores ipsius ex fratrum Paterniacensium electione constituendi advocatum, sicut ab antecessoribus nostris statutum est, liberam potestatem habeant. Nihilominus etiam decernimus ut quascumque possessiones, quecumque bona, census vel quoslibet redditus ecclesia Paterniacensis in presentiarum possidet aut in futurum concessione regum, largitione pon-

(1) Scilicet *de Vevay*.

(2) Vitiose legit Guichenon *Herceis*. Locus *Kercers*, latine *Ad carceres* et gallice *Chietres*, in praefectura Moratensi, fuerat a Bertha regina Burgundiae monasterio Paterniaci concessus anno 962.

tificum vel principum, oblatione fidelium seu aliis modis Deo propitio poterit adipisci, firma et illibata ipsi permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet villa et ecclesia Paternisacensis cum decimis et ceteris pertinentiis, curia de Kercers et ecclesia cum decimis. . . . . (a), curia de Puliaco (1) cum pertinentiis suis et ecclesia cum decimis, villa de Balmis (2) cum pertinentiis suis et ecclesia cum decimis, ecclesia de Urba (3) cum decimis ad eam pertinentibus, curia de Privissino (b) cum appenditiis suis, villa et ecclesia de Ornacho (4) cum pertinentiis suis. Illa etiam que venerabilis dux Rodulfus sepememorate ecclesie in territorio Alsatie contulit regia auctoritate corroborare decrevimus, curiam videlicet Columbariensem una cum edificiis, mancipiis, terris cultis et incultis et earum redditibus, curiam de Hittinheim cum pertinentiis suis, terras et vineas quas Luzelinus villicus et uxores ejus Hymeza et Richeza dederunt. Et ut hec omnia eterna lege valitura sepedicte ecclesie ibique Deo servientibus rata et inconcussa permaneant, presentem paginam auctoritate nostra confirmatam sigilli nostri impressione insigniri jussimus, adjicientes ut nulla parva magnave persona temere contra eam venire presumat. Quod si quis eam temerario ausu aggredi temptaverit, regio banno subjaceat et in ejus compositione centum libras auri camere nostre persolvat. Testes interfuerunt quorum nomina subternotata cernuntur : Arnoldus Coloniensis archiepiscopus, Humbertus Bisuntinensis archiepiscopus, Amedeus Lausannensis episcopus, Ortlibus Basiliensis episcopus, Hermannus Constantiensis episcopus, Henricus dux Saxonie, Hermannus marchio de Saxonia, Amedeus comes Gebennensis, Willermus comes

(a) Guichenon hic addit *totius parochie et ceteris appendiciis*, quae in apographo desiderantur.

(b) Ap. Guichenon *Perussino* (olim *Pibirsin?*).

(1) Forsan *Pully*, vicus dimidia hora distans ab urbe Lausanna. Extant quoque duo vici, unus *Poliez le Grand*, alter *Poliez le Petit*, in praefectura Eschallensi.

(2) *Balm* in praefectura Laupensi.

(3) Hodie *Orbe*.

(4) Forsan *Orny*.

Matisconensis. — Signum domini Friderici Romanorum regis invictissimi. — Ego Arnoldus cancellarius recognovi. — Data Bisuntie, XV kalendas martii, anno dominice incarnationis MCLIII, indictione XV, regnante domino Friderico Romanorum rege glorioso, anno vero regni ejus primo.

. . . . Et ut hec innovatio robur firmitatis obtineat in perpetuum valiturum, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus insigniri.

Hujus rei testes sunt: Sifridus Maguntinus archiepiscopus, Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, Ruedgerus Pataviensis episcopus, Conradus Spirensis episcopus, Hermannus magister domus Teutonicorum in Jerusalem, Raspo landgravius Turingie, Hermannus margravius de Baden, Chonradus burgravius de Nuremberch.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia Romanorum imperatoris semper augusti, Jherusalem et Sicilie regis gloriosissimi.

Ego Sifridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini Maguntini in Germania archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXVI, mense aprilis, indictione IX, imperante domino nostro Friderico II, anno imperii ejus XVII, regni Jerusalem XI, regni vero Sicilie XXXVII, feliciter. Amen.

Datum apud Spiram.

Apud Spiram, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, ad querelam hominum de Supramonte qui ab Aldrigeto episcopo Tridentino et gastaldionibus ejus exactionibus indebitis gravabantur et propter solutionem in carcere usque ad mortem affligebantur, quae rationes moderatae ab eisdem hominibus et ab aliis villis ibidem nominatis ecclesiae Tridentinae solvendae sint, diffinit.

(Inedit. ex copia ut dicitur *vidimata* de mense novembri 1236, in archivo Vindobon., quam nobis summa liberalitate transmisit vir egregius J. Fr. Boehmerus. — Memorat. tamen et extract. ex codice Wangiano ap. *Fontes rer. Austriac., Diplomata*, t. V, p. 369; Wien, 1852.)

Fridericus, Dei gracia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod culmini nostro hominum de Supramonte, fidelium nostrorum, enormis porrecta fuit querimonia, super hoc videlicet quod per dilectum principem nostrum dominum Aldrigetum Tridentinum episcopum et suos gastaldiones, aliosque quamplures in eodem episcopatu, predicti homines, fideles nostri de Supramonte, exactionibus indebitis et gravaminibus quamplurimis indifferenter molestarentur, [dum] contra jus quod eisdem hominibus ab imperio Romano tempore delegationis eorum primo, sub certo et statuto ficto (?) reddendum et solvendum rationabiliter est injunctum, collectas imposuerint, et pro dictis collectis sine discretione mobilia et immobilia, que habere poterant, auferentes, ipsos quoque in carceribus quamplures mortificando, malis innumerabilibus pluries offenderint. Unde non modicum fuimus turbati. Licet enim homines supradicti quodam certo et statuto censu servire debeant ecclesie Tridentine, nostro tamen attinent culmini et Romano imperio, et eorum rationes in nostro decrevimus annotare privilegio, universis notificantes quod ultra easdem rationes servire non tenentur: videlicet quatuor stariola frumenti, quatuor stariola siliginis et octo stariola surgi, et octo solidos denariorum Veronensium pro una bestia, et quatuor solidos pro uno caseo, et unam urnam vini, et unum fassum feni, et unam galinam. Iste rationes rimanie dicuntur. Quas rationes homines de villa Oveni et de villa Cadene et de villa Vigoli et de villa Baselge et de villa Sardagne solvere debent episcopo Tridentino, vel cui idem dominus episcopus dare disponeret. Nos autem gravamina eorum considerantes et eorum supplicationibus benignius inclinati, deliberavimus consilio principum nostrorum fidelium qui interfuerunt, quod eosdem fideles nostros de Supramonte et omnia eorum que possident in nostre majestatis recipimus defensionem, et super hoc litteras nostre celsitudinis sigillo

communitas eis et eorum heredibus et (*sic*) in perpetuum confirmamus. Et si quis hoc nostrum privilegium violare et fideles nostros de Supramonte attemptare presumpserit, imperatorie majestatis et nostri culminis se noscat indignationem incurisse et triginta libras auri soluturum, quarum medietas camere nostre, medietas offensorum cedat profuturam (*sic*).

Hujus rei testes sunt : R. venerabilis Pataviensis episcopus, N. Secowensis episcopus, . . . Constantiensis episcopus, . . . Spirensis episcopus, . . . marchio de Baden, C. et G. comites de Hohenloh, . . . burcgravius de Nurinberch, H. comes de Werde, et alii quamplures.

Datum apud Spiream, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense aprilis, none indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, cum Alrammus de Halse pro damnis multiplicibus ecclesiae Sanctae Mariae superioris monasterii in Ratispona illatis, satisfecisset, et per nuntium abbatissae curiae imperiali rationem satisfactionis praesentasset, ipsum instrumentum Alrammi, 12 martii datum, de verbo ad verbum inserit et confirmat. Apud Spiram, aprili.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 244-245, num. DCCXXXIX, ex originali unde sigillum maxime laesum appendet ex filis sericis flavi et rubri coloris.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum Alrammus de Halsen satisfecisset ecclesie Sancte Marie superioris monasterii in Ratispona, pro dampnis eidem monasterio illatis, nostre celsitudini humiliter supplicavit quatinus scriptum quod super eadem satisfactione, sicut per nuntium venerabilis abbatisse monasterii memorati curie nostre fuerat presentatum, dicto monasterio fecerat, et ea que continentur in eo, rata

habere et confirmare de nostra gratia dignaremur. Cujus scripti tenor est per omnia talis :

In nomine Domini. Amen. Ad cautelam scribenda sunt negotia, etc. [*Quod habetur ex originali anno eodem* 1236, *IV idus martii* (1).]

Nos igitur suis supplicationibus annuentes, in favorem monasterii memorati quod multa dampna passum fuerat per eundem, scriptum infra contentum et omnia que continentur in eo rata habemus et de innata nobis gratia confirmamus. Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo nostro jussimus communiri.

Datum apud Spiream, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense aprili, none indictionis.

[Exeunte aprili.] Imperator moturus bellum Longobardis sibi rebellibus, praemittit quingentos milites mensurnis stipendiis conductos, quibus praeficit nobilem virum et rebus bellicis expertum Geveardum de Harnesten (2), ut apud Veronam expectet imperatoris exercitum subsequentem. Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes,* t. II, p. 368. — Deinde praemisit imperator exercitum in Lombardiam circa festum Philippi et Jacobi (1 maii) ad confortandos suos fautores, quibus praefecit Gotfridum dictum Pullacre (3). *Annal. Argent.* ap. Boehmer, *Ibid.*, t. III, p. 110.

---

(1) Quum editores *Monum. Boic.* supervacaneum duxerint instrumentum Alrami in integrum producere, nos id aliunde frustra requisitum sub silentio praetermittere cogimur.

(2) « 1236, 16 maii. Gaboardo ambassador dello imperador Federigo venne a Verona con 500 cavalieri et con 100 balestreri a guardare Verona aposta dello dito imperadore. » Zagata, *Chronic. Veron.*, p. 32.

(3) Nomen hactenus inauditum, et forsitan mendose exaratum.

Beata Elizabeth (1) in Marpurg translata est kalendis maii, praesente imperatore et multis principibus. Tanta ibi erat multitudo hominum quantam se nemo unquam meminit pariter aspexisse... Postera die imperator ivit Wetflariam. ALBERT. STADENS., ad ann. p. 210. — Hoc anno kalendis maii Marburc translatio solemnis facta est sanctae Elizabeth, praesente Friderico imperatore ac tribus archiepiscopis Moguntino, Coloniensi, Bremensi. Ubi ex illius ossibus oleum evidentissime desudavit. *Chronic. Erford.* ap. BOEHMER, *Fontes,* t. II, p. 396. — Imperator interea descendit in castrum dictum Marburch, ubi in kalendis maii innumerabilis populi affuit multitudo. Nam a multis prudentibus duodecies centum millia hominum promiscui sexus estimata sunt convenisse ad memoriam sanctae viduae Elizabeth, cujus glorificum corpus ad capsam auream est translatum auctoritate summi pontificis, qui hoc negotium tribus episcopis commisit, videlicet Maguntino, Treverensi et Hildesemensi, quanquam ibi multi alii episcopi et principes affuissent. Ipse etiam imperator primus lapidem de sarcophago levavit et coronam auream de suo thesauro sacro capiti sanctissimae viduae imposuit. Ibi praeter multa miracula oleum de sacro corpore effluxit, etc. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes,* t. II, p. 368. — Cf. *Hist. monast. S. Laur. Leod.* ap. MARTENE, *Collect. ampliss.*, t. IV, p. 1098. Marburg, 1° maii.

(1) Elisabeth, Andreae regis Hungarorum filia, Ludovici Thuringiae lantgravii uxor, 19 novemb. 1231 decessit apud Marburg ubi sepulta miraculis claruit. Anno 1235 1° junii sanctorum catalogo a Gregorio papa fuit adscripta. Lutherianis temporibus ejus ossa ad vitandam, ut dicebant, superstitionem, in angulo ecclesiae abscondita diu latuerunt, quorum pars inventa tandem fuit 20 julii 1854, dum restaurationi ecclesiae opifices manus admoverent. Capsa auro et gemmis decorata et aurea corona sacro capiti imposita jam dudum spoliatorum rapacitatem non evaserant. Cf. quae notaverit BOEHMERUS, *Regest. imperii,* p. 166.

Apud Wetphelariam, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, civibus de Oppenheim nundinas annuas ab octava Paschae diebus quatuordecim solemniter exercendas concedit, et accedentes ad easdem sub protectione sua recipit.

(Inedit. ex originali in archivo Darmstadensi, cujus sigillum cum filis simul avulsum est, pergamena caeterum integerrima et nitidissimae scripturae.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Juste consuevit imperialis sublimitas devotorum imperii commoditati prospicere, quibus dum prospicitur nichilominus imperii profectibus providetur et fervens devotio subditorum circa imperii servitia ferventius exardescit. Hac siquidem consideratione ducti, tenore presentium notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod constituti in nostra presentia cives de Oppenhein, fideles nostri, nostre celsitudini supplicarunt ut quia expediebat eis, ad promovendum statum nove habitationis eorum, ipsis et civitati nostre de Oppenhein annuas nundinas indulgere et concedere de nostra gratia dignaremur, singulis annis ab octava Pasche diebus quatuordecim solemniter exercendas. Nos igitur attendentes novitatem incolatus eorum et quod status civitatis ejusdem de bono in melius augeatur, considerantes etiam sinceram fidem et puram devotionem quam erga nos et imperium habent, necnon et grata servitia que fideliter exhibuerunt hactenus et exhibent incessanter et que in antea culmini nostro exhibere poterunt gratiora, suis justis supplicationibus annuentes, de innata nobis mansuetudine indulgemus et concedimus eisdem civibus et civitati nostre de Oppenhein predictas nundinas singulis annis prenominato tempore observandas, omnes ad easdem nundinas accedentes eundo, morando et redeundo cum personis et rebus recipientes sub nostra et imperii defensionis gratia speciali; mandantes et presentis

privilegii statuentes edictoqnatenns nnllus sit qni predictos cives in eisdem nnndinis a nostra celsitndine indnltis sibi et concessis presumat offendere vel ad ipsas nundinas accedentes in nostra et imperii securitate in personis vel rebus snis eundo, morando vel redenndo gravare audeat aut impedire. Quod qni presnmpserit in vindictam temeritatis sue quinqnaginta marcas auri componat, qnarum media pars camere nostre et reliqua passis injnriam persolvatnr. Ad hnjus itaque indulgentie et concessionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et sigillo nostre celsitndinis jussimns insigniri.

Testes hnjus rei snnt : venerabiles Siferidus Magnntinns, Theodericus Treverensis archiepiscopi, Ekkebertus Babenbergensis, ... (a) Pataviensis episcopi, Otto dux de Brnneswic, Heinricus lantgravius Thuringie, Hermannus marchio de Baden, Gerhardus comes de Dietsche, Eberhardus de Ebersteine, Conradus burcgravius de Nuerinberc, Gotfridus et Conradus fratres de Hohenloch comites Romaniole, nobiles Wernherus de Bonlandia imperialis aule dapifer, Philippns de Hohenvelse, Philippus de Valkensteine, Eberhardus do Willehelmsdorph, Marqnardns de Sneite jndex Wormatiensis (1), Gailingus, Eberhardus de Wizenburc, Elyas de Bobardia ministeriales, et alii quamplures.

Signum domini nostri Friderici secnndi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augnsti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Ego Siferidus Dei gratia Ratisponensis episcopus, imperialis aule can-

(a) Hoc nomen, scilicet *Rudigerus*, desideratur in autographo, dum spatium vacuum remaneat.

(1) Adversarii Landolfi episcopi, quum eum extra imperatoris gratiam remotum cognovissent, «statim judicem a dominn imperatore missum Wormaciae Marquardum nobilem virum de Sneitde procuraverunt... Judex vero Marquardus assumens sibi quatuor milites et septem cives, consilio praesedit et judicanda judicavit ac tributum in ministeriales ecclesiae posuit et recepit. Hiis omnibus valde inviti cives consenserunt, quia aliud facere non audebant. » *Annal. Wormat.* ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 165. Judex vero civitatem Wormatiensem non exivit nisi cum Landolfus ad suam metropolim redierit, scilicet mense decembri hujus anni 1236.

cellarius, vice domini Siferidi Maguntine sedis archiepiscopi et in Germania archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense madii, none indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, Romani imperii ejus anno septimo decimo, Jerusalem undecimo, regni vero ejus Sicilie anno tricesimo septimo, feliciter. Amen.

Datum apud Wetphelariam, anno, mense, indictione prescriptis.

Viterbii. 5 maii.

Gregorius papa archiepiscopo Maguntino mandat ut electo Wormatiensi, si aliquod canonicum non obsistit, munus consecrationis impendat.

(Edit. ap. Wurdtwein, *Nov. subsid. diplomat.*, t. IX, p. 10, ex regest. Gregor. IX, anno X, n° 69.)

Gregorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Maguntino salutem, etc. Per litteras tuas an ad consecrationem dilecti filii . . . Wormaciensis electi procedere debeas, quesivisti. Cum igitur ad instantiam karissimi in Christo filii nostri F. Romanorum imperatoris semper augusti, venerabilibus fratribus nostris Ildesemensi et Ratisponensi episcopis inquisitionem super quibusdam de prefato electo commiserimus faciendam nec fuerit in ipsa processum, illo interim bonis episcopalibus spoliato, propter quod idem ad Sedem Apostolicam personaliter laboravit (1); fraternitati tue mandamus quatenus ne Wormaciensis ecclesia taliter maneat destituta pastore, assumptis duobus vel tribus suffraganeis tuis, eidem electo, si aliquod canonicum non obsistit, munus consecrationis impendas.

Datum Viterbii, III nonas maii, pontificatus nostri anno decimo.

(1) Vid. supra, p. 778, not. 2.

Inde imperator veniens Confluentiam, inferiorum partium militiam invocat contra Longobardos; sed paucis sibi annuentibus, milites de Suevia et Alsatia sibi assumit. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 369. [Maio.]

Fridericus, Romanorum imperator, privilegium a se ipso tempore regni sui civibus Coloniensibus indultum innovat et confirmat, conceditque ut nec scabini nec cives ob debita seu promissiones cujuscumque archiepiscopi Coloniensis aut alterius personae, damnificari, detineri aut injuste gravari debeant. Confluentiae, maio.

(Edidit LACOMBLET, *Urkundenb. für die gesch. des Niederrh.*, zw. band, p. 107-108, n° 205, ex originali in archivo civit. Coloniensis. Extat quoque ap. *Memorial in Sachen der stadt Coln gegen den Erzb.*, ann. 1768, p. 191.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex invictissimus. Imperialis excellentia sui nominis titulos ampliat et extollit cum innate benignitatis gratia fidelium merita quos speciali favore benignitatis amplectitur, propter fidelia et accepta obsequia prospicit et eorum justas favorabiliter petitiones admittit. Eapropter universis fidelibus imperii tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod cives Colonienses, dilecti fideles nostri, celsitudini nostre quoddam privilegium eis tempore regni nostri indultum nostre excellentie obtulerunt; humiliter supplicantes ut ipsum privilegium eis innovare et confirmare de nostra gratia dignaremur; cujus tenor talis erat :

[Seqnitur privilegium, sexto die mensis maii 1216 editum, quod videndum supra, t. I, p. 452.]

Nos igitur attendentes fidem et devotionem sinceram qnam iidem dilecti fideles nostri ad personam nostram et honorem imperii incessanter habere noscuntur, inspectis etiam gratis et acceptis servitiis que nobis et imperio semper exhibent et in antea de bono in melius poterunt exhibere, privileginm supradictum de verbo ad verbum privilegio presenti transcriptnm jussimns innovari. Ex habundantiori quoque gratia nostra imperiali sanccimns edicto quod predicti dilecti fideles nostri tam scabini quam cives Colonienses nec ob debita nec ob promissiones cujnscnmque archiepiscopi sancte Coloniensis ecclesie pro tempore existentis aut alterins cujuslibet persone, in personis vel rebns snis debeant dampnificari, detineri aut quocnmque modo injuste gravari (1). Insuper omnia jnra eorumdem scabinorum, civinm et civitatis necnon et omnes bonas et rationabiles consuetudines quas intra vel extra civitatem habuisse noscnntur cum omnibus que in suprascripto privilegio continentnr, eisdem de gratia nostra confirmamns. Statuentes et imperiali anctoritate firmiter precipientes ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictos dilectos fideles nostros contra presentis privilegii tenorem snper aliqnibus ansn temerario molestare presnmat; qnod qni presnmpserit, preter penam predicto privilegio appositam, centum librarum pnri auri componat, medietatem fisco nostro, reliqnam dictis fidelibus nostris persolvendam. Ut autem hec innovatio et confirmatio robnr obtineat perpetue firmitatis, presens privileginm fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus insigniri.

Hujns rei testes sunt : H. Coloniensis, Th. Treverensis archiepiscopi, . . . abbas Prumiensis, . . . abbas Werdenensis, H. dux Brabantie, H. lantgravius Turingie, frater H. magister hospitalis Sancte Marie domns Theutonicorum [in] Jerusalem, Henricus comes Seinensis, Th. comes Clevensis, O. comes Gelrensis, W. comes Juliaciensis, L. comes Hostadensis,

(1) Cf. supra privilegium Henrici regis, tom. III, p. 443, ubi sub eisdem verbis immunitas eadem exprimitur.

C. major prepositus Coloniensis frater ejus, H. prepositus Sancti Kuniberti, Walramus de Lemburg, Albertus de Rossewag imperialis curie justitiarius, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis gloriosissimi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXXVI, mense madio, none indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus XVI, regni Jerusalem XI, regni vero Sicilie tricesimo octavo, feliciter. Amen.

Datum Confluentie, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem civium Tremonensium, privilegium a seipso anno 1220 eisdem indultum et postea incendio consumptum, inquisitione prius de fide transcripti facta, renovat et inserendo confirmat. Apud Confluentiam, maio.

(Edid. BERNH. THIERSCH, *Der Hauptstuhl des Westph. Femger. von Dortmund* (Dortmund 1838), Anhang, p. 69. Pendet aurea bulla filis sericis flavi et rubri coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Imperialis excellentia sui nominis titulos ampliat et extollit, cum innate benignitatis gratia fidelium merita prospicit et justas eorum favorabiliter petitiones admittit. Eapropter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod cives Tremonienses, fideles nostri, celsitudini nostre humiliter supplicarunt ut quia quoddam privilegium eis a nostra celsitudine tempore regni nostri indultum casu fortuito in incendio ipsius oppidi combustum fuerat, et quoddam transcriptum ipsius per omnia simile remanserat apud eos,

nos juxta dicti transcripti tenorem eis ipsum privilegium innovare de nostra gratia dignaremur; cujus tenor est per omnia talis :

[Sequitur de verbo ad verbum privilegium pro Tremoniensibus indultum, dat. ap. Frankenvort, anno 1220, kalendis maii, indict. octava, quod supra, t. I, p. 777.]

Nos igitur tanquam de veritate precum incerti, cum et si dicti cives privilegium idem juxta formam oblatam transcripti a nostra fuissent excellentia consecuti et quod combustum fuerit nostre celsitudini non constaret, dilecto principi nostro venerabili Treverensi archiepiscopo commisimus certitudinem premissorum diligentius inquirendam; cui dum et de privilegio impetrato et combustione ipsius ac veritate transcripti per juramenta quamplurium nostrorum fidelium loci prefati fide dignorum plene constitit, nobisque per ea attendentibus fidem puram et devotionem sinceram quam iidem fideles nostri cives Tremonienses ad personam nostram et imperii honorem firmiter habere noscuntur; considerantes etiam grata satis et accepta servitia que dudum nobis et imperio exhibuerunt fideliter et devote et exhibent incessanter ac in antea de bono in melius poterunt exhibere; transcriptum ipsum presenti privilegio de verbo ad verbum jussimus inseri, per hoc predictum privilegium quod amiserant de gratia nostre celsitudinis innovantes. Statuimus igitur et imperiali sanctimus edicto ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictos fideles nostros contra presentis privilegii nostri tenorem super aliquibus ausu temerario molestare [presumat]. Quod qui presumpserit, preter penam supradicto privilegio appositam, centum libras auri puri componat, medietatem fisco nostro, reliqua passis injuriam persolvenda. Ut autem hec innovatio robur obtineat perpetue firmitatis, presens privilegium fieri et bulla aurea tipario nostre majestatis impressa jussimus insigniri.

Hujus rei testes sunt : Henricus Coloniensis archiepiscopus, Theodoricus Trevirensis archiepiscopus, abbas Prumensis, abbas Werdinensis, Henricus dux Brabantie, Henricus langravius Thuringie, frater Hermannus (a) venerabilis magister hospitalis Sancte Marie Theutonicorum

(a) In impresso *Henricus*, male.

in Jerusalem, Henricus comes Senensis, Theodoricus comes Clevensis, Otto comes Gelrensis, Willielmus comes Juliacensis, et alii quamplures.

Signum domini Friderici, Dei gratia Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense madii, nona indictione, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus sexto [decimo], regni Jerusalem undecimo, regni vero Sicilie tricesimo octavo, feliciter. Amen.

Datum apud Confluentiam, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, fidelibus suis encyclicam mittit, qua statu pacifico imperii et rebellione Lombardorum fusius expositis, mandat ut ad curiam quam apud Placentiam duxit indicendam, se praeparent, ubi ambassatores etiam rebellium civitatum convocari debeant. [Maio ineunte.]

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. III, cap. I, et ap. PERTZ, *Monum. Germ. hist.*, t. IV, p. 320, ex codicibus tum Wilheringensi, tum Vaticano 4957. Collatum quoque damus cum codic. Paris. *Notre-Dame*, 202, et *S. Germ. Harlay*, 455, atque denuo cum codice Musaei Britann. (Harley 3678). Variae adsunt rubricae, inter quas ap. Petr. de Vineis : « Principibus Alamanniae (*sic*) quod veniant apud Parmam celebraturi ibidem solennem curiam; » in cod. Medio-Montan. penes D. Th. Phillipps : « Fredericus sacri imperii in Lombardia vicario quod citet communitates civitatum Lombardie ad curiam tenendam in Parma; » in cod. Musaei Britann. : « Fridericus, etc., venerabili Cumarum episcopo. » Ex hoc ultimo fonte non dubitandum quin encyclica sit et ad mensem maium ineuntem collocanda. Cf. RAYNALD., *Annal. eccles.*, ad ann. 1236, § IV.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, Jerusalem et Sicilie rex, etc. Dum debitorum nostrorum chirographa legimus, dum calendarii nostri nomina diligentissime perscrutamur, et nos debitores aliis

evidenter agnoscimns, et aliorum nos esse prospicimus creditores. Hinc igitur pulsantis ad ostium creditoris justa nos urget instantia ne fenore pregravemur : hiuc ad exactionem debitorum nostrorum periculosa immiscens (*a*) sese uegociis mora nos provocat ue ipse pereaut actiones. Ab illo namque bono patrefamilias protinus et instanter a nobis exigitur debitum, qui peregre proficisceus, familiam suam sollicitudini nostre supposnit, cui taleuta que tradidit reddere cogimur duplicata. Sed et versa vice nos excitat Cesaree fortune fastigium, ut ab eis, quos Romane ditiouis habet imperium, subjectionis et obedientie debitum exigamus. Mirabile tamen utrumlibet conditionis est debitum, si subtiliter intuemur (*b*), cujus solutio debitoris emolumenta non minuit, sed auget fidem; imo solventi magis etiam crescit in commodo, quam suscipienti proficiat iu augmeuto. Ceterum si in eo, prout de jure tenemur, satisfaciamus proponenti et propositi (*c*) diligenter officinm impendamus, et temporalis honoris stipendia qnerimus, dum clarificamur in fama, et retributionis eterne fiduciam obtinemus, dum proficimus in salute. In jussu dominico, « que sunt Dei Deo, et que sunt Cesaris Cesari persolvantur, » emolumentum solutionis in totum fere solventi relinquitur, dum recipienti etiam magis commodi et honoris acquiritur, quam solveuti vexatiouis et oueris aggregetur. Ea namque sunt omnia, si verum respicimus, subjectornm grata levamina, que snnt etiam onera principatus : in hoc enim gloria regis extollitur et servatur, si in quiete pacis populum dirigat et in justicie vigore conservet. Ad quarum primam non sine reguantium salutis et vite discrimine laboratur. Legimus namque plures pro quiete publica populorum labores eximios assumpsisse : nec ex toto secure justicia per reges et principes ministratur, qui dum iuferiores jndicant, ipsi superiori judicio reservautur. Et qnanquam tanti solicitudo mysterii quibuslibet terre principibus debeatur, Romani tamen imperii veneranda snblimitas que in omnibus presentinm oculis (*d*),

(*a*) In cod. Paris. 455, *premittens*, minus recte.

(*b*) Haec a *Mirabile* desunt ap. Pertz.

(*c*) Ap. Pertz *prepositi;* in cod. Harl. 3678 *prepositi diligentis*.

(*d*) Ap. Pertz *in omnium presidentium oculis*.

velut in speculo, collocatur, tanto perfectius zelari pacem compellitur, quanto tenetur instantius vacare justicie subditorum, ut quam totius orbis ambitus quodammodo debita devotione deposcit, quasi a nobis presentibus obtineret; cujus vere tam spiritus quam affectus velut fidelis et prudens (a) spiritu vivit imperii, ut eo languente langueat et ipso prosperante letetur. Nec solum in temporalibus solatiis (b) christiani populi tenebras Romani sceptri fulgor illuminat : sed et catholice fidei fulcimenta non levia subministrat, dum caput et matrem ecclesiarum omnium, Apostolorum Sedem, intra totius imperii potentie viscera collocatam, a qua ecclesie urbium singularum et locorum quorumlibet autoritatis insignia trahunt et instruuntur exemplis, hereticorum perfidiis vel aliquorum injuriis concuti non permittat (c). Propter quod gratissimum offerre vivo Deo putamus obsequium, si zelo laudabili et constanti proposito ad totius imperii statum pacificum tanto libentius aspiremus, quanto clariori presagio hoc de celesti colligimus voluntate. Nec enim ob aliud credimus quod providentia Salvatoris sic magnifice, imo mirifice direxerit gressus nostros (d), dum ab Orientali zona regnum Hierosolymitanum, Conradi charissimi nati nostri materna successio, ac demum regnum Sicilie, preclara materne nostre successionis hereditas, et prepotens Germanie principatus sic manu celestis arbitrii nobis assistente, pacatis undique populis, sub devotione nostri nominis perseverant, nisi ut sic illud Italie medium, nostris undique viribus circumdatum (e), ad nostre serenitatis obsequia et imperii redeat unitatem : quod nihil nobis restat vel modicum peragendum (f). Nec in hoc providere tantummodo com-

(a) Haec a verbo *debita devotione* desunt ap. Pertz et in cod. Harl. 3678, neque prodesse videntur nisi quod sensum perturbent.

(b) *Solatiis* deest ap. Pertz.

(c) Ap. Pertz *permittant*, minus recte.

(d) Hic adduntur in Petr. de Vin. epistolis : « *Nisi quod voluntati dominice dispositi in votis ea perficere gerimus per que Christi sponsa eradicatis zizaniis, salubriter gubernatur. Sic quod dum*, etc. Locum tamen interpolatum censemus, dum ap. Pertz et in codicibus Parisiensibus et Harleiano quoque desit.

(e) Alias *conculcatum*, *concordatum*, male.

(f) Haec a *quod nihil*, etc., ap. Pertz desunt.

modis nostris intendimus, sed in hoc crucis negocium directissime procuratur, dum rebellibus nostris circa partes Italie in gremium nostre gratie revocatis, discordias (a) multorum nobilium desiderato fine precidimus : qui vota sua in eventum hujusmodi suspenderunt, ne crucis signaculo presignitos christiani cruoris effusio, licet justa, ob debitum et honorem imperii et regni Sicilie (b), macularet. Nos etiam, de cujus manu potissimum terra predicta prestolatur subsidium, sine tacita saltem redargutione multorum, relicto in tam nobili regione imperii nostri corpore lacerato et dissimulata veteri rebellione rebellium, assumere libere tantum negocium non possemus.

De sinu etenim ipsius Italie supradicta discordia ad honorem Dei et imperii laudabili fine sedanda, grande producere speramus auxilium Terre Sancte, que velut incolis populosa, vicina maritime, glebeque cultu fructifera, in opportunitatibus omnibus se utilem nimium exhibebit (c). Ad hec igitur omnia salubriter procuranda nostris non indulgere laboribus nec parcere sumptibus disponentes, estate presenti personaliter cum nostris principibus intrare condiximus Lombardiam; ad hec tria considerationum nostrarum assiduos cogitatus potissime dirigentes : ut eradicata in Italia heretica pravitate, jura Ecclesie et imperii reformemus ibidem; ut pacem discordiarum schismatibus fatigatis, et quibuslibet passis injuriam sine acceptatione qualibet personarum justicie copiam ministremus. — Scimus etenim, veritate testante, quod nihil malignum nobis adversari poterit, dum justicie solio presidemus; — ut ad expiandum inimicorum fidei peculiare (d) flagitium in partibus transmarinis, de communi Transmontanorum et Italicorum consilio, votis communibus unanimiter aspiremus. Ad quod vestrum precipue et totius christiane universitatis presidium, nostra non tantum utilitas, sed ipsa necessitas instanter invitat, cum treugarum finis quas nos in ipsis partibus existentes inivimus cum soldano, fere in januis habeatur. Quare de nos-

(a) Ap. Pertz *expectationes.*

(b) Ap. Pertz tantummodo *imperii scilicet.*

(c) Ap. Pertz *exhibuit.*

(d) ap. Pertz *piaculare;* in codice Harleiano *pia celeritate.*

trorum consilio principum, apud Placentiam (a) solennem curiam duximus indicendam, ad quam ab Urbe citra omnium civitatum Italie nuncios invitamus. Ibique quamplures nobiscum principes nostros habebimus in honorabili comitiva; legatos etiam omnium regum occidentalium partium, quos fere omnes affinitatis nobis vinculum unanimes jam effecit, ibidem procul dubio nos credimus habituros, ut intentionis nostre salubre consilium ac propositum, quod de subsidio Terre Dei et reformatione jurium Ecclesie et imperii in Italia et statu pacifico regionis ejusdem pia mente concepimus, in solennem et publicam prodeat notionem; et si tanta rebellium fuerit inventa protervitas, quod nec ad Dei negotium nec ad decus imperii et Ecclesie velint habere respectum, tam celebris tribunalis in eos sententie gladius exeratur : que nullius appellationis nec supplicationis remedio suspendetur, sed in rem transiens judicatam, effectum dante Domino debitum e vestigio consequetur. Et ut in omnibus antiquus et debitus mos et honor imperii conservetur, ecce quod ante faciem nostram de principibus nostris aliquem premittemus, cui plenariam dabimus potestatem universitates quaslibet ac etiam personas singulares extra culminis nostri gratiam in banno imperii existentes, in plenitudinem nostre gratie recipere, prout honori nostro et imperii viderit expedire. Premittendo etiam principi potestatem conferre decrevimus in contumaces nova banna decernere et debita eos animadversione punire; illo presentibus expressim inserto, quod nos promittimus inviolabiliter observare, et observari ab universis et singulis imperii fidelibus et principibus faciemus quicquid de restauratione gratie nostre cum quibuslibet universitatibus seu personis per ipsum extiterit ordinatum : nec minus honori et voluntati nostre satisfactum habebimus quicunque, dicto principe mediante, gratiam nostram debita devotione poposcerit, quam si a nobis ipsam presentibus obtineret. Tu vero, velut fidelis et prudens, teipsum ad curiam supra dictam hono-

(a) In epist. Petr. de Vinea et in Paris. codic. *Parmam;* minus tamen recte, quum ex aliis discamus testimoniis curiam apud Placentiam indictam ex legatione Jacobi Prenestini episcopi impeditam extitisse.

rifice prepares, potestatibus, consiliis atque communibus civitatum (*a*) Mediolanensis, Novariensis, Pergamensis, Vercellensis, Alexandriensis, Brixiensis et Laudensis ex parte nostra precipiens ut ambasiatores suos, civitatum ipsarum autoritate munitos, in dicta nostra curia ad nostram studeant presentiam destinare : qui pro parte universitatum suarum, tam super Terre Sancte negocio quam super reformatione imperii et justo ac pacifico statu terre, nostris et imperii se mandatis exponant. Scripsissemus utique predictarum universitatibus singulis civitatum, nisi quod esse preposterum principum nostrorum consilia crediderunt ut devotionem ipsarum imperialium apicum scriptura preveniat, nec nostrarum prescriptio literarum merito poterat illis gratiam nostram exponere, qui eam assequi non nituntur. Nos autem gratis auspiciis, in festo beati Joannis Baptiste proxime nunc futuro, aquilarum victricia signa movebimus ab Augusta : subsequenter in festo beati Jacobi dictam regere curiam disponentes, illo nobis viam feliciter ostendente, qui novit prosperum iter dirigere, ac faciente qui potest.

[Maio.] Fridericus, Romanorum imperator, regi Bohemiae et aliis principibus suis varios et enormes excessus a duce Austriae tam circa imperium quam in ipsius terra perpetratos fusius enarrat, monetque ut in ejus correctionem et exterminium insurgant.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. III, cap. V; et ap. HANTHALER, cum notis, in *Fast. Campil.*, decas IV, § I, p. 832. Coll. cum codicib. Paris., inter quos *Notre-Dame*, n° 202, et *S. Germ. Harlay*, n° 455, variantes nonnullas lectiones afferunt. Non dubitandum quin encyclica sit, licet in impressis nomen regis Bohemiae specialiter inseratur.)

Fridericus, etc., regi Bohemie, etc. Inviti trahimur ad tuam et alio-

(*a*) In impresso *Cumanis;* in cod. Harl. *Cumarum*, sive perperam pro *civitatum*, sive re ipsa de Cumis agatur; quae urbs tunc societati Lombardorum adhaerebat.

rum noticiam principum adversus . . . (a) ducem Austrie materiam publice questionis afferre, cujus levitas ducta motibus inconsultis adeo processit in publicum, et ejus temeritas, contra honorem nostrum et imperii dignitatem verbo et opere attentata, nos tam graviter provocavit, quod transire non possumus ulterius incorrectos sue levitatis excessus. Revera quia diliximus patrem suum, merito paterni servitii cordi nobis est et cure in eundem ducem et filium ejus favorem paterne dilectionis effundere, et affectionem nostram erga suum commodum et honorem ostendere cum effectu. Itaque cum apud Ravennam curiam indixerimus celebrandam, vocavimus ipsum, sicut ceteros principes, ut veniret, proponentes eum amore paterno recipere ac fovere. Sed majori parte principum in multis laboribus et expensis venientibus a remotis, ipse, qui opportunus venire poterat, suum denegavit accessum. Deinde nobis transeuntibus Aquilegiam, cum eum ibidem videre vellemus, vocatus venire pueriliter recusavit. Quod et nos, habentes respectum ad paterna servitia, dissimulare voluimus, etatis sue motibus adscribentes; quin potius ut eo non recederemus inviso, contulimus nos personaliter ad terram suam Portus Naonis (b), quam habebat in Foro Julii; et ibi moram trahentes, misimus pro eodem, ut si molestum sibi fuerat in civitatibus nostri imperii nos vidisse, ad terram suam pro nobis accedere non vitaret. Quem venientem venerabili affectione recepimus, satagentes ei verbo et opere complacere; tantam insuper sibi gratiam facientes quod pro sopienda lite, quam in exactione dotis [sororis] sue filius noster . . . (c) contra eum jure et viribus attentabat, octo (d) milia marcharum promisimus exhibenda; non omittentes ei satisfacere de pulchris equis et aliis donativis, ac libentissime procurare parati que suis grata essent affectibus et accepta, ut eum redderemus nostris aspectibus gratiorem. Nuper autem in Alaman-

(a) In impressis *Henricum*, male, dum de Friderico agatur. In codicibus vero nomen punctis suppletur.

(b) Ap. Petr. de Vin. *Porte Nove*, male. Cf. supra p. 363, not. 1.

(c) Ap. Petr. de Vin. *Conradus*, male, dum de Henrico patenter agatur. In codicibus nomen punctis suppletur.

(d) In cod. Paris. 455, *septem*.

niam venientes, quia de ipso fiduciam habebamus, non dubitavimus personam nostram in terram suam Stirie committere, ut ei daretur major de nostra gratia presumptio, ac ipse ad nostra beneplacita se magis obsequiosum et benevolum exhiberet. Idem vero cum essemus in eadem terra sua, non erubuit duo milia marcharum a nobis exigere pro guerra tibi et illustri regi Ungarie facienda, quas quia sibi non dedimus, dixit se nobis nunquam in antea serviturum, ut quadam violentia non agnosceret dominum coram quo tam improbe loqueretur. Non tamen propter hoc moti nos fuimus, sed patienter juvenilem ejus dissimulavimus levitatem, habentes nihilominus in proposito sua commoda promovere. Indicta etiam Moguntina curia generali, convocavimus eum ad eandem curiam termino constituto, prout generaliter et specialiter singuli principum fuerant evocati. Qui cum prefixo tempore convenissent, idem dux nedum venire contumaciter recusavit : quin potius cum campestri exercitu, absque nostra licentia vel assensu, terram regis Ungarie hostiliter et violenter ingressus, adeo tantum principem provocavit quod expeditione facta, imperii fines intravit, non sine injuria nostra et imperii lesione, humilians eum ad sua beneplacita et mandata. Interim etiam non contentus quod conterminum sibi regem turbaverat, principes imperii, videlicet te regem Bohemie, venerabilem Salzeburgensem (*a*) archiepiscopum, Brandeburgensem (*b*), Pataviensem, Ratisponensem, Frisingensem episcopos, Bavarie ducem, et Moravie marchionem non dubitavit offendere (*c*), auferens eis jura et redditus, que in Austrie et Stirie ducatibus possidebant. Ad cujus debitam ultionem tanta moles principum irruisset, nisi quod pacem imperii turbare vitantes, nobis et imperio detulerunt, sepe coram nobis specialiter per literas et nuncios non leves querimonias deponentes. Delate sunt etiam querele multiplices coram nobis pro parte hominum terre

(*a*) Ap. Petr. de Vineis *Madeburgensium*, male. Caetera quoque nomina ex codic. emendamus.

(*b*) Sic in omnibus. Rectius tamen legendum *Babenbergensem;* quod suspicatus fuit Hanthaler, loco citato, not. *K*. Quid enim dissidii duci Austriae cum episcopo Brandenburgense usque adeo remoto esse potuerit, non dispicimus.

(*c*) Alias *fecit offendi*.

sue, quod justiciam et judicium de terra sua proscripserit : et cum iniquitate fedus iniens, prorsus abjecerit equitatem, viduis et orphanis, quos jure fovere debuerat, molestus existens, divites opprimens, pauperes conculcans, humilians nobiles et destruens populares, diversis flagitiis afficiens subditos; nullam adversus eos aliam causam habens, nisi quod pium esse sibi credit et licitum quicquid libet. Ministeriales et alios infeudatos, quos ab imperio tenet, tanto graviori persequitur voluntate, quanto in odium nostrum et imperii afflictos immaniter ab ipso percepimus et quanto (*a*) de ipsis cogimur dubitare. Data igitur per eum effreni licentia luxui, et mente ipsius in omnem viam malicie turpiter inquinata, deflorat virgines et facit a suis complicibus deflorari, matronas venerabiles deshonestat, auferens filias patribus, et viris mulieres (*b*) per violentiam. Et utinam his contentus non excogitaret in patrum animas et virorum! in quorum necem diversas species mortis exaggerat, quibus trucidet miserabilius innocentes. Pro quorum ineffabili malorum cumulo, mota fuit sepe nostre preeminentia dignitatis. Sed nos paterni servitii memores, voluimus cum lenitate procedere, intendentes a via mala virum impium revocare. Quapropter monnimus eum et benigne rogavimus ut ad colloquium preterite curie preterita hyeme indictum Auguste veniret, ubi de restitutione status sui comparanda (*c*) cum predictis principibus atque tecum, et abolenda infamia supradicta eum alloqui et cum eo disponere volebamus; provisa ei, juxta requisitionem et velle suum, securitate conductus de personis quas et quot voluit exegisse; illam eidem gratiam exhibentes quod quia dubitabat pro hujusmodi querimoniis diu morari, promisimus ei per nuncios suos quod moram et reditum ad suam permitteremus fieri voluntatem, et quod eum super objectis ad justiciam nullatenus cogeremus, etiamsi deberemus de offensis principum satisfacere per nos ipsos. Deinde quia apud Augustam ad curiam venire noluit, supplicantibus nobis pro iterata citatione sua dilecto principe nostro venerabili Salzeburgensi archiepiscopo et aliis, nunciis suis et[iam] acceptantibus ut

(*a*) Haec a verbo *afflictos* in codicibus 202 et 455 desunt.

(*b*) In codicib. *conjugatas*.

(*c*) Ap. Petr. de Vin. (edit. de 1566) *et ipso comparandi* : quod sensu omnino caret.

ad Agenum apud (*a*) nostram provinciam citaretur, indiximns sibi eundem locnm et terminum competentem, in quo apud Agenum (*b*) ad nostram presentiam se conferret, ibidem de bono statu et integritate fame sue disponere cnpientes (*c*). Ipse vero cnm non posset vnlnerate conscientie sue nefanda contegere, etsi sepius exposuit se ventnrum, semper illusit, et potentiam nostram in superbia et abnsione contemnens, datus in sensum reprobnm et penitns effectns ingratus, cepit contra personam nostram verbo et opere machinari : ita (*d*) ut preter insidias quas in captione dudum (*e*) filii nostri H. in itinere manifeste proposuit, cum Mediolanensibus et aliis inimicis nostris contra honorem nostrum et imperii moliretnr. Sed (*f*) nequiter contra animam nostram excogitans, misit nnncios suos ad seniorem Montane, qui dicitur Assisinus, promittens ei pecuniam infinitam, ut nostram lederet majestatem. Alio etiam spiritn sue fatnitatis inductus, quod nobis est valde molestnm, non est veritus attentare sanctissimnm in Christo patrem nostrum snmmum pontificem, ut sibi esset favorabilis inducere satagendo. Preterea nuncios nostros in securitate sua et conductu receptos spoliari mandavit. Xenia quoqne per dncem Roscie (*g*) nobis transmissa a nnnciis ejns in contumeliam et injuriam nostram fecit anfferri. Castra autem que . . . Ratisponensis qnondam advocatus (*h*) nobis et imperio in sua morte legaverat, non est veritus occupare, nec omisit cnncta presumere que nobis essent et imperio nocnmenta. Qui, cum nec Deum timeat, sicut dicitur, nec terrenum velit dominum revereri, nature reverentiam non observans, . . . nobilem domiuam matrem suam suis bonis omnibus spoliatam, de terra sna tnrpiter effngavit : et

(*a*) Codicem 455 sequimur. In impresso *apud Agamiensem;* in cod. 202, *apud Anganonensem,* ambo male. Agitur enim de *Hagenowe.*

(*b*) Ap. Petr. de Vin. *Agamiam*, male.

(*c*) Alias *proponentes.*

(*d*) In codicibus *et;* ap. Petr. de Vin. deest.

(*e*) Ap. Petr. de Vin. (edit. de 1566) *dum*, male.

(*f*) *Sed* in codicibus deest.

(*g*) Sic ex codicibus emendamus. In edit. de 1566 *Bossie.*

(*h*) Hic in editione de 1566 additur *imperii :* quod in codicibus juste deest.

si manus in eam mittere potuisset, ubera ejus infelix homo precidere minabatur. Et nisi ad te dilectum principem nostrum et affinem habuisset confugium, cum consilio tuo postmodum ad presentiam nostram accedens, non haberet ubi caput tante nobilitatis domina reclinaret; que lacbrymis apud Deum et nos clamore continuo querula, non cessat justiciam sibi adversus tam improbum filium implorare. Nec possumus silentio preterire qualiter marchionem Misnensem, sibi sorore sua nuptui tradita, et in terra sua nuptiis celebratis, cum prima thori gaudia coluisset, aggressus est eos in lecto nudos et surgere non permisit, donec eos in manibus ejus omnem dotem et jus de quibus tenebatur eis pro maritagio respondere, oportuit necessario remisisse, contra securitatem sibi promissam quod nullam deberet eis petitionem facere vel remissionem aliquam postulare; metu insuper incusso (a) ministerialibus suis quod nullus evaderet, nisi quicquid petierat compleretur; ut sibi et aliis suis intimis persecutor et tyrannus ab omnibus in communi operum judicio censeretur. Quibus omnibus lacessiti, cum tanta sit ipsius iniquitas quod non possit veniam promereri, ad tot queremonias principum in nostra presentia replicatas, ad querelas et lachrymas matris sue petentis de nostra sede judicium, ad lachrymosas voces nobilium et popularium, orphanorum et viduarum, et omnium inhabitantium terram suam, coram Deo et nobis clamantium contra eum; attendentes insuper offensas nostras et imperii per eum nequiter attentatas, ad condignam correctionem ejusdem, exigente justicia, duximus insurgendum, responsuri stulto (b) secundum stulticiam suam, ne sapiens sibi videatur, sed discat per se ipsum qualiter Deum timere debeat, ac nos et imperium teneatur omnibus modis revereri. Que omnia tibi et aliis principibus nostris duximus exponenda, ut rei certitudo ad ejus exterminium pateat universis (1).

(a) In codicib. *inconcusso*, sed ibi male.

(b) Ap. Petr. de Vin. (edit. de 1566) *studio*, pessime.

(1) Hanthalerum secuti, hanc epistolam quasi praeviam regi Bohemiae imperatorem direxisse arbitramur, qua ei proxime a se faciendam Friderici Austriaci proscriptionem significaret. Quum autem mense junio apud Augustam foedus contra ducem Austriae fuerit initum

Boppardiae, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, Hermanno magistro domus Theutonicorum Sanctae Mariae et fratribus ejus confirmat collationem cujusdam domus cum curte apud Bopardiam a Lutgardi de Waltmanshausen eisdem factam.

(Edidit J. H. Hennes, *Cod. diplom. ord. S. Mariae Theuton.*, p. 105, n° 94, ex origin. in archivo Vindobon.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jherusalem et Sycilie rex. Per presens scriptum patere volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod frater Hermannus venerabilis magister domus Theutonicorum Sancte Marie in Jherusalem et fratres ejus, fideles nostri, supplicaverunt nostre celsitudini proponendo quatinus quia Lutgardis de Waltmannenshusen vidua contulerat sibi et domui sue apud Bopardiam quandam domum suam cum curte quam de bonis suis mobilibus emerat, secundum quod per obtentam generalem in Bopardie curia sententiam res de bonis mobilibus conquisitas licite cui vellet conferre poterat et legare, collationem ipsius dictis magistro et fratribus factam ratam habere et de nostra sibi confirmare gratia dignaremur. Nos autem justis eorum supplicationibus favorabiliter annuentes, collationem ejusdem domus cum curte, sicut juste per eamdem Lutgardam facta est, ratam habemus et de innata nostri culminis gratia eisdem magistro et fratribus confirmamus; presentis scripti mandantes edicto quatinus nullus advocatus, scultetus, nullave persona alta vel humilis, ecclesiastica aut mundana, predictos magistrum et fratres contra presentis ratihabitionis et confirmationis nostre paginam temere impetere vel molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad cujus rei futuram me-

(cf. infra p. 882), ad mensem maium et forsitan dum curia Confluentiae celebraretur, encyclicam reponendam esse censemus.

moriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo nostro jussimus communiri, anno, mense, indictione subscriptis.

Hujus rei testes sunt dilecti principes nostri : Th. venerabilis Treverensis archiepiscopus, H. lantgravius Thuringie et comes palatinus Saxonie, Fridericus comes de Zolre, comes Theodericus, et alii quamplures qui interfuerunt.

Data Bopardie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense madii, nono indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit Johanni Leodiensi episcopo se ad supplicationem decani et capituli Sancti Servatii de Trajecto, ipsius provisioni et defensioni eamdem capellam in spiritualibus et temporalibus committere, ut hanc ab incursionibus malignorum tueatur. Wiesbaden, 18 maii.

(Inedit. ex originali ap. *Archiv. de l'État à Liége*, quondam servato in chartulario veteris capituli Sancti Lamberti (capsa 4, sec. armar.); a tergo hujus pergamenae affixum est membraneo laqueo in transversum deducto sigillum cereum adhuc integerrimum, ubi imperatoris effigies sub solita figura insculpitur. Adest ejusdem mandati exemplar in *Chartul. S. Servatii* ap. Biblioth. imper. Paris., t. III, fol. 42 verso, et 239 verso.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, Johanni venerabili Leodiensi episcopo dilecto principi suo gratiam suam et omne bonum. Supplicarunt celsitudini nostre decanus et capitulum Sancti Servacii Trajectenses, cappellani et fideles nostri, ut ipsos et cappellam eandem que in terminis tue diocesis constituta te respicit in spiritualibus, cum universis hominibus, bonis et juribus suis temporalibus que nos et imperium respiciunt, cum super diversis gravaminibus suis et singulis ad nos recurrerent incommode et difficulter, deffensioni tue qui comode potes intendere, committere dig-

naremur. Volentes igitur predictorum cappellanorum nostrorum et cappelle que a divis nostris progenitoribus est fundata, commoditatibus providere, ipsorum decani et capituli predicti precibus favorabiliter annuentes, ipsos cappellanos et cappellam Sancti Servacii cum universis hominibus, bonis et juribus temporalibus que nobis et imperio spectant, deffensioni tue duximus committenda; mandantes devotioni tue et precipientes quatinus juxta juris tui debitum eidem cappelle in spiritualibus provideas, nostraque nichilominus auctoritate eosdem, cappellam et ipsi cappelle pertinentia deffendens (*sic*) ab insultibus malignorum, ut ad nos pro deffectu justicie recurrere non cogantur.

Datum apud Wisebaden, XVIII madii, none indictionis.

Wiesbaden, maio.

Fridericus, imperator, abbatem et conventum de Heisterbach Cisterciensis ordinis sub sua et imperii speciali protectione recipit.

(Edidit Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. band, p. 108, n° 206; ex libro copiali sec. XVII exarato ap. Dusseldorf, fol. 12.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis fidelibus nostris imperii tam presentibus quam futuris quod venerabilis abbas et conventus monasterii de Heistirbach, Cisterciensis ordinis, fideles nostri, majestati nostre humiliter supplicarunt ut tam ipsos quam bona monasterii ejusdem sub nostra et imperii protectione de gratia nostra recipere dignaremur. Nos igitur supplicationibus suis benigne et favorabiliter inclinati, dictos abbatem et conventum fideles nostros et monasterium ipsum cum omnibus bonis suis que in presentiarum juste tenet et possidet et que in antea justo titulo poterit adipisci, sub protectione nostra et imperii recepimus speciali. Presentium igitur tenore mandamus firmiter inhibentes quatinus nullus sit qui prefatos abbatem et conventum fideles nostros ac ipsum monasterium contra hujus protectionis

paginam ausu temerario in aliquo molestare, indebite impedire vel inquietare presumat; quod qui presumpserit, indignationem culminis nostri se noverit incursurum. Ad hujus autem rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Datum apud Wisebade, anno dominice incarnationis MCCXXXVI, mense maio, none indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, magistram et conventum monasterii Füssenich (juxta Zülpich) cum omnibus earum bonis sub sua et imperii protectione recipit. Apud Frankenford, maio.

(Edid. Hugo, *Annal. Premonstr.*, t. I, probat., p. 572.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis fidelibus nostri imperii tam presentibus quam futuris quod magistra et conventus monasterii Vusenicz, fideles nostre, majestati nostre humiliter supplicaverunt ut tam ipsas quam bona monasterii ejusdem sub nostra et imperii protectione de gratia nostra recipere dignaremur. Nos igitur supplicationibus suis benigne et favorabiliter inclinati, dictas virgines et conventum fideles nostras et monasterium ipsum cum omnibus bonis suis que in presentiarum juste tenet et possidet et que in antea justo titulo poterit adipisci, sub protectione nostra et imperii recipimus speciali. Presentium igitur tenore mandamus firmiter inhibentes quatenus nullus sit qui prefatas magistram et conventum fideles nostras ac ipsum monasterium contra hujus protectionis nostre paginam ausu temerario in aliquo molestare, indebite impedire vel inquietare presumat. Quod qui presumpserit indignationem culminis nostri se noverit incursurum. Ad hujus autem rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Datum apud Franszen (1), anno dominice incarnationis MCCXXXVI, mense maio, nona indictione.

Apud Herbipolim, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, pro gratis et devotis civium Wormaciensium servitiis, privilegium eisdem a se tempore regni sui indultum inserit et renovando confirmat.

(Edider. MORITZ, *Abhandlung von Worms*, append., n° XIV, p. 169.— HANSSELMANN, *Diplomatisch. Beweiss des haus. Hohenlohe*, tom. II, p. 278, n° CCXII.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Imperialis clementia eorum juste devotis petitionibus aures sue pietatis accommodat quorum obsequia digne prestita tanto liberalius desiderata merentur accipere, quanto ipsa servitia majestas imperialis gratiora se recolit recepisse. Tunc enim jocunda subditorum devotio in solita persistit et ad serviendum imperio ferventius animatur. Hac siquidem ratione ducti, notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod constituti coram nobis cives Wormatienses devoti et fideles nostri exhibuerunt celsitudini nostre quoddam privilegium ipsis a majestate nostra contraditum tempore regni nostri, supplicantes illud innovari pariter et de plenitudine nostre gratie confirmari; cujus tenor talis erat :

[Sequitur de verbo ad verbum privilegium datum apud Frankenfort, anno MCCXX, XII calendas maii, indict. octava; quod supra videndum, t. I, p. 925.]

Nos itaque attendentes puritatem fidei ac devotionis qua prenotati cives Wormatienses progenitoribus nostris divis augustis constanter et

---

(1) Sic ap. Hugo, ex copia verisimiliter mendosa, cum fuerit in authentico *Franckenford* vel hujusmodi. Locus enim optime itinerario se accommodat.

fideliter hactenus adheserunt, recolentes nihilominus quod pro servitiis tempore necessario nobis et imperio prestitis ipsis teneamur ad digna premia respondere, ut eorum devotio et virtus laudata crescens, gaudens in posteris et jocunda nostros etiam transeat ad heredes, devotis eorum supplicationibus favorabiliter annuentes, de plenitudine imperatorie dignitatis presens privilegium innovare duximus et confirmare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram renovationis et confirmationis nostre paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Quod qui presumpserit indignationem summi judicis nostramque iram in se sentiet incurrisse.

Ego Sifridus Ratisponensis ecclesie episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sifridi Maguntine sedis archiepiscopi et in Germania archicancellarii, recognovi.

Testes hujus rei sunt : venerabiles Sifridus Maguntinus, Theodericus Trevirensis archiepiscopi, Otto dux de Bruneswic, Otto comes palatinus Rheni et dux Bawarie, Henricus lantgravius Thuringie, frater Hermannus magister Theutonicorum, Hermannus marchio de Baden, Conradus burgravius de Nuremberc, comes Fridericus de Zolre, Godefridus comes de Ziegen[hain], Gotefridus et Conradus de Hohenlo comites Romaniole, Eberhardus et Otto fratres de Eberstein, Wernherus dapifer de Bonlandia, Heinricus de Bappenheim imperialis aule marscalcus, Philippus de Bonlandia, Philippus de Hohenvels, et alii quamplures.

Signum domini nostri Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXVI, mense maii, none indictionis, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, Romani imperii ejus anno XVII (a), Jerusalem XI, regni vero ejus Sicilie XXXVII (b), feliciter. Amen.

[Datum] apud Herbipolim, anno, mense, indictione prescriptis.

(a) Recte autem *XVI.*

(b) Recte autem *XXXVIII.*

Apud Herbipolim, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, sculteto de Oppenheim et successoribus ejus mandat ut jura et consuetudines quae cives de Oppenheim a majestate sua tenent, observare studeant.

(Inedit. ex originali in archivo Darmstadtensi, n° 13; sigilli cerei fragmentum laqueis membraneis pendet.)

Fr., Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sycilie rex, sculteto de Oppenhein et universis scultetis ibidem pro tempore constitutis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Quum ad hoc jura specialia per privilegia et scripta publica conceduntur ut status devotorum imperii de bono in melius augeatur, hinc est itaque quod nos future utilitati civium nostrorum de Oppenhein providere volentes, tibi tuisque successoribus mandamus per optentum gratie nostre firmiter precipientes quatinus jura et consuetudines civitatis de Oppenhein que per privilegia pro ipsis civibus nostra majestas introduxit, tam in civitate quam extra civitatem in terris et in aquis taliter observare studeatis ut se munitos privilegiis nostris gaudeant et vos indignationem nostram possitis evitare.

Datum apud Herbipolim, anno dominice incarnationis M. CC. XXXVI, mense madii, none indictionis.

Apud Herbipolim, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Philippi de Hohenvels fidelis sui, filio et filiae ejus Philippo et Elizabeth feuda quae ipse Philippus ab imperio tenet, post mortem ipsius possidenda concedit.

(Inedit. ex originali in archivo ducat. Nassow. apud Idstein juxta Francofurtum; cujus copiam liberaliter nobis fecit vir egregius J. F. Boehmerus.)

Fr., Dei gracia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis presentes litteras inspecturis, fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Supplicavit celsitudini nostre Philippus de Hohenvels, dilectus fidelis noster, ut nos feuda omnia, que ipse a nobis et imperio tenere dinoscitur, filio suo Ph. et filie sue Elisabeth, non tamen in prejudicium filiorum, si quos in posterum ipsum generare contingeret legitimos, concedere dignaremur, et si ipsum sine prole aliqua premori contingeret, ad heredes legitimos redire deberent feuda supradicta. Nos vero suis precibus inclinati, de innata nobis mansuetudine filio suo prefato concessimus et filie sue possidenda legitime post mortem ipsius feuda memorata, et si eundem sine prole legitima premori contigerit, legitimos redeant ad heredes. Ad hujus itaque concessionis memoriam, presens scriptum sibi fieri jussimus sigillo nostro munitum.

Datum aput Herbipolim, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trecesimo sexto, mense madii, none indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, praepositum et conventum monasterii in Selbold cum omnibus eorum bonis, quorum quaedam enumerantur, sub sua et imperii protectione recipit. Apud Herbipolim, maio.

(Edit. ap. WENCK, *Hessische Landesgesch.*, 2ª pars, Urkundenbuch, p. 153, nº CXVIII.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. . . . . . salutem et omne bonum. Per presens scriptum notum esse volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos, divine pietatis intuitu quo personas Deo dicatas respicimus, venerabilem prepositum et conventum monasterii in Selbold, monasterium ipsum, villam juxta sitam eodem nomine et ad ea pertinentia, scilicet Hattengesesse, Witterams, Gunsrodes, Lobberbach, Mietla, Miroldis, Heilers, Geilnhusen. . . . . . et partem de Wech-

tersbach, decimas in eisdem prefatis villulis ac alia bona sua que in presenti juste tenent et possident et iu antea jnsto acqnisitionis titulo poterunt adipisci, snb uostra et imperii protectione recepimus speciali; mandantes et precipientes universitati vestre firmiter et districte ut nnllus sit (*a*) qui predictum prepositum, conveutum, monasterium et bona ipsorum contra presentis protectionis tenorem temere perturbare presumat. Quod qni presumpserit indignatiouem nostri cnlmiuis se uoverit iucnrrisse. Ad hnjus rei memoriam et robur iu posterum valiturum, presens scriptum fieri jussimus sigillo nostro munitum.

Datum apud Herbipolim, anno dominice incarnatiouis millesimo duceutesimo tricesimo sexto, meuse maii, none indictiouis.

Apud Herbipolim, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, abbatissam et conventum Porcetensem juxta Aquisgranum cum omnibus monasterii bonis sub sua et imperii protectione recipit.

(Edit. ap. LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XVIII, p. 308. — QUIX, *Gesch. von Burtscheid*, p. 231.)

Fridericns, Dei gratia Romanorum imperator semper augustns, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptnm uotum fieri volnmns nniversis fidelibus nostris imperii tam presentibus quam futnris quod ex parte venerabilis abbatisse et couventus Porcetensis juxta Aqnis, Cisterciensis ordinis, fidelium nostrorum, nostre fnit celsitudini hnmiliter snpplicatum nt tam ipsas quam monasterinm et bona mouasterii ejusdem sub nostra et imperii protectione de nostra gratia recipere dignaremur. Nos igitur ipsarum devotis supplicatiouibus misericorditer et beuignins inclinati, dictas abbatissam et conveutnm fideles uostras et mouasterium ipsnm cnm omnibus suis que iu presentiarum juste tenet et possidet et qne iu autea

(*a*) Erroneam certissime lectionem *vestre firmiter considerare nullus sit*, nunc ad solitam formam reducimus.

justo acquisitionis titulo poterit adipisci, sub protectione nostra et imperii recepimus speciali. Presentium igitur tenore mandamus firmiter inhibentes quatenus nllus sit qui prefatas abbatissam et conventum, fideles nostras, ac ipsum monasterium contra hujus protectionis nostre paginam ausu temerario in aliquo molestare, indebite impedire vel inquietare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus autem rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum fieri fecimus majestatis nostre sigillo munitum.

Datum apud Herbipolim, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXXVI, mense maii (a).

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Wenemari abbatis Portensis (de Pforta), privilegium eidem monasterio tempore regni sui a se indultum renovat et inserendo confirmat. Apud Werdam, junio.

(Inedit. ex originali, unde sigillum appendet, in archivo Dresdensi, n° 335.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Ad confirmanda salubriter ecclesiarum jura, illius intuitu cujus nomine sunt dicate, de cujus clementia feliciter imperamus, tanto favorabilius inducimur et tenemur quanto in conspectu summi regis gratiores efficimur, de cujus plenitudine potestatis jura imperii disponimus universa. Hac igitur consideratione ducti, tenore presentium notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod constitutus coram nobis venerabilis Wenemarus abbas Portensis monasterii, fidelis noster, presentabat culmini nostro quoddam scriptum concessum Portensi ecclesie tempore regni nostri, supplicans majestati nostre pro se et ecclesia sua idem privilegium de nostra gratia confirmari; cujus tenor talis erat :

(a) Nec plura. In apographo indictio deest.

[Sequitur de verbo ad verbum privilegium datum apud Nuenburg, 28 januarii 1215; quod supra videndum, t. I, p. 357.]

Nos igitur devotis supplicationibus predicti abbatis pro se et ecclesia sua Portensi favorabiliter inclinati, pro remedio anime nostre et divorum progenitorum nostrorum imperatorum et regum predictum privilegium indultum monasterio sepedicto tempore regni nostri eidem abbati et fratribus Portensis ecclesie de plenitudine imperialis gratie confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc divalem confirmationis nostre paginam infringere vel ei ausu temerario obviare. Quod qui presumpserit in vindictam temeritatis sue centum marcas auri componat, quarum media pars camere nostre, reliqua vero passis injuriam persolvatur. Ad hujus itaque confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et sigillo nostre celsitudinis fecimus insigniri.

Hujus autem rei testes sunt : venerabiles Eckebertus Babenbergensis, ... Pataviensis, Siboto Augustensis episcopi, Otto comes palatinus Rheni et dux Bawarie, ... lantgravius Thuringie, Conradus burgravius de Nuerinberc, ... burcgravius Magdeburgensis, Conradus de Tannerode, Gotfridus de Hohenloch comes Romaniole, Fridericus de Truhendingen, Gunzelinus de Wolfterbutel, Conradus pincerna de Wintherstet, et alii quamplures.

Signum domini nostri Friderici secundi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCC tricesimo sexto, mense junii, none indictionis, imperante domino nostro Frederico secundo, Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, Romani imperii ejus anno septimo decimo, Jerusalem undecimo, regni vero ejus Sicilie tricesimo septimo (1), feliciter. Amen.

Datum apud Werdam, anno, mense, indictione prescriptis.

---

(1) Ab hoc junio mense annus regni Siciliae tricesimus nonus jam initium sumpserat.

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat collationem ecclesiae Cellensi (Altzell), dioecesis Misnensis, ab Hartmanno de Salburg factam de triginta jugeribus lignorum prope Tutenberg, ad usum comandiae de Zwelsen perpetuo servituram. Apud Werdam, junio.

(Inedit. ex originali in archivo regio Dresdensi. Filis sericis flavi et violacei coloris pendet sigillum cereum in media sui parte fractum et deperditum.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Quoniam pietate suadente imperatoriam condecet majestatem claustralium virorum (a) utilitati providere et cautele prospicere, ideo notificandum duximus universis tam presentibus quam futuris quod collationem quam contulit nobilis vir Hartmannus de Salburc dictus in lignis XXX jugerum prope Tutenbere pro remedio anime sue ecclesie Cellensi Cisterciensis ordinis, Misnensis diocesis, ad usum comandie que vocatur Suesen (b) perpetuo servitura (*sic*), nos imperiali auctoritate eamdem collationem libere ratam habentes, eidem ecclesie confirmamus. Ad hujus autem nostre confirmationis futuram memoriam et robur perpetuo valiturum, presentem litteram fieri et bulla (c) majestatis nostre jussimus insigniri.

Hujus autem rei testes sunt : venerabilis Eckebertus Babenburgensis episcopus, Syboto Augustensis episcopus, Bernhardus abbas de Buch, Otto comes palatinus Reni, Henricus lantgravius Thuringie, Conradus burgravius de Nurenberc, Albertus burgravius de Magdeburc, Conradus de

(a) Pergamena, praecipue in hac parte, temporum injuria deleta est; sed adhuc legi potest, si accuratius litteras inspexeris.

(b) Hodie *Zwelsen*.

(c) Bulla dicitur, licet revera sigillum cereum appensum fuerit.

Tauneurode, Godefridus de Hoeuloch comes Romaniole, Fridericus de Truheudingen, Couradus pincerna de Winterstede, et alii quamplures.

Siguum domiui Friderici secuudi, Dei gratia invictissimi Romauorum imperatoris (*Monogramma*) semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec auno domiuice iucarnatiouis millesimo duceutesimo tricesimo VI°, meuse junii, none iudictionis, imperante domino nostro Friderico, gloriosissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege iuvictissimo, auuo Romani imperii ejus septimo decimo, regni Ierusalem XI°, regni vero Sicilie XXXVII°. Amen.

Datum apud Werdam, anuo, mense et indictione prescriptis.

Interamnae, 10 junii.

Gregorius papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat episcopum Prenestinum a se ad partes Lombardiae de pace promovenda fuisse destinatum, hortaturque ut magistrum Theutonicorum ad suam praesentiam sine dilatione transmittat.

(Edid. Raynald., *Annal. Eccles.*, tom. XXI, § VI, ad ann. 1236, e regest., lib. X, n° 103, sed minus integre; cui complementum addimus ex collect. Laporte du Theil in Biblioth. imper. Parisiensi.)

Gregorius, etc., carissimo in Christo filio F., Romanorum imperatori semper augusto, Jerusalem et Sicilie regi illustri, salutem, etc. Accedentem ad Sedem Apostolicam dilectum filium magistrum Rogerium canonicum Saleruitauum, uuutium tuum, benigue recepimus et tam ea que idem coram uobis propouere voluit quam que tue littere continebaut, iutelleximus diligeuter. Verum cum olim ad nostram notitiam perveuisset quod iu Lombardiam processus suos imperialis celsitudo dirigeret, nos illum qui sola Deo placita efficere ac omui persouarum acceptioue remota pacem desideraret et concordiam promovere, illuc dirigere cupientes, veuerabilem fratrem nostrum episcopum Prenestiuum ad partes Lombardie de fratrum nostrorum consilio providimus desti-

uandum, de quo firmam potes fiduciam gerere, quod cum a se sua et suos propter Deum abdicaverit et semetipsum ejus servitio totaliter dedicarit, ad ea dumtaxat studebit procedere quibus honorem Ecclesie possit ac imperii confovere, sicut ex ipsius operibus colligere poteris evidenter; et si qui aliud suggerant, imperialis excellentia auditum malevolis interdicat. Tandem vero litteris tuis receptis, petitionem tuam de mittendo ad partes ipsas venerabilem fratrem nostrum patriarcham Antiochenum, propter ea que premisimus nequivimus exaudire. Ad hec cum plurimum bonori tuo expedire credatur ut adventum tuum dilectus filius magister hospitalis Sancte Marie Theutonicorum Jerosolymitani precedat, excellentiam tuam monendam duximus attentius et hortandam quatenus magistro injungens eidem quod faciem tuam itinere festinato preveniens ad nostram venire presentiam non postponat, ipsum nobiscum de hiis que ad honorem Ecclesie et imperii pertineant tractaturum sine dilatione transmittas (1). Credimus enim, si nostris detur stare consiliis, ea nos Deo adjuvante disponere, quibus confusis pacis emulis concordia inter Ecclesiam et imperium reformata indissolubiliter valeat observari.

Datum Interamne, IV idus junii, anno decimo.

Adsunt insuper (n^{is} 105 et 106) cum notis chronologicis eisdem litterae Aquilegensi et Gradensi patriarchis, Mediolanensi, Ravennatensi et Januensi archiepiscopis eorumque suffraganeis, Papiensi, Placentino et Ferrariensi episcopis, abbatibus, prioribus et caeteris per has dioeceses constitutis praelatis, item nobilibus et communitatibus per Lombardiam, marchiam Tervisinam et Romaniolam constitutis directae, quibus papa episcopum Prenestinum a se cum plenae legationis officio pro pace reformanda missum nuntiat.

---

(1) Paulo ante, scilicet 4 junii, magistro hospitalis Theutonicorum papa scripserat ut ad se veniret de pace inter Ecclesiam et imperium tractaturus. Incipit : *Ab arbore*. Datum Interamne, II nonas junii. *Index epist. Gregor. IX*, anno X, n° 104.

Interamne, 24 junii.

Gregorius papa Fridericum Romanorum imperatorem monet ut nepotem regis Tunicii ad Sedem Apostolicam accedere volentem et injuste in regno detentum dimitti faciat.

(Inedit. ex regestis Gregor., anno X, epist. 123, in collect. Laporte du Theil, ap. Bibl. imper. Paris.)

Gregorius, etc., Frederico Romanorum imperatori, etc. Quidam nepos regis Tunici, apertis iu agnitionem veritatis iutelligeutie sue oculis collirio verbi Dei, ad nostram pro recipiendo baptismi sacramento presentiam accedebat. Sed cum intellexissemns eumdem captum ac detentum a tuis, pro liberatioue ipsius direximus deteutoribus scripta uostra, maudautes ut cum iu tribns auui festivitatibus excommunicatos denuntiemus publice omnes illos qui spoliant vel capiunt seu detinent ad Sedem Apostolicam accedeutes et redeuntes ab ipsa, eum restitueret libertati. Verum cum ipsi maudatis non duxerint obsequeudum, quia uou decet imperialem excelleutiam factum hujusmodi tollerare, utpote quod in Creatoris reduudat injuriam et mauifeste fidei obviat et saluti, sereuitatem tuam rogamus et hortamur atteute quateuus quid fame tue expediat, quid honori, prudeuter attendens, cum uihil hoc esset aliud quam profectns fidei impedire, prefati regis nepotem dimitti facias uec impediri permittas quomiuus ad uos accedere valeat libere ac secure. Quod autem idem religiouem velit assumere ac alia que de ipso sicnt accepimus tue magnitndini snnt relata, noveris penitus esse falsa.

Datnm Iuteramne, VIII kalendas julii, anno X.

[Junio exeunte.]

Fridericus, Romanorum imperator, de Lombardis conqueritur quorum rebelliones et injurias seriatim enarrat, et nuntiat se,

cum isti nullis pacis conditionibus accedere velint, mox Italiam ingressurum, simulque objectiones papae de negotio Terrae Sanctae ineundo refellit.

(Initium edidit Matt. Paris, *Hist. maj. Anglor.*, p. 335, ad ann. 1239, sed erronee, et fragmentum G. Franc. Palladio, *Histor. del Friuli*, lib. V, p. 223. Primam autem tantummodo partem usque ad haec verba *vexatio tribuit intellectum*, prior retulit; quod eodem modo decurtatum quoque habemus in codice Parisiensi 8567, fol. 27, cum hoc titulo : « *Imperator per Petrum de Vineis.* » — Alteram vero majoris spatii et momenti partem nunc primum exhibemus e codice biblioth. Vindob. *Philol.*, n° CCCV, fol. 159 verso, 162 recto. Quem minus correcte scriptum in sensum intelligibilem convertimus.)

Fridericus, etc., regi Francie, etc. Inviti loquimur, sed tacere non possumus. Jam enim securis ad radicem arboris posita et gladius fere usque ad animam transiens labia dissolverunt, jusque datum sceleri scribimus et populum contumacem dexteram in viscera propria vertisse condolemus. Juri prefertur injuria et voluntas justitie dominatur, dum quidam Italie populi sceptrum contemnere conantur imperii, ac etiam proprie commoditatis immemores, libertatis cujusdam (*a*) vage luxuriam quieti pacis imponunt et equitati justitieque pretulerunt. Nec tamen a nobis rebellionem hujusmodi sumpsisse nunc primum exordium estimetis, sed avitas et paternas prosequimur injurias, et producta jam ad alias regiones libertatis invidiose propaginem nitimur supplantare. Sed nec ista dissimulasse aliquolibet modo nos hactenus aut conniventibus oculis pertransisse credatis. Quamprimum enim in nobis pubescentibus annis ac mentis et corporis calescente virtute, ad Romani culmen imperii preter spem hominum nutu solummodo (*b*) Providentie divine conscendimus ac regnum Sicilie, preclara materne successionis hereditas, ad jura nostra pervenit, aciem mentis nostre continuo direximus ad predicta. Ac demum ad consummationem propositi nostri miserabili casu de amissione Damiate tunc temporis materiam ministrante, cum venerabili patre nostro

(*a*) In impresso *ejusdem*, male.

(*b*) In cod. Philol. 305, *ex dispositione*.

Honorio summo pontifice apud Verulas colloquio celebrato, Verone de communi consilio pro negotio Terre Sancte et reformatione imperii solemnem curiam duximus indicendam, ubi tam nos quam predictus papa condiximus (a) interesse. Quo proposito et volubilitate consilii et motu rerum continuo presentium immutato, nos a tanto bono recedere non volentes, Ferentini denuo cum papa predicto collatione (b) habita, curiam apud Cremonam indiximus ad quam filium nostrum cum multis principibus imperii nostri vocavimus cum decenti militum comitatu, nihilominus de Italie partibus ducentes nobiscum milites, prout imperialis excellentie decus et tantum negotium condecebat. Ex quo Lombardi nobis et honori nostro rebelles, in spiritu contradictionis assumpti et in reprobum sensum dati, palliata occasione timoris propter ea quod armatorum consortio fruebamur, et nobis intendere tanquam ipsorum legitimo domino contempserunt, et ingressu in Italiam viarum difficultate prohibito, filium nostrum et principes a nostris aspectibus subtraxerunt. Ad exaggerationem dein nequitie adhuc occulte ac perfidie, malitiam manifestam insolentiamque adjecerunt, quod contra nos et imperium conspirantes, nobis presentibus et contemptis, conjurationes nefarias contraxerunt. Et sic desiderata filii nostri visione fraudati in Apuliam redeuntes, quia preparatio passagii transmarini ad quod tenebamur ex voto, tunc temporis nos arctabat, causam ipsam de satisfactione nobis et imperio facienda arbitrio summi pontificis commisimus terminandam, per quem in quingentis (c) militibus pro negotio Terre Sancte sub eorum sumptibus per biennium exhibendis fuerunt nobis arbitrali sententia condemnati. Quos nedum quod nobis transeuntibus ad nostrum obsequium transmisissent, immo inimico pacis Ecclesiam inter et imperium discordiam seminante, ipsos contra nos in Apuliam transmiserunt, et sic per contrarie satisfactionis modum precedentes injurias geminarunt. Redeuntibus autem nobis de partibus transmarinis ac inter nos et Ecclesiam dissensione sedata, de reformatione status imperii concepto proposito firmiter inherentes apud Ravennam

(a) In cod. Philol. 305, *convenimus*.
(b) In eodem cod. *colloquio*.
(c) Legendum vero *quadringentis*. Cf. supra, t. II, p. 703.

iternm de consilio beatissimi patris nostri Gregorii summi pontificis indiximus curiam generalem, sub inermi tantummodo et domestico comitatu, ut timor armorum et occasio frivola tolleretur. In qua nedum quod Lombardi predicti devotionis et obedientie nobis signa pretenderent, immo in oculis nostris fere civitatem Verone et Ezelinum de Romano, tunc temporis ad nostre fidelitatis obsequium noviter revocatos (1), extractis eorum carrochiis violenter invadere nitebantur, ad reverentiam nostre presentie nullo habito omnino respectu; accessum etiam filii nostri ad nos vel nostrum ad eum per terras et vias imperii que etsi nostre sint proprie, tamen omnibus sunt communes, denuo prohibentes, ita quod patris oculus tunc temporis etiam filium non vidisset nisi quod navali presidio, amore paterno qui contineri non poterat stimulati, nos Aquilegiam sub maris dubia sorte contulimus, ut predictum filium nostrum et principes qui ad nos devote se contulerant videremus. Nec adhuc defuit clementie nostre constantia quin aggressionis hostilis furore deposito, iterum et causam ipsam committeremus arbitrio Ecclesie terminandam. Ex eo tamen unde credidimus humanitatis eisdem exempla protendere, cornua ipsis indevotionis ereximus, referentes ab eis pro debita fide perfidiam et pro devotione contemptum; nec ulla predictis vexatio (a) tribuit intellectum quin ob jam dictas offensas in quingentis militibus, licet non nobis qui fueramus offensi, sed pro Terre Sancte subsidio, iterum condemnati, fidelibus nostris in partibus Lombardie multas intulerint molestias et jacturas. Ultimo proinde, cum pro servitiis Ecclesie in partibus Tuscie moraremur, ad persuasionem et consilium primo venerabilis patris Sabinensis episcopi et aliorum apud nos Sedis Apostolice legatorum, negotium

(a) Sic in omnibus : forsitan *veneratio.*

(1) Eccelinus de Romano, ut scribit Muratorius in suis *Annalibus*, mense januario 1232 apud Ravennam et frater ejus Albericus, teste coaetaneo Maurisio, mense maio apud Portum Naonis Fridericum imperatorem adierunt, imperiali parti nunc aperte adhaerentes. Die autem 14 mensis aprilis, Eccelinus Verona potitus est, expulso Guidone de Rho, tunc temporis pro parte Guelforum potestate. Cf. Paris. de Cereta, *Chron. Veron.* ap. Murator., *Script.*, t. VIII, et supra p. 362 et 407.]

Lombardorum Ecclesie arbitriu duximus committendum, non injuste credentes quod pars altera processum nostrum in eo imbecillitati virium uostrarum [non] impenderet, sed imperialis mansuetudinis titulis imputaret; quod postmudum ex toto per contrarium per effectum operis demonstravit. Nam post id iidem excellentie nostre rebelles, Florentinorum exemplo qui tunc temporis iu oculis uostris fere dum apud Reate essemus, fidelium uostrorum depopulationibus et incendiis uon parcebant (1), Mutinenses et Veronenses (2) fideles nustros hostiliter sunt aggressi, nobis eisdem invocautibus lacrymabiliter necessaria et desiderata suffragia uequeuntibus impertiri, velut circa negotium [Ecclesie] occupatis. Hiis omnibus non contenti, velut in profundum miseriarum immersi et ad omnis iniquitatis extrema deducti, in ipsius Dei injuriam et juris uaturalis uffensam, predicto comprumisso pendente, per uuntios usque in Theutoniam destinatos contra nos cum filio nostro conjurationis federa contraxerunt. Prupter quod ad expugnandam tanti facinoris corruptelam obstare principiis eligentes et favore divino in Theutoniam properantes, divina putentia gressus nostros abinde magnifice dirigente, nuutiis Lombardorum ipsorum de consiliu multorum principum turpissime mortis judiciu condempnatis, vite [tamen] et libertati pristine restitutis, ad Sedis Apostolice preces et monita (3) et magistri Hospitalis Sancte Marie domus Theutonicorum iu Jerusalem multam instantiam in solempui colloquio Maguntino uegutium supradictum denuo usque in festum Nativitatis dominice ad honurem uostrum et imperii commodum arbitrio Ecclesie commisimus terminandum; data sibi (*a*) spe nichiluminus per magistrum Petrum de Vinea magne curie nostre judicem, nuntium et fidelem uostrum,

(*a*) Scilicet *papae*, ut videtur.

(1) De bello tunc temporis inter Florentinos et Senenses, vid. *Chron. Sanese*, ap. Murator., *Script.*, t. XV, p. 25.

(2) In codice locus omnino mutilus est. Legendum est, ut arbitramur, *Cremonenses* pro *Veronenses*. Hoc enim loco agitur de praelio Zenevoltano quo, dum Fridericus in obsidione Raspampani detineretur, Mediolanenses auferre nisi sunt elephantem et dromadarios quos imperator cum magno comitatu Cremonam miserat.

(3) Cf. supra litteras Gregorii IX, p. 735.

ad terminum ipsum usque in festum tunc proximum Purificationis beate Virginis prorogandum. Cujus compromissi forma et die, prout per nostrum predictum nuntium propalam accepimus, per Sedem Apostolicam acceptatis, et predicto magistro Theutonicorum de mandato nostro et requisitione pape una cum G. de Arnestein sacri imperii in Italia legato velut ad recipiendum consummationem negotii procedente, dum per Lombardiam venerabilis . . . patriarcha Antiochensis (*a*) qui de legatione Sedis Apostolice jam a majori parte Lombardorum ipsorum pro (*b*) parte Ecclesie compromissum receperat, pertransiret apud Veronam existens, compromissione prefata pendente, rectores societatis ejusdem civitatem Veronensem in oculis ipsius magistri, premissa proinde multa pecunia et occultis aliis fraudibus, instanter ab obsequiis nostris eripere satagebant, et eripuissent utique, si magistri presentia non fuisset (1). Eodem magistro et G. deinde apud Este de consilio patriarche predicti presentibus, ubi rectores predicti acclamento contractus pacis suam palliare nequitiam nitebantur, marchionem Estensem, nobis et imperio ex antiqua progenitorum suorum stirpe fidelem, sacramentum societatis iuire renuentem, etiam lacrymabiliter coegerunt (2). Ezelinum etiam de Romano qui expositis omnibus que habebat, ad fidelitatem nostram promptissima devotione redierat, ad illud idem tunc temporis arctaverunt (3), alias magistro prefato nichilominus bonum pacis zelo laudabili sollicite prosequenti, condictis apud Bononiam loco et tempore, multipliciter illudentes. Et licet ex hiis [putarent] sepedicti nuntii nostri probabili satis conjectura

(*a*) Legitur in codice *venerabilem talem G. episcopum :* quod ita correximus et ex sequentibus et ex litteris papae quibus legationem patriarchae Antiocheno committit. Vide supra, p. 779 et not. 1.

(*b*) Superabundat in codice denuo vox *majori*.

(1) Quae omnia scriptoribus Italicis qui supersunt, penitus incognita videntur. De rebus Veronensibus vide supra papalem epistolam et imperiale responsum, p. 813 et 832.

(2) Corde tamen et animo Estensis marchio parti Guelforum semper adhaesit in posterum, sicut videbimus.

(3) De hoc nulla invenitur mentio apud Verci in sua Eccelinorum historia, neque id memoraverunt etiam scriptores coaetanei.

quod propterea accessus eorum ad Romanam curiam inutilis haberetur, nichilominus longe ante diem statutum partibus per patriarcham eumdem papali conspectui (a) presentati ac multum post diem procuratorum adverse partis adventum, non sine murmuratione multorum proinde nobis et imperio honorem debitum ledi credentium, expectantes, de licentia sua et fratrum per nostras postmodum litteras revocati ad nostram presentiam redierunt; moram ipsorum nedum per illusiones jamdictas inutilem arbitrantes, sed quod juxta petitionem pape, de honore et jure imperii mentione non facta nec adjecto « de consilio (b) principum nostrorum, » juxta formam mandati nostri, in summum pontificem compromittere non valebant. Nec possumus hujus verbum patris sub dissimulatione preterire quod conditionem ipsam « de honore imperii » quem immediate Ecclesie credimus deputari, scripsit tollere compromissum (1). Ad cujus expressionem de mero jure tenemur et debito et auguste titulo dignitatis, quum honorem imperii nec tacite nec expresse minuere possumus, sed augere. Nuper autem post reditum magistri prefati, Apostolica scripta recepimus (2) per que ad compromittendum in eum precise, magistri reditu repetito, ad hoc ut propositi nostri constanciam ab introitu Italie, quem procul dubio imperialiter duce Domino inire disponimus, possit avertere, constitutionis tenorem (c) de discordibus pro utilitate negotii Terre Sancte ad treugam vel concordiam revocandis apud Reate nobis presentibus edite ad nostram memoriam revocavit, hoc addito quod ad hoc aliqui ex magnis terre principibus sunt compulsi. Licet autem per ea que prediximus si placeret potuissent habere scripta responsum, dum frustra pro illorum pace sua (d) laboraret intentio qui pacem verbo solo . . . . (e), ut temporis oportunitatem inquirant, non facto

(a) In codice *consumptu*.
(b) In codice *abjecta consilia*.
(c) In codice *honorem*.
(d) In codice *sita*.
(e) Hic in codice quaedam desiderantur; videlicet *affectantes*, vel hujusmodi.

(1) Vide supra litteras Gregorii IX, p. 825.
(2) Vide supra, ibidem.

sequuntur, quum non nobis solum, sed Deo et catholice fidei et ipsi nature guerram movent, nos tamen utile esse credimus cum adjectione cujusdam admirationis eximie litteris Apostolicis respondere (1); ad quod (a) preces pape non solummodo nos inducunt, sed fortius causa precum, dum processum nostrum in Italiam, quem odiose quodam guerre vocabulo denotare velle videtur, occasione negotii Terre Sancte suspendi rogavit ad presens. Sed ut firmiter confiteamur, licet evidens [sit] nostri processus intentio quem ad nichil aliud direximus nisi ut Crucifixi negotium assumamus, quod provocari directius non valeret quam vigore justitie pacatis undique populis et imperii nostri viribus quod est in tam nobili regione dissitum (*sic*) et de cujus manu terra potissimum prestolatur auxilium, in integrum restitutis, non guerre nomine debuit tam salubre propositum denotari, sed juris executio potius, a qua omnis abest injuria, nuncupari. Nunquam enim intentionem pape talem esse credimus quod occasione transmarini negotii deberet justicie gladius hebetari. Nam et post edictam constitutionem eamdem, contumaciam Romanorum jura Ecclesie usurpantium, requirente Ecclesia, non dimisimus impunitam. Sic quilibet contra nos et imperium posset calcaneum indevocionis erigere, sic posset quilibet rapinas et furta ac quelibet scelera perpetrare, sed mucronem quem de manu Dei ad bonorum laudem et vindictam malefactorum accepimus, evaginare propterea non possemus. Nec magis (b) Lombardi predicti quum imperio nostro subjecti nobis dominii referunt questionem, nisi quod jura imperii nostri contumaciter retinentes, faciem nostram, quam pacificam ipsis voluimus, quantumcumque cum imperii nostri honore possumus tolerare, nec volunt devoti respicere, nec possunt pro timore justitie spectare securi. Hec igitur omnia vobis tam plane quam plene satiataque relatione transcripsimus ut ad scientiam et conscientiam vestram ex toto corde perveniant cum nostra justitia, et apud [vos] locum non

(a) In codice *quum*.
(b) Ibi quoque in codice quaedam desunt.

(1) Hoc responsum nusquam invenire potuimus, nisi sit hoc fragmentum *Italia hereditas mea est*, etc. Quod infra exhibemus p. 881.

habeat aliquis contrarius aut malignus interpres, qui quod nos pro recuperatione nostrorum jurium facimus, hoc cum aliorum injuria nos facere forte describat, aut incrementum negotii Terre Sancte que, velut Cunradi karissimi filii nostri materna successio, pre ceteris terre principibus specialius nos contingit, pretermittere; cujus, ut diximus, licet nos astringat ad presens instantia necessitatis, tamen periculum non astringit, utpote trengis inter nos et soldanum initis adhuc per triennium duraturis, quas in fidei nostre rupturam infringi nullo modo, quantum salubriter possemus resistere, medio tempore permittemus. Et cum credere non possimus rebelles nostros viribus nostris posse resistere aut viribus obviare, maxime cum non ad depopulationem ipsorum, nisi subjectorum rebellio furiosa nos provocet, sed ad reformationem imperii et statum terre pacificum intendimus, non se ista respiciunt tanquam contradictoria vel adversa; et infra triennium ad persecutionem officii nostri nostram armare justitiam et Terre Sancte presidia preparare decenti deliberatione, si nostris impedimenta processibus non prestantur et si consilium nostrum, qui (*sic*) circumstancias transmarini negotii presentes ibidem plene didicimus, acceptabit Ecclesia, cum auxilio Jhesu Christi plenam et indubitatam fiduciam obtinemus. Vos igitur cum ceteris regibus orbis terre interest plene perspicuas aures et oculos aperire et diligenter attendere quanta contradictionis fiducia omnibus a jugo dominii subtrahere se volentibus prebeatur, si Romanum imperium jacturam hujusmodi rebellionis pateretur; ac oculo cernite perspicaci si vobis expediat quod, cum ad edomandam interdum protervam audaciam subditorum intenditis, vestris negotiis extrinsecus aliquis [se] interponat, causamque aliquam aut occasionem afferat per quam vestra (*a*) precidat proposita vel retardet.

[Junio exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, apud papam se excusat quod transire ad Sarracenos hostiliter non possit, dum Lombar-

(*a*) Sub hac fine legitur in codice *nobis, nostris, nostra* : quod justum quoque sistit, dummodo pro *intenditis* corrigatur *intendimus*.

diam et praecipue Mediolanensium civitatem ubi tot haereses pullulant, primum debellandas habeat.

(Edit. ap. MATT. PARIS., *Hist. major. Anglor.*, p. 296, ad ann. 1236; et RAYNALDI, *Ann. eccles.* ad ann. 1236, § III, ex SIGONIO, *Hist. regn. Ital.*, lib. XVIII, p. 80. Quum authentica epistola quae huic compendio certissime locum dedit, nusquam appareat, fragmentum cui nihil sinceritatis insolita sua forma detrahit, ut arbitramur, ex auctore coaevo exhibemus.)

[Imperator domino papae.] Italia hereditas mea est, et hoc notum est toti orbi. Anhelare ad aliena et propria relinqnere ambitiosum esset et enorme; presertim cum Italicorum, precipue Mediolanensium, me injuriis lacessivit insolentia, in nullo mihi debitam exhibens reverentiam. Preterea christianus sum et qualiscumque servus iudignus Christi, accinctus ad crucis inimicos debellandos. Cum igitur tot hereses non tantum pullulent, imo sylvescant in Italia, et jam zizania segetes incipiant suffocare per civitates Italicas, precipue Mediolanensium, transire ad Sarracenos hostiliter expugnandos et illos incorrectos pertransire esset vulnus infixo ferro fomentis superficialibus delinire, et cicatricem deformem, non medelam procurare. Item solus sum et homo sum, nec ad tantum laborem sufficio ut inimicos crucis sine magno comitatu adeam debellaturus, incredulos qui tot sunt et tam fortes expugnando. Iterum cum sine thesauris magnis ad tam arduum negotium consurgere per me non sufficiam, opes ejusdem terre iu opem et ultionem Crucifixi convertere destinavi. Abundat quidem Italia armis, equis et opibus : hoc terra novit universa (1).

(1) Ad hoc quoque pertinere tempus credimus quasdam Gregorii papae litteras in codice biblioth. Vindob. *Philol.* 427 (637), cui titulus *Guidonis epistole*, f. 128 r°-v°, insertas : « G. episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis omnibus Longobardis presentibus et » futuris salutem et apostolicam benedictionem. Aures apostolice dignitatis tanto nos decet in» clinare benignius ad audiendas supplicantium voluntates, quanto id quod suadetur et queritur » peramplius convenit exaudiri. Ideoque justis precibus vestris annuentes, vobis in presenti » privilegio licentiam damus et concedimus liberam potestatem ut quotienscumque intrare vo» luerit imperator Romanus Italicam regionem, sicut in concordia illustrissime filie bone me» morie regine Constantie (!!) continetur, possitis societatem facere et juramentis et promissio» nibus vos ligare pro vestris rationibus conservandis, salvis honoribus et serviciis universis » que Romanis principibus qui pro tempore fuerint prestare debetis de pacto vel consuetudine

Apud Augustam, junio exeunte.

Interim imperator Augustam veniens manum militarem in campis Lici (Lechfeld) colligit, et inde profectus in vigilia Sancti Jacobi mille milites in Italiam secum ducit. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 369. — [Dux Austriae] edicta Friderici imperatoris, inimicitias principum contempsit, donec ab ipso Friderico per sententias principum in curia Augustae celebrata proscribitur et principatuum suorum honore privatur. HERM. ALTAH., ap. BOEHMER, *Ibid.* p. 504. — [Imperator] commisit regi Bohemiorum et duci Bawariae et quibusdam episcopis terram ducis Austriae expugnandam propter multiplices excessus et facinora quibus idem dux fama publica laborabat (1). Qui Austriam ingressi, adjunctis sibi nobilibus terrae quos ipse dux antea injuste oppresserat et de terra sua ejecerat, totam Austriam devastaverunt et imperatori subjugaverunt, praeter pauca castra munitissima in quibus ipse dux profugus se recepit. GODEFR. COLON. ap. BOEHMER, *Ibid.*, p. 369. — Dux graves etiam contra imperatorem de sororis suae dotalitiis, Margaretae scilicet (2), casuque sui mariti crudeli habuit simultates; quae anno Domini MCCXL ad plenam concordiam devenerunt. JOHANN. VICTOR. ap. BOEHMER, *Fontes*, t. I, p. 281.

» approbata; quibus per hoc privilegium nolumus in aliquo derogari. Si quis vero hoc attemp» tare presumpserit, iram omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli se noverit » incursurum. »

(1) Vid. supra p. 852 et seqq., imperiales contra ducem Austriae litteras et infra privilegium civibus Viennensibus datum, aprili 1237. Quibus tamen conferendum est quid dicant *Chronic. Salisb.* et *Chronic. Claustro-neoburg.*, ap. PEZ, *Scriptores*.

(2) Jam de istis dotalitiis lites et querelae fuerant exortae, dum adhuc Henricus septimus regimine potiretur. Qui quidem sub ultimis sui regni annis abbatem Sancti Galli ut rem cum duce componeret, pluries Viennam praemiserat. Cf. CONR. DE FABARIA, ap. PERTZ, *Monum.*, t. II, p. 180 et 181, et supra p. 853.

Fridericus, Romanorum imperator, foedus armorum init cum quinque nominatis imperii principibus adversus Fridericum ducem Austriae et Styriae, gravia nimis et illicita contra se, honoremque suum et imperii molientem. Apud Augustam, 27 junii.

(Edit. ap. Hormayr, *Jahrbüch. der Literatur*, anno 1827, XL Band, p. 137. — *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 245-246, num. DCCXL ex originali in archivo episcop. Patav. — Pertz, *Monum. Germ. histor.*, tom. IV, p. 321.)

Fr[idericus], Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis quod nos dilectis principibus nostris subscriptis, videlicet W. illustri regi Boemie dilecto affini nostro, E. Babinbergensi, R. Pataviensi episcopis, O. duci Bawarie, comiti palatino Reni, et O. marchioni Brandenburgensi firmiter promisimus, quod cum Friderico duce Austrie et Styrie contra nos, honorem et dignitatem nostram et imperii gravia nimis et illicita moliente, nullas treugas, pacem vel concordiam faciemus contra ipsorum voluntatem et consensum, et quod eis contra ipsum et omnes suos fautores efficaciter assistemus, et si quid gravaminis dictis nostris principibus a quacumque persona vel quocumque casu acciderit pro hoc facto, nos eos juvabimus, sicut nostram condecet majestatem. Ad cujus rei memoriam, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum apud Augustam, XXVII junii, VIIIIª indictionis.

Henricus, rex Angliae, Fridericum, Romanorum imperatorem, monet se papae et cardinalibus super negotio Lombardorum pro Apud Bristollam, 30 junii.

ipso supplicasse, et de solutione quindecim millium marcarum in quibus imperatori tenetur inducias sibi concedi petit.

(Edit. ap. Rymer, *Foedera et convent.*, t. I, p. 228.)

Serenissimo principi fratri karissimo Frederico, Dei gratia illustri Romanorum imperatori, etc., Henricus, eadem gratia, etc., salutem et desiderata gaudere victoria. Litteras imperialis excellentie nobis per advocatum de Aquisgrano transmissas cum qua decuit reverentia lete recepimus; sed intellecta per easdem attemptatione Lombardorum inopinata contra majestatem celsitudinis vestre ita irreverenter machinata, eam equo animo ferre non valuimus : ad quam vindicandam si sufficeremus libenter nos accingeremus, vestra gravamina non reputantes, sicut nec debemus, a nostris aliena. Paratam quidem habentes voluntatem in quibus possumus vestris mandatis obtemperare, dilectos et fideles nostros B. de Ver (1) familiarem militem nostrum et Bartholomeum Pech hostiarium camere nostre pro parte nostra ad dominum papam duximus transmittendos, supplicantes per litteras nostras pro vobis eidem, sed et cardinalibus amicis nostris de curia specialibus, licet inde mandatum vestrum non susciperemus, quarum transcripta litterarum (2) prefati nuntii nostri vobis exhibebunt. Mittemus siquidem vobis per eumdem advocatum quinque millia marcarum in quibus excellentie vestre tenebamur de termino Pasche proximo preterito, et sic de XXX millibus marcis solvimus vobis quindecim millia; magnificentie vestre supplicantes attentius, sicut alias fecimus, quatenus de residuis XV millibus marcarum talem nobis respectum concedere velitis ut quinque milia vobis ad proximum festum sancti Michaelis debita reddantur ad Pascha proximo sequens, et ultima re-

(1) Hunc *Baldewinum de Vair* Matthaeus Parisiensis vocat, de cujus ad imperatorem missione fusius agit, *Histor. maj. Anglor.*, p. 296, 297.

(2) Eae adsunt paulo infra ap. Rymer litterae regis Angliae pridie scriptae ad papam et ad cardinales J. tituli sanctae Praxedis, J. Sabinensem episcopum, E. tituli sanctorum Cosmae et Damiani, S. tituli sancti Laurentii in Lucina, R. sanctae Mariae in Cosmedin et ad cardinalem sanctae Sabinae.

sidua decem millia marcarum ad subseqnens festum sancti Michaelis. Et cum de quindecim millibus marcis vobis jam solntis litteras excellentie vestre nondum receperimns de pecunie predicte quietantia, placeat vobis eas nobis transmittere, precipientes insuper ut consimiles nobis fiant terminis futuris, sine quibus non mediocre periculum nobis posset imminere. Cetera quidem de negotio nostro dominum regem Francie tangente posuimus in ore predictorum nunciorum nostrorum vobis explicanda; quibns intellectis consilium quale decet magnificentiam imperialem et unde vobis honor perpetuus accrescat et nostra potestas augeatur, eidem negotio si placet potenter adhibere velitis. Placeat majestati vestre per eos nuntios nostros nobis renuncietis.

Teste rege apud Bristollam, XXX die junii, [anno vicesimo].

Fridericus, Romanorum imperator, privilegium monasterio Berchtesgadensi tempore regni sui anno 1213, 13 februarii, a se indultum, inserit et renovando confirmat. Apud Augustam, junio.

(Editum, inserto ipso diplomate priori, in HUND, *Metrop. Salisb.*, tom. II, p. 182, et ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 246-248, num. DCCXLI, ex originali unde sigillum valde laesum appendet ex filis sericis rubri coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Imperialis excellentia tunc precipue sui nominis titulos ampliat, cum divine pietatis intuitu per quam preest principibus orbis terre, loca venerabilia pia mentis affectione tuetur, et justas eorum favorabiliter petitiones admittit. Eapropter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod ... prepositus et conventus monasterii Berhtersgademensis, fideles nostri, privilegium quoddam eidem monasterio a nobis indultum olim tempore regni nostri nostre celsitudini presentarunt, humiliter supplicantes ut illud cum om-

nibus que continentur in ipso, confirmare de nostra gratia dignaremur. Cujns tenor est per omnia talis :

[Seqnitur de verbo ad verbum privilegium datum apnd Ratisponam 15 febrnarii ann. 1213, quod desuper exhibuimus, t. I, p. 243.]

Nos igitur suis supplicationibus inclinati, privilegium ipsum presenti privilegio inseri jussimus, illud cnm omnibus que continentur in eo de nostra gratia confirmantes. Statuimus itaque et imperiali sanctimus edicto ut nulla persona, alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictum monasterium contra presentis privilegii nostri seriem super hiis temere molestare presumat. Qnod qui presumpserit preter penam privilegio supradicto appositam, centum libras auri puri componat, medietate fisco nostro, reliqua dicto monasterio persolvenda. Ut antem presens nostra confirmatio robur optineat perpetue firmitatis, presens privilegium fieri jussimus, et sigillo majestatis nostre muniri.

Hujus rei testes sunt : W. rex Boemie, E. Papinbergensis episcopus, C. Constantiensis (1), S. Ratisponensis episcopus, imperialis aule cancellarius, O. dux Bawarie comes palatinus Reni, O. marchio Brandeburgensis, H. marchio de Baden, comes H. de Dilingen, Fr. de Truendingen, C. pincerna de Winterstet, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi, Dei gratia Romanorum imperatoris invictissimi , semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Ego Siffridus Ratisponensis episcopus imperialis aule cancellarius, vice domini Maguntini archiepiscopi, in Germania archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense junii, none indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper

(1) Iste vero haud potest esse Conradus qui juxta catalogum episcoporum Constantiensium jam obierat anno 1234, sed potius successor ejus *Henricus*; quem in ann. 1235 16 januarii huic episcopatui praefuisse docemur ex quodam instrumento apud Neugart, *Cod. diplom. Alemann.*, t. II, p. 168, n° 925. Vide etiam supra p. 757, 788, 794, 828 et passim.

augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus sexto decimo, regni vero Sicilie tricesimo octavo, feliciter. Amen.

Datum apud Augustam, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, privilegium Liupoldi Austriae ducis de anno **1202**, **8** junii, praeposito et conventui de Berchtesgaden super immunitate teloneorum indultum, inserit et renovando confirmat. Werdae, julio.

(Inedit. ex originali in archivo Vindobonensi asservato, cujus eam tantummodo notitiam quam habuit libenter nobis transmisit cl. vir Boehmerus.)

Datum Werde, anno dominice incarnationis MCCXXXVI, mense julii, none indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Ekkeberto episcopo Babenbergensi in villa Frankenmarket forum hebdomadale, sine praejudicio juris alieni, in qualibet feria tertia celebrandum, concedit. Apud Werdam, julio.

(Edit. ab HORMAYR, *Jahrbüch. der Literat.*, XL Band, p. 115-116, — et ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 250, num. DCCXLIII, ex originali unde sigillum laesum appendet ex segmento membranaceo.)

Fri[dericus], Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum esse volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes grata servicia que dilectus princeps noster venerabilis Babenbergensis episcopus nobis sepius devote exhibuit et in antea exhibere poterit graciora, concedimus et indulgemus eidem in villa sua apud Frankenmarket

forum ebdomedale in qualibet tercia feria celebrandum, sine prejudicio juris alieni, recipientes omnes ad idem forum venientes et ad propria revertentes sub specialem nostram et imperii protectionem. Ad cujus rei memoriam et robur sibi in posterum valiturum, presens scriptum fieri et sigillo nostre celsitudinis jussimus communiri.

Datum apud Werdam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense julii, none indictionis.

Apud Werde, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Salzburgensis archiepiscopi, dictante sententia principum, vetat ne quis revocet homines a strata publica quin vadant ad forum, nisi habeat proprios quos revocare et reducere potest.

(Inedit. ex *Salzburger Kammerbücher*, tom. I, fol. 204, MSS. in archivo Vindobonensi; cujus copiam liberaliter nobis vir egregius J. Fr. Boehmerus transmisit.)

Fridericus, Dei gracia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis presentes litteras inspecturis, quod cum nos resideremus in castro nostro Werde cum principibus et aliis proceribus nostris, petitum est pro parte dilecti principis nostri E. venerabilis Salzburgensis archiepiscopi coram nobis : si generaliter homines euntes per stratam publicam ad forum debeant ab eadem strata publica revocari et cogi per aliquos ire per vias privatas ad fora sua. Super quo dictante sententia principum extitit promulgatum : quod non licet alicui prohibere hominibus nec revocare eos a strata publica, quin vadant ad forum ubi possint sua commoda exercere; salvo si quis habet proprios quos potest revocare et reducere sicut vult. Ad cujus rei memoriam presentem paginam fieri fecimus sigillo nostro munitam.

Testes autem sunt : T. venerabilis Treverensis archiepiscopus, E. Ba-

benbergensis, S. Ratisponensis imperialis aule cancellarius, R. Pataviensis, C. Frisingensis et H. Seccowensis episcopi, H. marchio de Baden, H. comes Senensis, C. burchravius de Nurnberch, C. pincerna de Winterstet et Gerlacus de Butingen, et alii quamplures.

Datum apud Werde, anno dominice incarnationis M. CC. XXX. VI, mense julii, none indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Gebhardo de Arnstein nuntiat se, licet quatuor exercitus in Austriam transmiserit, nunc cum maximo potentatu versus Italiam ab Augusta castra sua movere, hortaturque ut in suo servitio confortetur. Apud Augustam. 11 julii.

(Inedit. ex codice Musaei Britann. Harleiano 3678, fol. 21 recto, cujus documenti apographum vir egregius M. Amari, nuper ab Anglia reversus, nobis detulit.)

Fr., Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, Gaboardo de Harnesten fideli suo gratiam suam et omne bonum. Ilariter et benigne recepimus tue devotionis litteras nostro culmini destinatas et earum tenorem intelleximus diligenter quod continebatur in eis rumore tenus dici per Lombardiam quod facta Austrie nos debeant personaliter retinere. Noveris et scire facias universos quod, licet IIII exercitus ordinaverimus in Austriam transmittentes, nichilominus cum maximo potentatu die veneris XI mensis presentis julii ab Augusta movemus feliciter castra nostra, versus Italiam felicibus auspiciis properantes. Scias insuper quod pro exercitibus missis in Austriam, nedum quod minoratus sit numerus militum cum quibus Alpes disposuimus prospera sorte transire, immo pocius crevit, ut pateat universis tantam imperii esse potentiam quod diversos exercitus facere possumus et habere. Tu igitur cum premissa militum comitiva in nostro servicio conforteris et etiam que nostrum et imperii honorem [et] exaltationem promoveant

studeas exercere, felicem adventum nostrum iu proximo prestolando. Datum apud Augustam, XI julii, indictione VIIII.

Apud Augustam, 13 julii.

Fridericus, Romanorum imperator, Philippo de Rychenberc procuratori comitis Henrici de Werda caeterisque judicibus mandat ut erga cives Argentinenses privilegia eisdem concessa observent, specialiter ne extra urbem in jus trahantur cum in civitate sua justitiam facere sint parati.

(Edider. Schoepflin, *Alsatia diplomat.*, t. I, p. 378. — Obrecht, *Prodrom. rer. Alsat.*, p. 296.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, Philippo de Rychenberc procuratori comitis Heinrici de Werda et ceteris judicibus per imperium constitutis fidelibus suis presentes litteras inspecturis gratiam suam et omue bouum. Supplicarunt celsitudini uostre cives Argeutiuenses, fideles uostri, ut libertatem ipsis a divis progenitoribus uostris traditam et concessam per privilegia ac de nostra gratia postmodum renovatam et coufirmatam, et specialiter ne extra suam civitatem per vos trahautur ad judicium, cum in civitate sua justiciam facere siut parati, salva in omnibus revereutia et jurisdictione culminis imperialis, per vos eisdem observari de nostra gratia maudaremus. Nos itaque habito respectu ad devota servitia que iidem cives hactenus nostre celsitudiui prestiterunt et que exhibent iucessanter queque nobis iu antea exhibere poteruut gratiora, eorum supplicationibus inclinati, universitati vestre mandamus per obtentum gratie nostre firmiter precipientes quatenus libertatem predictis civibus a progenitoribus uostris divis Romauorum imperatoribus traditam et coucessam per privilegia ac de nostra muuificentia reuovatam postmodum et coufirmatam, et specialiter ne extra civitatem suam trahantur ad vestra judicia, cum uuicuique in civitate sua coram suo judice justiciam facere siut pa-

rati, salva in omnibus nostra reverentia et auctoritate, reverenter observetis eisdem civibus, ut favorem uostre gratie sibi adesse sentiant et vos possitis per hoc a uostra celsitudine commeudari.

Datum apud Augustam, decima tertia julii, nona indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, generales nundinas apud Lubeck annis singulis a festo Pentecostes usque ad festum sancti Jacobi celebrandas statuit, omnibusque fidelibus mandat ut ad eas sub sua et imperii securitate veniant.

In castris in praedio Augustae, 23 julii.

(Edit. ap. *Cod. diplomat. Lubec.*, pars I^a, p. 83, n° LXXVI, ex libro copiali dicto *de Bardewich*, fol. 12.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis tam fidelibus quam amicis imperii presentes litteras inspecturis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Cum generalis utilitas per alterna commercia venientium in nundinis procuretur et ex nostra intentione procedat sic fidelium nostrorum utilitati prospicere ut exinde longe lateque proveniat oportuna materies commoditatis ad omnes, scire volumus universos quod pro communi utilitate omnium generales nundinas apud Lubeke civitatem nostram annis singulis statuimus celebrandas, que in festo Pentecostes debent incipere usque ad festum proximum sancti Jacobi apostoli utiliter durature. Quare mandamus universitati vestre monentes attentius et hortantes quatinus amodo cum mercimoniis et rebus vestris ad easdem nundinas predicto termino constitutas annuatim pervenire curetis, commoda vestra facturi sub nostra et imperii securitate quam omnibus venientibus duximus concedendam. Tenore igitur presentium prohibemus et precipimus universis quatinus nullus sit qui venientes ad nundinas ipsas in personis et rebus contra nostre securitatis indulgentiam presumat offendere vel attemptet

in aliquo molestare. Quod quicumque presumpserit indignationem nostram et imperii se noverit graviter incursurum.

Datum in castris in prediis Auguste, XXIII julii, IX* indictionis.

Apud Augustam, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, pro devotis servitiis civium Maguntinorum eis gratiam facit ut nullus extra civitatem eos ad suum judicium trahere possit, nisi in civitate sua conquerentibus de ipsis justitiam denegaverint exhibere.

(Edider. Oetter, *Samml. versch. Nachr.*, t. I, p. 422. — Hansselmann, *Diplomat. Beweiss des hauses Hohenl.*, t. I, p. 401, n° XXVI, ex copia collationata in archivo.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Liberalitas principum et augustalis gloria dignitatis tunc excellentius rutilat in subjectis et devotio subjectorum cura (*sic*) surgit ad obsequia promptiora, cum eos respicit providentia dominantis qua nulla res est favorabilior populo beneficio libertatis. Hinc est itaque quod presenti scripto noverit presens etas et futura posteritas quod nos attendentes devota et fidelia servitia que cives Maguntini fideles nostri a retroactis temporibus divis augustis avo nostro Friderico et patri nostro Henrico Romanorum imperatoribus memorie recolende, nostre quoque majestati exhibuerunt hactenus et que incessanter exhibent et que nobis et nostris heredibus exhibere poterunt gratiora, de innata mansuetudinis nostre gratia qua consuevimus bene meritis respondere, eisdem civibus Maguntinis et eorum civitati talem gratiam duximus faciendam ut nullus princeps secularis, dux, marchio, lantgravius, comes vel alter judex secularis, advocatus, scultetus sive judex aut minister predictos cives extra civitatem suam possit trahere ad suum judicium vel in eos jurisdictionem suam extendere vel exercere, salva in omnibus reverentia et jurisdictione

culminis imperialis, et nisi predicti cives Maguntini coram suo judice in civitate Maguntina juxta jura et consuetudines ipsius civitatis conquerentibus de ipsis denegaverint justitiam exhibere. Statuimus igitur et presentis privilegii auctoritate mandamus quatenus nulla persona, humilis vel sublimis, contra presentis gratie nostre paginam venire temere presumat. Quod qui presumpserit in vindictam temeritatis sue quinquaginta marcas auri componat, quarum media pars camere nostre, reliqua vero pars passis injuriam persolvatur. Ad hujus itaque gratie nostre robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et sigillo nostre celsitudinis jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt : venerabiles Sifridus Maguntinus, Theodericus Trevirensis archiepiscopi, Siboto Augustensis, Conradus Spirensis, Conradus Frisingensis episcopi, Henricus lantgravius Thuringie, Albertus dux Saxonie, Hermannus marchio de Baden, Gotfridus et Conradus de Hohenloch comites Romaniole, comes Henricus de Waldenberg, Gerlacus de Budingen, Gotfridus de Eppenstein, Heinricus de Isenburg, Henricus de Bappenheim imperialis aule marscalcus, Wernerus de Bolandia ejusdem aule dapifer, Conradus pincerna de Winterstetten, Philippus de Hohenfels, Philippus de Bolandia et Philippus de Walleustein, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. tricesimo sexto, mense julii, nona indictione, imperante domino Friderico secundo, Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, Romani imperii ejus anno XVII, regni vero ejus Sicilie tricesimo septimo (a), feliciter. Amen.

Datum apud Augustam, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit officiatis in quorum jurisdictione bona civium Maguntinorum sita sunt, ut eadem bona Apud Augustam, julio.

(a) Rectius tamen *anno imperii XVI° et regni Sicilie tricesimo nono.*

contra antiquam libertatem novis collectis et precariis amodo impetere desistant.

(Inedit. ex pergamena originali in biblioth. civit. Maguntinae, cujus sigillum periit.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sycilie rex, burcgravio de Fridebere, sculteto de Oppenhein necnon universis officiatis pro tempore constitutis in quorum jurisdictione bona civium Maguntinorum sita sunt, fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium vestre fidelitati innotescat quod constituti coram nobis cives Maguntini fideles nostri significarunt nobis quod cum bona ipsorum que in vestris habent jurisdictionibus (a), ab antiquo ab omni stiura (1) et precaria fuerunt libera et exempta, et maxime temporibus divorum augustorum avi nostri Friderici et patris nostri Heinrici, Romanorum imperatoris memorie recolende, vos novis collectis et precariis eadem bona impetitis et vexatis; supplicantes celsitudini nostre ut eos in eisdem bonis eorum contra eamdem optentam antiquitus libertatem non permitteremus indebitis exactionum vexationibus molestari. Nos igitur habentes respectum ad fidelia servicia civium predictorum que nobis exhibuerunt hactenus et que in antea celsitudini nostre et nostris heredibus poterunt exhibere, eorum supplicationibus inclinati, hanc eis gratiam duximus faciendam ut antiqua libertate qua etiam temporibus dictorum avi et patris nostri divorum augustorum usi sunt, felici nostro tempore gaudeant et utantur. Quapropter fidelitati vestre mandamus firmiter precipientes quatinus eosdem cives de predictis bonis eorum in vestris districtibus habitis contra antiquam libertatem insolitis et novis exactionibus precarie et stiure amodo impetere desistatis.

Datum apud Augustam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense julii, none indictionis.

(a) Ibi in originali repetitur *que*; quod abundat.

---

(1) Germanice *steuer*, gallice *impôt*.

Fridericus, Romanorum imperator, oblatam sibi a Bertholdo abbate Ottobeuernensi advocatiam praedii Helchenriet acceptat, et post tempus accurate designatum una cum advocatia monasterii usibus suis subjectam esse declarat.

Apud Gunzenle in castris, julio.

(Editum in Feyerabend, *Ottenbeurens Jahrbücher*, t. II, p. 373-375, — et ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 249, num. DCCXLII, ex originali cujus sigillum periit, remanente maxima parte filorum sericorum rubri coloris.)

Fr[idericus], Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicylie rex. Tenore presentium notum esse volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod constitutus in presentia nostra Bertholdus venerabilis abbas de Utenbuoeren, fidelis noster, future indempnitati sui monasterii consulens super predio Helchenriet quod comes Gotfridus de Marstet et uxor ejus Berchta pro remedio anime sue dicto monasterio contulerunt, imperatoriam majestatem nostram ad hoc eligens concessit nobis advocatiam de predio memorato : eo videlicet pacto ut quamdiu predictus comes et uxor ejus Bertha supervixerint, quibus ratione ejusdem advocatie de predicto monasterio certa pensio est designata, vel quamdiu a receptione dicte pensionis voluntarie non duxerint recedendum, nomine predicte advocatie nichil penitus percipere debeamus. Ambobus vero et comite et comitissa decedentibus vel pensioni sue totaliter renuntiantibus, jus advocaticium de totali predio transiet in usus nostros, eo jure et conditione quibus advocatia prelibati monasterii nostris usibus est subjecta. Ad hujus itaque rei memoriam et robur in posterum valiturum, presens scriptum sigillo nostre celsitudinis fecimus roborari.

Datum apud Gunzenle (1) in castris, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense julii, none indictionis.

(1) Locus juxta fluvium Lech prope Augustam, hodie desertus scilicet propter inundationes,

[Circa julium.] Fridericus, Romanorum imperator, comiti Sabaudiae pro devotis ejus et acceptis servitiis grates agit, nuntians se mox ei militiae decus concessurum, monetque ut cum in Lombardiam veniet, ipse comes aspectibus suis occurrat.

(Inedit. ex cod. Biblioth. Vindob. *Philol.* 305, fol. 124 recto, — et alia vice fol. 125 verso.)

Fredericus, etc. Satis gratanter et benigne audivit nostra serenitas que de tue devocionis integritate quam ad nos sinceris geris affectibus ... fidelis noster nostro culmini recitavit. Ex quibus devotionis tue propositum plurimum commendantes, sinceritatem tuam gratiarum actione prosequimur, et te inter alios nostros fideles disponimus dignis beneficiorum retributionibus imperialiter compensare. Firmiter namque credimus et effectibus operum comperimus manifeste quod quondam pater tuus comes Sabaudie qui diebus suis serenitati nostre prompte satis et devote servivit, te in fide et devocione nostra verum heredem reliquerit et legitimum successorem (1). Unde videmus quod vivit in nato genitor et devocionem paternam obsequiose nobis filius representat, graciam nostram alliciens et invitans ut in superstite filio patris et filii graciosa servitia premiemus (?). Recolimus etiam quod dudum venerabilis Valentinus electus frater tuus apud nos institit (2) ut decoraremus te cin-

ut dicunt, nulla alia auctoritate nisi ex hoc documento notus est: quod parum etiam cum parvo flumine sicut est Lech, concordat. Cf. *Chronic. Weing.* ap. HESS, p. 75, et STAELIN, *Gesch. von Wirtemb.*, t. I, p. 455. Cur autem, ut monet Boehmerus, nomen potius non referendum esset ad *Günzelhofen*, inter Augsburg et Fürstenfeldbrück, in veteri via versus Monachium?

(1) Anno 1233 Amedeus Sabaudiae comes patri suo Thomasio successerat.

(2) Verisimiliter in curia apud Hagenowe mense decembri 1235 celebrata, cui affuit cum multis regni Arelatensis nobilibus comes Provinciae, qui comitis Sabaudiae et ipsius Valentini electi sorori nupserat. Filiam quoque ejusdem comitis Provinciae Alienoram, regi Angliae desponsatam, hoc anno 1236 ineunte Guillelmus Valentinus electus in Angliam conduxit.

gulo militari, cujus precibus non prestitimus tunc temporis complementum, se oportunitate temporis subtrahente. Sed excellentie nostre placet quod decus tue militie grata fortuna distulit ut quod pro te frater tuus studuit precibus obtinere, tibi sine cujusquam precibus libenter et liberaliter concedamus; ostensuri magnifice favorem nostrum et gratiam quam paterna et tua meruerunt servitia modernis temporibus. Supplicationes vero tuas audivimus quas pro *tali* nostre magnitudini destinasti, et consilium et juvamen nostrum ad id interponemus libenter ut in hoc effectum tui desiderii consequaris. Studeas igitur in servitiis nostris, de bono in melius ad devocionem et fidem alios allecturus, et cum in Lombardiam feliciter dante Domino veniemus, devotus et hylaris aspectibus nostris occurras, ut devotionis tue integritas continuatis coram nobis clareat incrementis.

Fridericus, Romanorum imperator, episcopo Brixinensi in cujus terra propter imbecillitatem ejus justitia vigere desiit, concedit ut regalia ecclesiae in suis manibus resignet quae ipse custodiri et procurari faciet, quibusdam pro sustentatione vitae ejusdem episcopi reservatis reditibus.

In castris apud Brixinam, augusto.

(Edid. de Hormayr, *Beytrage zur Geschichte Tirols*, Cod. probat. diplomat., p. 321, n° CXXXVIII. Ex mendis quibus hoc apographum scatet, crassiores emendavimus.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis quod cum per terram dilecti principis nostri venerabilis Brixinensis episcopi transitum faceremus, cum victorioso exercitu nostro in Italiam processuri, et quam plurimum clamores et querimonie nostram audientiam propulsarent quod multis damnis et oppressionibus subjacerent nec justitiam consequi poterant nec habere, cum undique malefactores irruerent

et lator justitie non adesset, canonici quoque et ministeriales Brixinenses omissionem jurium ecclesie allegarent, nos dictum episcopum ad presentiam nostram vocavimus et requisivimus quod cum dux esset et justitiarius terre, qualiter contingeret hic defectus; et [cum] ipse malefactorum instantiam ac debilitatem corporis ac sue impotentiam senectutis allegaret presentialiter coram nobis, tam[en] consulente nobis sibi ut inveniret viam consilii per quam pauperibus et divitibus, parvis et magnis justitia servaretur et fideles ecclesie sub tot pressuris et angustiis vexati respirent (*a*) nec privaretur ecclesia bonis suis, deliberavit cum principibus qui presentes aderant et cum fratribus suis capitulo et ministerialibus ecclesie Brixinensis, nec commodiorem potuit habere aliam (*b*), eisdem capitulo et ministerialibus de communi consilio et assensu suos informantibus, voluntatem quam quod excellentie nostre humiliter (*c*) supplicavit, exposita in nostra presentia justa causa, quatinus (*d*) [de] regalibus ecclesie cedant; spontanea voluntate in manibus nostris una cum confratribus suis capitulo et de assensu et de consilio ministerialium suorum resignavit omnia jura regalia ejusdem ecclesie tam in castris quam in civitatibus, villis, oppidis, ministerialibus, hominibus et aliis rationibus suis; in nostra et imperii custodia, procuratione et affectione singula committens ut ea custodiri ad indemnitatem ecclesie faciemus et efficaciter procurari, et ut amodo judiciorum nostrorum (*e*) statuamus qui authoritate nostra et imperii justitiam omnibus fidelibus ecclesie faciat et conservet. Castrum quoque Veldes committimus dilecto principi nostro duci Karinthie in vita episcopi ad usus suos et ecclesie conservandum. Nominatus vero episcopus reservavit sibi [pro] sustentatione sua redditum ejusdem castri Veldensis et duo officia, Anras scilicet et Lisahoven, que in vita sua ad usum et commoda sua

(*a*) Ap. Hormayr *nostri perent* (!!).
(*b*) Ibidem *annad* (!!).
(*c*) Ibidem *similiter*, male.
(*d*) Ibidem *quam*, minus recte.
(*e*) Legendum vero videtur *aliquem judicum nostrorum*.

tenebit. Veniet autem (*a*) et morabitur sub protectione imperiali in ecclesia et civitate sua, jura spiritualia exercendo. Promisit insuper quod si secundo (?) de bonis vel aliqua de feudis ecclesie vacaverint, nullam alienationem vel collationem aliquam faciet sine conniventia et consensu capituli confratrum suorum et ministerialium ecclesie fidelium nostrorum, nec ipsorum bonorum sive illorum que sibi in vita sua ad usus suos retinuit, nullam obligationem seu subtractionem faciet ullo modo. Promisit etiam plena fide quod aliquo modo (*b*) ingenio sive dolo contra predictam resignationem et commissionem non veniet (*c*), [per] se vel submissam personam aliquid attemptando; imo predicta omnia prout cessit et resignavit nobis et imperio, sicut in authentico scripto inde confecto, suo et capituli sui sigillato, sigillo plenius continetur, conservabit omnia illibata. Nos autem ad preces dilecti principis predicti episcopi, fratrum (*d*) et ministerialium ecclesie fidelium nostrorum, imperiali favore predicta omnia complectentes, presentis scripti robore communimus. Ad cujus rei memoriam, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : C. (1) Constantiensis episcopus, C. Sancti Galli et . . . Augensis abbates, H. landgravius Thuringie, H. marchio de Burgowe, fratres landgravii de Luckenberge, H. imperii marescalcus (2), H. prepositus majoris ecclesie, H. decanus, comes Egeno de Eppan, Albertus de Rodanc, fratres de Lenkenberg, et alii quamplures ministeriales Brixinensis ecclesie.

Acta sunt hec apud Brixinam, anno dominice incarnationis M. CC. tricesimo sexto, mense augusti, IX indictione.

Datum in castris apud Brixinam, anno, mense et indictione prescriptis.

(*a*) Ap. Hormayr *tum*.
(*b*) Ibidem *aliqua pro*, male.
(*c*) Ibidem *inveniet*, male.
(*d*) Ap. Hormayr *nostrum*, male.

(1) Cf. quid supra notavimus, p. 886, not. 1.
(2) Verisimiliter *Henricus de Pappenheim*.

In campo martio Tridenti, 12 augusti.

Fridericus, Romanorum imperator, Aldrico episcopo Tridentino praecipit sub poena gratiae suae ne aliquid de bonis episcopatus per infeodationem, pignorationem seu aliquo modo alienare praesumat.

(Ediderunt Bonelli, *Notizie istor. critic. int. al Adelpreto vescov. di Trento*, t. II, *documenti*, n° 84, p. 577, ex authentico in arch. castri Tridentini. — Hormayr, *Beytr. zur Gesch. Tirols*, t. II, p. 247.— Hormayr, *Gesch. von Tirol.*, t. I, p. 208. — Verci, *Stor. degl. Ecceliu.*, t. III, p. 260, n° CXLI.)

Anno Domini MCCXXXVI, indictione VIIII, die martis XII intrante augusto, in campo martio sito apud civitatem Tridenti (1), in presentia dominorum comitis Gebardi de Hernestain, Eccelini [et] Alberici fratrum de Romano, Adelpreti comitis de Tyrolio, Nicolai de Ultimo, Torelli de Papia, Olderici Pellegrini de Rambaldo, Archiboni Zachei de Dosso, Mathei notarii pluriumque testium ibique, dominus invictissimus Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, precepit domino Aldrico Dei gratia Tridentino episcopo presenti et in pena sue gratie et pro fidelitate qua ei tenetur, quod ipse dominus episcopus per se nec per aliquam interpositam personam debeat infeodare, pignori obligare nec aliquo modo alienare sub aliqua occasione nec sub aliqua specie aliquid de bonis sui episcopatus Tridentini; et si aliquid inde fecerit, obligationem, infeodationem, pignorationem seu aliquam alienationem ipsam et ipsas ipse dominus Romanorum imperator penitus cassavit, irritavit et nullas esse pronuntiavit.

(*Chrismon.*) Ego Obertus de Placentia, notarius sacri palatii, huic interfui et scripsi. (*Locus signi.*)

(1) « In vicinanza della città dalla parte meridionale verso Verona per cui presentemente di traverso passa la Fersina. » Ita legitur in nota ap. Bonelli *ibidem* inserta, ubi commemorantur plura alia documenta apud quae de hoc Campo Martio mentio fit.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit Romanis, veterem gloriam urbis Romae commemorans et desidiam ipsorum increpans, mandatque ut legatos quos tunc Augustae moratus sibi mitti petierat nec in Italiam veniens invenit, promptissime expediant, plenius ad ardua negotia instructos. [Augusto.]

(Edidit Fred. Hahn, *Coll. Monum. vet. et rec.*, t. I, inter *Litt. princ. et vir. illust.*, n° XVI, p. 223-225.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, senatori senatuique populoque Romano gratiam suam et omne bonum. Instantia sollicitudinis nostre qua vos inter domesticas curas et molles delicias dormientes ad dignitatis antique fastigia cupimus excitare, firmitatis perfecte constantiam et magnificentie nostre zelum quem ad reformationem imperii et decus Urbis alta mente accepimus, manifeste declarat. In stuporem verumtamen omnium vertitur ad quos vel antiqua memoria vel ex facti notitia Romani culminis fama pervenit et qui monumenta veterum perlegerunt et nova considerant, que altercationes tante queve materia possit inesse vel causa que vos a vestre nobilitatis origine taliter alterarit. Verum etsi progenitores vestri, vastitatis et cineris Trojani reliquie, urbem Romam in contradictionem confinium personarum in totius orbis invidiam fundavissent, [in] ipsam velut in omnium urbium caput per sedem imperii totius reipublice summa translata, vos nova posteritas, magni nominis umbra contenti solummodo, aviti patrimonii vestri decus et gloriam in numerosa strage querentium adquisitam, quam retinere potuit cura facilior, proh pudor! aliis reliquistis. Ecce nunc Mediolanensium superbia sedem ab aquilone sibi constituit, non contenta solummodo quod Rome sit similis nisi Romano imperio contradicat. Ecce hii qui tenebantur vobis, ut dicitur, tributa persolvere, vobis contumelias afferunt pro tributis. O quam sunt hec a

predecessorum vestrorum gestis et veterum remota virtutibus (a), quod Romano imperio unica sola civitas coutradicat, quibus non suffecit ut ipsi vicini succumberent, sed cunctas domuere provincias, remotas possiderunt Hispanias et formosam (b) Carthaginem deleverunt. Admirationis quoque juste materiam omnibus, sed nobis precipue tamen affert quod cum vobis ad grandia non desit industria, subsit habilitas, cur vobis ipsis surripitis animum vel ab aliis subtiliter surripi sustinetis. Respondebitis forsitan quod ista magnalia reges et cesares faciebant. Ecce quod regem habetis et cesarem qui pro exaltatione Romani imperii personam exposuit, thesauros aperuit, laboribus non pepercit. Regem habetis qui somnum vestrum continuis interpellationibus excitavit; ad interpellationes nostras verumtamen, nimium, quod inviti referimus, obdormitis, causam vestram dampnose negligitis, negotia vestra dum ipsis oportunitas suppetit, non curatis. Nuper enim dum in pratis Auguste victorie nostre vexilla signifera poneremus, quamprimum ibidem castra nostra defiximus, pro reformatione status imperii Liguriam denuo revisuri, nuntios vestros instanter exegimus (1), quos cum recipere nobis in Alpibus obvios crederemus, priusquam pes noster Italiam legatione vestra non visa calcaret, ipsos nondum a vobis electos audivimus quos venisse jamdudum antea firmiter putabamus. Sed cum, prout vera multorum experientia docuit, nimis in magnis sit periculosa desidia, ad accelerationem ipsorum quos ad imperialis consistorii decus et consilii nostri robur mittendos senatus jam, ut audivimus, censuit et populus confirmavit, vestre sollicitudinis studium excitamus, eisdemque

(a) In impresso *remotae virtutes.*
(b) Sic, forsitan tamen *famosam.*

(1) Scilicet circa finem junii mensis, quibus litteris alludit imperator quum aliunde dicat : « Ad quam *ab Urbe* citra omnium civitatum Italie nuncios invitamus. » Vide supra, p. 851. De quo etiam fusius Riccardus de S. Germano his verbis : « Mense julio imperiale mandatum *ad Urbem* et generaliter per Tusciam et Lombardiam et per totam Marchiam mittitur, ut tam de Urbe quam de singulis ipsarum provinciarum communitatibus in Lombardiam legati vadant, postquam illuc imperatorem venisse sciverint. » Ubi tamen istae lateant litterae nondum detegimus.

super hiis que honorem Urbis et orbis respiciunt vota vestra plenissime conferatis; quos etiam, prout negotium tantum condecet, instruatis ut ad totius reipublice Romane decus et statum respectum habentes, circa nos a sinistris non dexterent et ad dexteram non sinistrent. Nos enim in tam arduis et excelsis negotiis non tam utiliter quam necessario nobis ipsos assumpsimus, ut quia usque prepedientibus aliis Rome presentiam habere non possumus, saltem consilium habeamus. Ad hec que Hector de Montiscis (1) fidelis noster vobis ex parte nostra dixerit, indubitanter credatis.

Eodem anno, XVI augusti, dominus Fridericus imperator cum tribus millibus militibus Teutonicis venit Veronam, et in monasterio Sancti Zenonis benigne receptus est per dominum Icerinum de Romano, partem Monticulorum et quatuorviginti qui tunc regebant civitatem Veronae. Sequenti vero die dictus imperator cum ejus exercitu ivit Vacaldum, et ibidem per quindecim dies stetit. Postmodum transivit ultra Menzum ad Cremonam vadens. PARIS. DE CERETA, *Chronic. Veron.*, ap. MURATORI, *Script.* t. VIII, p. 629. Veronae, Vacaldi, 16-31 augusti.

Gregorius papa archiepiscopo Ravennati et suffraganeis ejus scribit de recta intentione quam ipse habuit in toto processu pacis inter imperatorem Fridericum et Lombardos, suadens ut eam ipsi imperatori insinuent et pacis bonum procurent. Reate, 19 augusti.

---

(1) Nomen male expressum suspicamur. Forsitan *Hector de Montichiello* vel potius *Hector de Montefuscolo*.

(Edid. Savioli, *Annal. Bologn.*, t. III, pars II, p. 166, ex regest. Gregor. IX, ann. X, n° 194.)

Datum Reate, XIV kalendas septembris, anno decimo.

Scriptum est fere in eumdem modum archiepiscopo Mediolanensi et suffraganeis ejus, ubi papa : « cum audierit Fridericum pergere in Lombardiam, mittit episcopum Penestrinum legatum. Cum alii serere bellum nitantur (1), pacem suadeant ne perturbetur Terrae Sanctae succursus et haereseos excisio. Legatum coactum discordes conciliare (2), tradita illi forma quae gravamina illata ecclesiis et regno emendare debeat. » *Index epistol. Gregor. IX, anno X, in collect. Laporte du Theil.*

---

(1) Paulo ante, scilicet per litteras datas Reate, XVI kal. septemb. (17 augusti), ipsi episcopo Penestrino mandaverat papa ut Sedem Apostolicam a detractorum linguis in facto pacis inter imperium et Lombardos defenderet. Incipit *Qualiter*.

(2) Quod legatus tunc temporis apud Placentiam egerit pro discordia sedanda, valde molestum habuit imperator. Res enim spem ejus omnino delusit. Hoc anno mense martio, ut nos monet chronicon ineditum in cod. Harleiano 3678, folio 19 recto-verso, « magister Alamannorum, comes Gaboardus, magister Petrus de Vineis, Tadeus de Suesa, judices magnae curiae, cum comite Simone de Reyto (Theate) potestate Cremonae, et potestatibus et ambaxatoribus Cremonae, Papiae et Terdonae, Astis, Veronae, Parmae, Regii et Mutinae, praesentibus Guillelmo de Andito et filiis, rectoribus populi Placentiae, parlamentum in palatio Placentiae fecere. In quo magister Petrus de Vineis. ... hortatus est ipsos dicens ut cum omni eorum exfortio essent parati festum Domini peroptatum celebrare. Eodem tempore major pars militiae Placentiae extra civitatem exierat et populum et civitatem gueriabant, stando in castris episcopatus Placentiae. » Quum autem imperator curiam suam apud Placentiam indixisset, sicut supra vidimus p. 854, in adventu ejus, mense scilicet augusto, « capitanei [Placentiae] de voluntate societatum populi in curia domini episcopi compromiserunt se in dominum Jacobum de Pecoraria cardinalem de discordia quae cum militibus deforis habebatur; qui milites jam se compromiserant in eum. Et facta inter eos pace, dedit eis communiter pro potestate Raynerium Zenum de Venetiis qui venit ad regimen de mense septembris. Et exinde Placentini imperatori fuerunt rebelles. » Joh. de Mussis, *Chronic. Placent.*, ap. Muratori, *Script.*, t. XVI, p. 462. Inde curia impedita remansit, et imperatori vetitum ne Cremona Papiam transiret. Cf. Caffari, *Annal. Januens.*, ap. Muratori, *Script.*, t. VI, p. 474. Nec praetermittendum quid super hoc narret *auctor vit. Gregor. IX* : « Quem [cardinalem], cum nollet a via recta declinare, occasione concepta quod inter Placentinos cives pacem firmaverat, sicut ex officii debito tenebatur, gravi suspicione notatum, audire contempsit [imperator], eumdem contumeliis atque comminationibus prosecutus. »

[Ineunte septembri.]

Imperator cum Cremonensibus Mantuam sibi rebellem invadit et quaecumque extra muros erant devastat. Duos etiam suorum burgos super fluvium qui dicitur Oyus sitos potenter capit; quorum unus Macharia, alter Mosa nominatur (1). Godefr. Colon. ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 369. — Tunc [imperator] cepit Mercariam, et episcopatum Mantuae et Brixiae pro magna parte destruxit. Fuit prope civitatem Mantuae, nec fuerunt ausi Mantuani exire civitatem. *Gerardi Mauris. hist.* ap. Muratori, *Script.*, t. VIII, p. 43. — Capto castro Marchariae et castro pontis Sancti Viti, [imperator] obsedit Mantuam, et dimissa obsidione, venit Cremonam. *Annal. vet. Mutin.* ap. Muratori, *Script.*, t. XI, p. 60.

In castris in obsidione Mantuae, 20 septembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Gregorio papae super omnibus capitulis sibi objectis de damnis quae ecclesiis et ecclesiarum praelatis fuerunt illata seriatim respondet, omnia vicissim diluens, nuntiatque, cum mandatum suum de curia Melfiae congreganda super his gravaminibus corrigendis finem non habuerit, se denuo familiaribus suis vicem suam in regno gerentibus mandasse ut singula diligenter et plene studeant adimplere.

(Edid. Höfler, *Kaiser Friedr. II, Docum.*, p. 360, n° 26, ex Gregor. IX regest., ann. X, n° 252. — Coll. cum collect. Laporte du Theil, in Biblioth. imper. Parisiensi.)

---

(1) Scilicet Marcaria super Oglium flumen et castrum Mosii in episcopatu Brixiano.

Sanctissimo in Christo patri domino Gregorio, Dei gratia summo pontifici, Fredericus, eadem gratia Romanorum imperator, etc., salutem et reverentiam filialem. Nuper ad justam nostre petitionis instantiam de cohercenda per censuram ecclesiasticam contumacia Lombardorum, in qua debuimus per vos velut per zelatores justitie preveniri, per nuntios nostros accepimus quod per vestrum respondere nobis idonee deberetis et cito. Expectantibus deinde nobis optatum de tam favorabili requisitione responsum, ac G. de Romania cappellano vestro proinde ad nostram presentiam veniente, per eum nec questioni satisfactum accepimus nec querenti; sed eo quod per nuntios nostros extiterat coram paternitate vestra propositum velut in quadam somnii oblivione deducto, petitiones quasdam a vobis accepimus pro responso, ad quas si doctrine vestre prosequi vellemus exemplum vel doctrinam exempli, prorsus expectationum vestrarum desideria fraudassemus, vel saltem tamdiu suspendissemus easdem quamdiu quod per nos a vobis justissime petitur favorabiliter compleretur. Ut tamen quod officio sacerdotali debetur imperialis sibi precipiat celsitudo, ecce quod ad capitula singula quorum tenorem vel memorie vestre fidelitas vel regestorum vestrorum reservat archivium, paternitati vestre presentibus respondetur. Et ad illud in primis quod de ecclesiis regni nostri Sicilie per ministros nostros spoliatis privilegiis, possessionibus et bonis sacris usibus deputatis ac ipsarum lapidibus ad Agarenorum gymnasia construenda translatis proponitur, necnon et de prelatis ipsarum et subditis exulare coactis et carceri mancipatis, et verbo vobis libenter responderemus ad votum et exequeremur libentius facto responsum, si quid est in indefinita propositione propositum in particulari fuisset specificatione deductum, aut quod est obscure descriptum in genere, fuisset aperte per individua denotatum. Sed ut indefinita vestre propositionis affirmatio per negativam contrariam perimatur, nullas omnino scimus ecclesias vel personas ecclesiasticas regni predicti que in libertatis privilegiis vel in bonis a nobis aut nostris prejudicium patiantur, nisi conservationem jurium aut bonorum nostrorum que nostri nobis reliquere priores, vos prejudicium forsitan per improprietatem vocabuli vocaretis. Quod enim ad seculare judicium et

ad talliarum solutionem interdum clerici compelluntur in patrimonialibus vel in feudis, realis vel personalis actionis delectu non habito super eis, hoc non ad nomen injurie, sed ad juris executionem potius credimus reducendum. In beneficiis autem ecclesiasticis vel obligationibus contractis ab eis nulla permittimus clericos coram civili judicio conventione vexari, adeo quod contra eos in civilibus criminibus etiam, quo lesionem nostre non continent majestatis, super quibus secundum veterum legum scita civilis judicis deberet esse cognitio, parcissime jus dicatur. Sic et in provisione pastorum vacantibus ecclesiis facienda, nos jus nostrum antiquum nobis de jure defendimus, in quo inferri nobis injuriam nullo modo vel tempore sustinere possemus; non minus dedecori quam dispendio reputantes si eo quod predecessoribus nostris in regno, quos nec potentie tante fastigium nec decus tanti nominis illustrabat, toleratum per Ecclesiam extitit vel indultum, nos diebus nostris contingeret defraudari. Illorum autem officialium nomina per quos rectores ecclesiis preponuntur vel prepositi repelluntur, necnon et ecclesiarum loca in quibus talia perpetrantur, scire libenter vellemus a vobis, ut transgressionem ipsorum pena legitima puniremus, nisi forsitan perpeti prejudicium crederetis in illis quarum collatio, veluti cappellarum nostrarum in castris et civitatibus regni nostri, occasione etiam tertiarie debite capelle nostre Panormitane, in cathedralibus ecclesiis Sicilie et Calabrie ad nos jure regio noscitur pertinere. In vacantibus autem ecclesiis vacantia beneficia et vacatura conferimus, prout ex memoria dignitatis antique percepimus, quam deberi nobis in predictis ecclesiis fidelium nostrorum testimonia liquido protestantur. Abominamur preterea et punire decrevimus processum illorum qui predicationem catholice fidei in qua nos ipsi in sancto proposito vivere peroptamus et mori, et de subsidio Terre Sancte quod nostris est humeris specialius deputatum, prepedire presumant. In utroque verumtamen, quia sub pretextu liciti frequenter illicitum agitur, futura nobis et regno dispendia precavemus. Illorum etenim exempla nos terrent qui occasione predicationis hujusmodi in detractionem nostri nominis linguas exacuunt, catervas hominum congregant sub vexillis, qui dum se discordantium arbitros faciunt, dum caveri sibi

sub Ecclesie nomine postulaut a suspectis iu fide, boua fidelium nostrorum, villas et castra pro securitate sibi assignari procurant. Sic frater Joannes iu marchia Verouensi castris acceptis se ducem Veroue et rectorem perpetuum in suis litteris propriis appellabat. Sic in Apulia quidam frater assumens a puerorum simplicitate primordium, jam multos ibidem sub vexillo proprio congregarat (1). Hoc etsi boni forte sit zelus, quia tamen mali speciem nou evitat, procul dubio jussimus iuhiberi; predicari verumtameu verbum Dei, dummodo predicatores finibus propriis sint contenti, libeuter nostris fidelibus concedimus et nobis; personas etiam nostrorum fidelium quos cariores habemus, libentissime volumus sub crucis signaculo Terre Saucte subsidiis obligari; boua tameu ipsorum quorum subventionem predicto negotio quod est nostrum pro tempore reservamus, requisitioni nostre reliuquimus, illud inelegans reputantes et reputari credentes a vobis si quacunque occasione laïcis uostris collecte vel collectarum species per clericos iudicautur. Verbum autem de christianis iu regno pagauorum domiuio vel jurisdictioni subjectis, nostris detestabilissimum auribus haberemus, nisi quia illud a veritate prorsus esse coguoscimus alienum; aut si post recessum nostrum hoc aliquis, quod omnino nou credimus, attemptasset, quod nou (*sic*) attemptata displiceant vindicte judicium indicabit. Quod autem contra pacis federa nobiles iu personis aut bonis ab aliquo molestautur, ex eo saltem nobis mauifestissime percipere potestis ingratum quod hujusmodi scelerum patratores qui, dum placere nobis opinantur ex fide, nostre fidei detrabunt, subsequenter gravi maudavimus auimadversione puuiri, et ad presens per iteratos uostre celsitudiuis apices districte precipimus illud idem. Beneventanorum injurias sicut dissimulare non volumus, sic jus uostrum iu eis quod uobis predecessorum nostrorum suc-

(1) Rem fusius narrat Ricc. de S. Germano, ut sequitur: « Eodem mense junio (1233), quidam frater J. vili contectus tegmine tanquam de ordine fratrum minorum, ad Sanctum Germanum veniens cum cornu quodam convocabat populum, et alta voce cantabat tertio *Alleluia;* et omnes respondebant *Alleluia*, et ipse consequenter dicebat : *Benedictu, laudatu et glorificatu lu Patre. Benedictu, laudatu et glorificatu lu Fillu. Benedictu, laudatu et glorificatu lu Spiritu Sanctu. Alleluia. Gloriosa domina.* Hoc idem alta voce respondentibus pueris qui erant praesentes. »

cessione debetur, integre volumus conservari; quod prout est fideli nostrorum fidelium inquisitione repertum, sic per officiales nostros inviolabiliter observari mandamus. Alatrino subdiacono et capellano vestro beneficia, si qua sunt sibi officialium nostrorum infestatione subtracta, cum integritate volumus resignari. Ecclesias quondam civitatis Sorane que velut exemplo Cartaginis passa jam aratrum indignationis nostre, juxta sententiam, civitatis nomen et omen amisit, nolumus reparari, presertim cum reparate nullam aliquibus utilitatem afferrent, utpote cum locum eumdem in perpetuam infidelium notam perpetuo velimus excidio subjacere. Castrum vero Montisregalis quod Sarracenorum insidiis subjacebat, ad monachorum instantiam velut ipsorum facultatibus onerosum, quia providentia destrui deliberata mandavimus, repentina levitate non volumus reparari, priusquam ad partes ipsas omine prospero redeuntes, quod nobis et ecclesie magis expedire viderimus disponamus. Nec de bonis ecclesie supradicte quam predecessorum nostrorum opus egregium admiramur, per nos aliquid noscimus esse subtractum; quod cum ad notitiam nostram aliquo deferente pervenerit, integre restitui faciemus. Similiter et ecclesie Squillacensi si qua sunt de bonis ipsius aliquorum malitia contra justitiam occupata, persone cujuslibet acceptione remota, restitui cum integritate mandamus, utpote qui nec in his nec in aliis deferre disponimus homini contra Deum. Super eo sane quod de ecclesia Mefiensi (1) et monasteriis Sancti Joannis in Lamis, Terre Majoris, Mileti et Sancte Euphemie cum quibus ipsorum indemnitate servata permutationum contractus inivimus, nec conscientiam nostram in aliquo nec justitiam credimus offendisse, utpote cum ecclesiis sit utroque jure permissum posse cum principibus permutare; si que sunt tamen de ecclesiis antedictis quibus non sit per officiales nostros in satisfactione vicaria satisfactum ad plenum, libenter eisdem satisfieri mandabimus, dum tamen se discola prelatorum malitia non opponat. Quibus cum omnia fere predecessorum nostrorum et nostra

(1) Sic in duobus. Hic autem non de ecclesia Melfiensi, sed potius de Melfictensi (*Molfetta*) mentionem fieri arbitramur.

munificentia religiosa contulerit, satis possent utilitatibns nostris in talibus absque juris offensa et remoto subtilis conscientie scrupulo, complacere; propter quod etiam querelas illornm Cisterciensis ordinis (1) ingratissimas repntamus, quibns cum nos precipue post adventum nostrnm in regnnm in privilegiis et immunitatibus eorumdem extiterimus gratiosi, nec injuriosum iis fore credidimus nec molestum si quando ad preces nostras in constrnctionibns domornm nostrarum se nobis faciles exhibent et devotos, presertim cum nullis omnino clericis aut prelatis qui tamen a nobis feuda non tenent, onus hujusmodi nisi precarium imponamus. De personatibus sane per nos collatis, ut scribitis, jnvenibus et indignis, satis esset in promptu responsio, dnm si sacros posset sacrilegii nota perfnndere, de munificentie nostre meritis disputantes sacra jnra sacrilegos reputarent, videlicet an digni sint ii qnos eligit imperator (2); nisi forsan, quod credere non debemus, illos propterea reputetis indignos quos nobis ipsorum obseqnentinm fides gratos exhibuit et snorum. Sic episcopo Geracensi qui non camerarii scutifer, sed notarins camere nostre fuit, quem aspectus corporis, nullo probato contrario,

(1) Ad id satis apte pertinere videtur epistola autoris anonymi quam legimus in codice Biblioth. Paris., *anc. fonds latin*, nº 8604, fol. 59 recto, cum hoc titulo : « Rogat amicum ut inducat principem quod religiosos et Cistercienses precipue non perturbet. » Cujus etiam tenor est : « Scimus quod estis Cesaris debitores. Solvite debitum saltim saltim (salvatori?) in hoc » ut temperetis quosdam ministros in hiis que contra Deum et honorem imperatoris attentant. » Quod si forte illos urget imperium ad excessum, apud principem supplicationibus irreve- » renter instetis ut reformetur ratione mandatum. Ecce clamor ascendit quod post Templarios » et Hospitalarios, post Casinense et quedam alia monasteria molestia [Cistercienses] com- » prehendit ut sic in regno nulla remaneat intacta religio, exceptis fratribus Predicatoribus et » Minoribus in quibus manus inquisitoris possessiones non invenit unde turbet. Porro cum » Cisterciensis inter alias religiones prefulgeat in conspectu eterni Patris, gloriosius esse de- » beret in oculis domini temporalis accepta. Instate ergo oportune et importune ut in regno » dicta religio non turbetur; detrahitur enim Cesari, confunduntur amici, et si qui fuerint emuli, » poterunt exultare. Hec autem que scribimus de corde puro et fide non ficta procedunt, et » quidem nisi multum illi non displiceat, non intendimus in talibus desistere a scribendo, ma- » lentes ad eum clamare in facie quam contra eum murmurare post tergum. »

(2) Cf. supra, p. 9, regis Rogerii legem quam inter constitutiones regni Fridericus ipse inseruit, lib. I, titul. IV.

probat esse majorem, assensum nostrum ejusdem industria non minus quam fide suadente prestitimus, in quo si per consecrantem aliquid de solemnibus est omissum, officii vestri partes preter nostri juris offensam et in approbante poteritis et in approbato complere. Nos enim sicut in temporalibus et dignitatibus nostris antiquis inviolatum jus nostrum nobis exposcimus conservari, sic etiam in spiritualibus vobis in nullo prepedire prorsus intendimus debitum pontificalis officii et vestre plenitudinem potestatis. Ideoque molestum gerimus et ingratum habemus si per officiales nostros contra usurarios ecclesiastice discipline censura notissima vestris episcopis inhibetur. Et quanquam credere non possimus ipsos rem tam temere presumptionis aggressos, nihilominus tamen ipsis per districte jussionis nostre rescriptum injungimus ut et preterita corrigant et in posterum talia non attemptent. Nos enim qui in usurariis publicum crimen constitutionibus nostris esse decrevimus usurarum, penam ipsorum preterea non minuere disponimus, sed augere, utpote cum temporalis pene supplicium eterne junxerimus ultioni. Verbum preterea in evidentem detractionem nostri nominis vestre paternitati suggestum nullo modo credere debuistis, quod nos in terris a nobis in regno de novo constructis edificari novas ecclesias prohibemus; cum enim easdem non aliene secte vel legis hominibus, sed christianis inhabitari tantummodo jubeamus, necessario sequitur quod ecclesias in quibus Dei nostri nomen invocetur et fides, edificari velimus. Nam et filii Israël per desertum in tentoriis habitantes ubi nullius fabrice fundamenta conjecerant, tabernaculum Domini velut habitationum suarum partem precipuam erexerunt. Illud verumtamen non negamus quod ecclesias fundatas ibidem, tanquam in solo nostro constructas ac dotatas a nobis, collationi nostre volumus exigente justitia conservari. Nec illud infestum debet vestra paternitas reputare si nos Cephaludensem episcopum cujus vobis notissimam credimus esse notam, et Salernitanum archidiaconum quem in recessu nostro de regno velut infidelem et de infidelium genere procreatum (*a*), inter fideles nostros non permisimus remanere, non in-

(*a*) Deest hic verbum *removimus* vel hujusmodi.

juste verentes ne utriusque perfidia fideles inficeret contactu. Ecclesiarum tamen suarum proventibus, prout in episcopo supradicto statutum extitit apud Fanum et per venerabilem magistrum domus Sancte Marie Theutonicorum officialibus nostris injunctum, ipsos nullo modo volumus defraudari. Reputare preterea non debetis absurdum si notarios publicos episcopos facere nostra constitutio non permittit, cum a nobis tantummodo publica debeant officia postulari, in quem lege regia prodita Romanus populus auctoritatis et justitie publice contulit potestatem. Judeos autem, etsi tam in imperio quam in regno nobis communi jure immediate subjaceant, a nulla tamen ecclesia illos abstulimus que super eis jus speciale pretenderet, quod communi juri nostro merito preferretur (a). Super nepote vero regis Tunisi captivato conscientiam vestram satis nostre serenitatis epistola premissa perdocuit (1); sed si vobis ad presens contrarium suadetur, videlicet quod preter predicti regis offensam ultroneus, non seductus ad Apostolicam Sedem accederet recepturus baptismatis sacramentum, inquiremus libenter denuo veritatem ac deinde taliter procedemus quod in eo honori sancte Romane Ecclesie satisfaciemus et nostro. Porro quod a comite Tolosano qui nobis et fidelitatis vinculo et affinitatis jure tenetur astrictus, propterea quod sententiam excommunicationis incurrerit, servitium debitum pro feudo quod ab imperio tenere dinoscitur minime requiramus, non injuste nobis causam admirationis adduxit quod per excommunicationem comitis supradicti juri nostro prejudicium generetur, presertim cum nondum sit per nos de sententia principum feudo privatus. Et sic emolumento feudi penes ipsum comitem remanente, quare propter excommunicationem immunitate debeat gaudere servitii non videmus, cum excommunicationis pena nulli beneficium debeat immunitatis afferre. Denique quod per inquisi-

(a) In cod. Paris. *preferuntur.*

(1) Utrum haec epistola papales litteras quas supra, p. 872, edidimus, tempore praecesserit, an postea sub forma responsi scripta fuerit, non scimus dum eadem epistola nos usque adhuc omnino latuerit.

tiones justas (a) ecclesias dicitis hominibus propriis spoliatas, quia nobis in eis de officialium nostrorum injusto processu non liquet, ecclesiarum prelatos ut de processus iniquitate perdoceant, ad omnia jura sua volumus et mandamus admitti; et cum dudum in recessu nostro de regno ut tam in his quam in aliis in quibus ecclesiarum prelati, Templarii et Hospitalarii etiam se gravatos habebant, satisfieri posset eisdem, familiaribus nostris jusserimus apud Fanum ut solemnem curiam Melfie congregarent, quia intentionis nostre salubre propositum per subtilem (b) quorumdam astutiam qui nos postea mandasse contrarium asserebant, extitit impeditum, ecce quod juxta mandatum venerabilis ... magistri domus Sancte Marie Theutonicorum factum ... comiti Acerrarum et magistro justitiario coram vobis, tam ipsis quam familiaribus nostris sub pena gratie districte mandamus quatenus de prelatis solemni curia denuo congregata, querelas ipsorum tam super hominibus revocatis quam super possessionibus aliis necnon et jure proprietatis rerum Templariorum et Hospitalariorum audiant, et ipsis secundum formam datam communiter eisdem ibidem finem debitum et velocem imponant. Super singulis preterea capitulis supradictis, in quibus est juxta responsionum nostrarum tenorem per officiales nostros aliquid faciendum, litteras eisdem transmittimus speciales ut de speciali mandato culminis nostri singula diligenter et plene studeant percomplere. Per que omnia, reverendissime pater, circa ecclesiarum libertates et jura votis vestris per nos ex magna parte, prout firmiter credimus, satisfiet. Aut si quem in eis circa possessionis restitutionem paternitas vestra causabitur forte defectum, exempla nobis vestri magisterii suffragantur, et petitam a nobis possessionem civitatis Castelle contra commune vestrorum fratrum consilium et conscientiam vestram etiam reddere denegatis, possessorii judicii debitum in examen petitorii transferentes.

Datum in castris in obsidione Mantue, XX septembris, X indictione.

(a) In cod. Paris. *inquisitionis justitias.*
(b) In cod. Paris. *sublimem*, minus apte.

Reate, 23 octobris.

Gregorius papa Friderico, Romanorum imperatori, respondet querulanti super processu Prenestini episcopi, simulque argumenta refellit quibus imperator ad suam purgationem usus est; monens fortiter quod injurias Ecclesiae Romanae et regni ecclesiis illatas emendare studeat vel timeat ne Deus ab ejus processibus oculos avertat.

(Edidit Raynald., *Annal. eccles.* ad ann. 1236, sed in duas segregatim partes, scilicet § VIII-XI et § XVII-XXV; quas hic ordinate conjunximus, multis quae ibidem deerant in medio additis, e regest. Gregor. lib. X, n° 253, in collect. Laporte du Theil.)

Gregorius, etc., Friderico, etc. Si memoriam beneficiorum Conditoris eterni que per ministerium sponse sue in sublimes personas et humiles largiter emanarunt, humane ingratitudinis oblivio deleret, si Dominus noster Jesus Christus, judex vivorum et mortuorum, judicaturus apertis libris conscientie, revelatis tenebrarum operibus, universos, ut Dominus timeretur, origo virtutum fides inconcussa persisteret, opera statera justitie ponderaret, verba sub veritatis signaculo clauderentur et os contra Deum non poneretur in celum, unde tonitrua prodeunt et fulgura contra persecutores suos sepe mittit Deus et Dominus ultionum. Sane ex pluribus litteris ad nos ot fratres nostros nuper ab imperiali excellentia destinatis plura collegimus que si stylus mitigasset humilior et amaritudinem pagine dulcorasset affectus reverentie filialis, virtus discretionis sub manna dulcedinis irascibilem spiritum temperasset, et imago Dei que resultat in speculo rationis ac similitudo ejus que per affectum bonum et zelum rectitudinis in potentiis anime naturalibus invenitur, non fuissent sic scribendo forsitan deformate. Sed inter cetera epistole tue testimonium quod processum venerabilis fratris nostri Prenestini episcopi, Apostolice Sedis legati, detestabilem et enormem asserit, nosque totius culpe eidem

objecte principio vel saltem participio non carere conscribit (1), justitie norma non sequitur et justificata in suis operibus veritas detestatur. Cum enim ad exemplum mediatoris Dei et hominum, qui ut pacem inter Deum et hominem reformaret, non est formam suscipere dedignatus humanam, scissuras scismatis ad integritatem reducere unitatis Sedes Apostolica teneatur, nostrum quo Deo et homini astringimur servitutis officium in Lombardia pro sedanda imperii et Lombardorum discordia compulit destinare legatum, qui et dissidentes ad imperiale mandatum reconciliatos reduceret et inter populos discordantes pacis federa reformaret, nec illud nostrum tam sanctum, tam salubre potuit impedire, sed potius debuit adjuvare propositum quod te in Lombardiam pro extirpanda heretica pravitate, subsidio Terre Sancte et recuperatione jurium Ecclesie ac imperii necnon pro reformatione pacis proclamabas esse venturum. Nam si te ad id imperii reformatio invitavit, nos causa imperii cujus deformatio in dispendium Ecclesie Romane redundat, ecclesiarum utilitas que longum sub bellorum fluctibus dissidium patitur et animarum periculum pro quibus possessori celi et terre ad ratiocinium obligamur, ad procuranda bona concordie debuerunt fortius excitasse. Unde nihil de tuo jure usurpasse, de tuo nihil, licet contrarium asseras, occupasse officio credimur, si nos de quorum consilio te ad id in principio, medio et fine procedere sicut pluries promisisti decuerat, prompti nostrum summo creditori exolvere debitum invenimur. Quare premissa, more artificis cujus considerationi se primitus offerunt que ultimo in operatione concurrunt, diligentius attendentes, illum ut per eum nostrum impleremus ministerium elegimus in hac parte ministrum, qui et tibi et quibuscumque discordantibus minori posset haberi ratione suspectus, quo ejus mens terrenis desideriis absoluta suis actibus fermenti minus ingereret odii vel amoris, qui seipsum et sua relinquens in divini amoris altitudinem evolasset. Quis illius sinceritati rugam suspicionis objicere, quis illius puritatem nevo duplicitatis opposito poterit offuscare, quem suscepta professionis beate religio

(1) Hanc imperatoris epistolam frustra disquisivimus, neque nullam aliam ejus mentionem invenimus. Si quis vero miretur quod in regestis papalibus, ut solebat, transcripta non fuerit, omissionis causam ex acriori forsitan scribentis stylo suspicari poterit.

carni et mundo abstulit, quem Deo fructus laudabilium operum et vite sanctitas commendavit? Nec enim locus originis recte contra eum in suspicionis argumentum inducitur, cum non bonitas hominis deformetur a loco, sed potius loci malitia per hominem reformetur. Probat hoc quod nec pietati Christi quidquam mundus subtraxit impius, nec celum fecit sanctum demonem nec hominem paradisus. Genus etiam ad tuam intentionem non sufficere, immo non proficere creditur, quia frustra in illo parentele vitia condemnantur, qui per conversationis sancte munditiam a patria et parentibus quasi in virum mutatus alius factus est penitus peregrinus. Quid plura! frustra quid ad probationem alicujus inducitur quod illud nec frequenter nec inseparabiliter comitatur. Suffragatur autem ad hoc testimonium dilecti filii magistri hospitalis Sancte Marie Theutonicorum, et ei quod alia vice ipsum cum dilecto filio nostro O. Sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali transmissum tibi suspectum fuisse asseris, refragatur, cum ipsum nihil fecisse unde celsitudini imperiali suspectus merito deberet haberi coram nobis publica voce dixerit, et eum circa observationem justitie plurimum commendarit. Erubescere igitur poterit novus logicus de nobis mali alicujus initium vel participium paralogismo concludere, cujus falsitatem etiam imperiti de longe speculantes possunt luce clarius improbare, cum publice bonum et manifesta boni species fuerit quod legatus ad reformandam pacem inter te ac Lombardos a nobis destinatus accessit; cui nihil posse credimus imputari si eo presente sedata sint intestina bella Placentie, si alique civitates Lombardie cladibus preliorum oppresse ad pacis fuerint dulcedinem invitate. Quinimmo tibi ad infamiam reputatur quod, Ecclesia seu prefato mediante legato, pacem imperii dedigneris vel non patiaris potius reformari. Sed est fortasse qui dicat quod, dum contra fas et licitum episcopum prefatum tuis non habes votis omnino propitium, eum imperialibus estimes desideriis inimicum, et quo equalius eumdem ad quodlibet oppositorum extremum ut utraque unum efficiat declinare perspexeris, eo fortius ipsum celsitudinis tue profectibus contrarium suspiceris; de quo si placet obtrectationis cessent obloquia, cujuslibet prudentis et boni principis moribus inimica, qui sic jus suum discrete prosequitur quod in nullius, presertim timentis Deum et

episcopi, detrectationem armatur. Verum ne aliqua de Sede Apostolica vere vel apparenter excellentie tue querela consurgat, tibi contra predictum legatum que nondum probatio seu confessio objecti criminis et ignoti convincit experiri volenti, sumus justitiam exhibere parati. Ceterum ne super imperialis celsitudinis de coercenda, ut tuis verbis utamur, contumacia Lombardorum responsionem videamur per oblivionem vel negligentiam distulisse, dictus magister tibi satisfacere potuit; de cujus consilio dilectum filium G. subdiaconum et capellanum nostrum ad tractandum de pace duximus destinandum. Quare responsio tibi grata non poterat fieri per quem tractatum concordie contingebat penitus impediri. Nec etiam nobis de objecta eis contumacia constitit, ad quos pro facto imperii mandatum apostolicum cui superba cervice restiterint nullatenus emanavit; quin imo compromissum in manus nostras venerabili fratre nostro patriarcha Antiocheno procurante teque petente firmantes, etsi infra tempus nuntiis tuis pro tua voluntate prefixum, ad nostram presentiam venire nequiverint, maculam tamen erga te, si dici potest, commisse contumacie per sequentis obedientiam compromissi a se videntur penitus abstersisse. Igitur si nostre te feceris doctrine discipulum, si apostolici processus circa honorem tuum sepe sepius habiti imitareris exemplum, justa monita nostra super commissis in regno corrigendis excessibus pluries ab annis preteritis replicata et toties passa repulsionis injuriam, ad debitum exauditionis admitteres, injusta quoque que nunquam tibi credimus ex certa scientia direxisse, procul ab imperialis limine concessionis arceres. Sed ecce super facto ecclesiarum regni quod tibi in litteris nostris primo directis sub genere indefinite proponitur, quod ad hoc non tenearis quasi dubia respondere, a te reali responsione preterita vocali commentario incongrue respondetur, tum quia frustra requiritur ut singularia speciei vel specialia fidem faciant generi, cum genus et species manifestam ex se prebent notitiam veritati, et cum individuorum scientia quasi ex infinitate confunditur, ad doctrinam universalium supervacue singularia colliguntur; tum quia que in primis litteris sub indefinita in se tamen aliorum definita notitia fuere proposita, ex superabundanti in litteris nostris ad te secundo currentibus per multa fuerunt particularia declarata, sicut in

epistola tua responsiva conjicitur que iu seipsa quibusdam particularibus verbaliter respoudendo quod iu premissis falsum implicet improbatur; cujus pollicitis de satisfactione prestanda quibusdam ecclesiis et personis, sicut sic non in principio, sic in fine non credimus, qui simili promissione delusos multoties nos dolemus. Indigne ergo super oppressionibus predictarum ecclesiarum et hominum regni in quo nullus manum vel pedem absque tuo movet imperio, affirmativam uostre propositionis negativa ignorantie imperialis interimis, quibus consensum vel originem prestitisse, cum nuntiis et literis apostolicis ac clamoribus passorum injurias eas tuis auribus pluries inculcatas non solum scire, sed etiam plene potueris emeudare, minime dubitaris. Quod ex illo tuarum litterarum tenore manifeste colligitur, qui pro jurium conservatione tuorum te nonnulla immutasse circa ecclesias et tibi super non restituenda eis possessione ablata nostrum in facto civitatis Castelle suffragari magisterium (1), suffragatur (*sic*), cum in causa tua superioris debueris experiisse et expectasse judicium, nisi forte vulgus respondeat quod juxta placitum terminos regum transgrederis, dum contra jus aggrederis officia sacerdotum. Qualiter autem contra conscientiam nostram, ut asseris, denegata tibi possessionis civitatis predicte intentioni (a) tue opitulctur restitutio non videmus, cum cives Castellani qui se tibi violato sacramento fidei ignorante Ecclesia prodiderunt, excellentie tue nullum jus per hoc iu se ipsis acquirere, uullum uobis circa possessionem, cum jurisdictionem civitatis et civium quasi possideret Ecclesia, prodendo potueruut prejudicium generare; male namque agitur cum dominis prediorum, si tauto precario possideutibus nou requiritur possessionis initium, leges possessionum evertere et extraneis jura couferre valeant possessorum. Et ideo si prudenter adverteres quod lignum vite est iu paradisi medio positum, sic in centro tuorum finium prudenter persisteres, quod nequaquam incaute ad judicanda secreta conscientie nostre cujus judex in celo est conscius

(a) Ap. Raynald. *intentionis*.

(1) Vide supra imperialis epistolae caudam. Rem tamen ab anno 1230 quasi sub litigio suspensam comperimus. Cf. supra, t. III, p. 249.

in excelsis, proprie ruinam conscientie metuens evolasses, cum regum colla et principum submitti videas genibus sacerdotum, et christiani imperatores subdere debeant executiones suas non solum Romano pontifici, quin etiam aliis presulibus non preferre, necnon Dominus Sedem Apostolicam, cujus judicio orbem terrarum subjicit in occultis et manifestis, a nemine judicandam soli suo judicio reservarit. At fortassis ignoras quod Oza morte percutitur eo quod arcam Domini inclinatam manu temeraria sustinere conabatur, et tribus Chaath que vasa tabernaculi propriis involuta portabat humeris, paribus addicitur detrimentis, si tabernaculum solius Aaron dispositioni commissum ingredi vel vasa sanctuarii priusquam involuta fuerint ulla curiositate audeat intueri? Quare si te ad notoria facta tua speculanda reduceres, non solum de nostra, immo judicare de conscientia etiam cujuslibet tui subditi dubitares. Ergo quia de conscientia agitur ut contra conscientiam secundum conscientiam procedatur, cum nostre fuisset conscientie liquidum quod de reddendis possessionibus Ecclesie Romane ad te pervenientibus pluries prestiteras juramentum, non videbatur esse boni filii a patre petere quod nec salva conscientia poteras detinere, eo quod nec Ecclesia vitium spoliantis incurrerit cui commoda sui juris constitutionis beneficium integra reservavit. Nec est verisimile in hac parte nos fratrum nostrorum consilium despexisse, cum super hoc nuntii tui inceptum prosequi voluissent judicium; et ideo nondum erat in his eorum consilium requirendum. Esto preterea quod ecclesiis cum principibus permutare, sicut in tuis [litteris] excusationem allegas, utroque jure conceditur. Inique tamen ad damnosam et non voluntariam hujusmodi celebrationem contractuum, presertim sine superioris assensu et contra juramentum de non alienandis ecclesiasticis possessionibus quas pro animarum salute relictas sic alienantes et recipientes sacrilegii crimen incurrunt, prestitum compelluntur, quia quod in ecclesiarum favorem jure permittitur fieri, non debet ad lesionem earum per injuriam retorqueri. Esto quod aliqua beneficia vacantia conferas, ut curam tamen animarum illis annexam committere valeas jus spirituale quod non cadit in laïcum non permittit, et in locum viventium quos a gradu suo nec propria culpa nec sui ju-

dicis seutentia dejicit, alios snbstitni jus datnm celitns interdicit. Esto qnod in collatioue beneficiorum morientibus succedas ut dicis episcopis, majorem in hoc ipsis non adipisceris potestatem, nec nos ob id qui eis viventibus conferre beneficia non collata potuimus, jam te locum teuente ue dicamus usurpante pontificis, apostolice amittimus plenitndinem potestatis. Venerabilis insuper frater noster Cephaludensis episcopus, archidiaconns Salernitanus et Sorane civitatis ecclesie, dum eos ad examen nostre cousiderationis adducimus, quare isti perpetui exilii et ille perpetue patiantur ruine dispendia ignoramus, nisi qnod dnm contra pacem inter te ac Ecclesiam reformatam spiritualia sicnt secularia jndicas, dum eos qui suo domino stant aut cadunt non convictos nec confessos pena judicium preveniens condemnat (a), divini judicii thronum aggrederis et leges quibus digne submittitnr principatus a lare patrio exulare compellis. De illo qni se Geracensem dicit episcopum tacemns ad presens, quem electio canonica pretermissa vel per impressionem habita ecclesie Geracensi matrimonialiter alligare non potuit, cujus consecratio forma ecclesiastica sicut dicitur destituta nec sibi execntionem officii contulit uec ipsum illins ecclesie vel alterius episcopum esse fecit. Vincnla vero nepotis regis Tnneti si ea recta acie considerationis inspiceres, in quantam juris et divini nominis contnmeliam compeditnm alligent plene scires; quia indigne seductus asseritur, qni ad notitiam vere fidei aliqno indncente vel Deo potins inspirante vocatnr; quin potius qnantum probationes quod preter offensam regis ejusdem et non circumventus ad nos accederet receptnrus baptismatis sacramentnm expostnlas, aperte colligitnr et idem. Clara multorum voce utiuam non dicatur quod apostolos et discipnlos veritatis non sine magistri injuria manifesta innuis seductores, qui inimicos crucis Christi ad agnitionem lncis eterne monitis invitarunt salutaribns et invitant. Et ex eo tacite asseris non debere Deo contra hominem obediri, quod dictum nepotem credis debuisse prefati regis licentiam prestolari, cum tibi non liceat ignorare quod tantus est favor baptismatis ut etiam servos, sicut a jngo criminis, sic invitis dominis infidelibns et eos converti nolentibns a catena eximat servitutis. Utinam

(a) Ap. Raynald. *condemnas.*

lex Domini convertens animas sic omnes fideles seduceret quod eos de fornace ferrea Pharaonis eductos ad vere fidei notitiam evocaret! Utinam omnes fideles sic suos superiores offenderent quod ad auditorium celeste vocati preconi parerent dominico, et in se tam salutari contumacia suorum offensam principum provocarent! Tolosano comiti etsi lata in eum excommunicationis sententia nequiverit privilegium immunitatis afferre vel juri tuo prejudicium generare, debuit tamen ei favorem communionis imperialis auferre, quam sibi nequibas preter anime tue periculum que tibi omni thesauro debet esse carior, indulgere, ut hoc saltem rubore perfusus ad sinum matris rediret Ecclesie et tibi sine salutis tue dispendio posset debitum servitium exhibere. Ceterum ne nostro quod verum est patefaciente responso dicta exaggerare cogamur et gesta, calamo nostro brevitatem indicimus, et ne super eo quod de lege regia et episcopis scripseras honorem tuum obice veritatis exasperet, prohibemus. Sed vade ad tuorum memoriam predecessorum et inspice, transi ad felicis recordationis Constantini, Caroli magni, Arcadii et Valentiniani imperatorum exempla, et ea diligentius speculare ubi infaillibilis solutio[nis] conclusio sine instantia super premissis accipitur, ubi reprobanda false opinionis assumptio confutatur. Illud autem minime preterimus toti mundo publice manifestum quod predictus Constantinus qui singularem super universa mundi climata monarchiam obtinebat, una cum toto senatu et populo non solum Urbis, sed in toto Romano imperio constituto, unanimi omnium accedente consensu, dignum esse decernens ut sicut principis Apostolorum vicarius in toto orbe sacerdotii et animarum regebat imperium, sic in universo mundo rerum obtineret et corporum principatum, et existimans illum terrena debere sub habena justitie regere cui Dominum noverat in terris celestium regimen commisisse, Romano pontifici signa et sceptra imperialia, Urbem cum toto ducatu suo quam sparsis in ea pecuniis nobis turbare moliris (1), illius sequens exem-

(1) Huc convenit quod more suo breviter notat Riccardus de Sancto Germano: « Hoc anno 1236 Petrus Frajapane in urbe Roma pro parte imperatoris guerram movet contra papam et senatorem, et seditio facta est multa in populo. »

plum qui absorbens fluvium non miratur et sperans quod Jordanis influat in os ejus, suo est voto fraudatus, uecuon et imperium cure perpetuo tradidit, et nefarium reputans ut ubi caput totius christiane religionis ab imperatore celesti disponitur, ibidem terrenus imperator potestate aliqua fungeretur, Italiam Apostolice dispositioni relinquens, sibi novam in Grecia mansionem elegit; de qua postmodum in persona prefati magnifici Caroli qui jugum a Romana Ecclesia vix ferendum impositum pia debere docuit devotione portari, Sedes Apostolica transferens in Germanos, predecessoribus tuis sicut et in tua persona recolis esse factum in consecrationis et innnctionis munere, nihil de substantia sue jurisdictionis imminuens, imperii tribunal supposuit et gladii potestatem in subsecuta coronatione concessit, ex quo juri Apostolice Sedis et non minus fidei ac honori tuo derogare convinceris, dum factorem proprium non agnoscis. Ex eo autem non modicam notam indevotionis incurris quod nobis et fratribus nostris sacrilegii maculam conaris impingere, quia eos quibus a te ecclesie ac ecclesiastica beneficia conferuntur reputantes indignos, de tuo videmur judicio disputare; non attendens quod sacerdotes Christi regum et principum omnium fidelium patres et magistri censentur. Nonne miserabilis insanie esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum conetur arguere, a quibus non solum in terris, sed in celis sese ligari posse institutione divina docetur? Omnes enim, nisi quorum oculus aliquo erroris pulvere obturatur, agnoscunt quod cum tu ipse Apostolice examinationi, sicut testantur premissa, subjaceas, multo fortius de illorum possumus indignitate cognoscere qui de manu tua noscuntur dignitatem aliquam suscepisse, eo quod quidquid speciei subjicitur, de illo genus necessario predicatur. Hoc in personis ecclesiasticis negari non potest quibus nos ex constitutione divina preficimur; imperialis vero potentia ex sola usurpatione in hujusmodi in injuriam divini nominis aliquoties dominatur, in eo rhetorico fucata colore quod apud reges terrarum et principes de Ecclesia que usque modo non modicum imperiali pepercit honori, te depositurum querelas, quibusdam apud eos jam depositis, comminaris. Premissa quoque quantumcumque sint gravia, quantumcumque a juris tramite sint remota, minora tamen in oculis

nostris respectu illius injurie reputantur que Creatori nostro in hoc evidentius irrogatur, quod turbis undicumque collectis crucifixi fidem et nomen publice predicari ne qua ex hoc tuo contingant regno dispendia non permittens, recuperationem Terre Sancte et crucis negotium impedis; ad cujus consummationem contra consilium tuum de bonis tuorum conferri fidelium interdicis. Quocirca celsitudinem tuam rogandam duximus et monendam quatenus sub potenti manu Dei cui clara sunt abscondita tenebrarum, sic humiliari procures, sic omnes sponse sue injurias studeas emendare quod te taliter exaltasse eum nequaquam peniteat et sue majestatis oculos a tuis processibus non avertat, nosque de imperialibus profectibus possimus non immerito in Domino gloriari.

Datum Reate, X kalendas novembris, pontificatus nostri anno X.

[Imperator] ivit Brixiam per Mantuanam omnia devastando, et deinde Cremonam, et ibi mansit per totum mensem octobris (1). *Chronic. Patav.* ap. MURATORI, *Antiq. Ital. med. aevi*, t. IV, p. 1135. — Imperator procedens ultra Brixiam pertransivit et se cum sua gente locavit et posuit in Cremona, ubi mansit usque per mensem octobris sequentis. ROLANDIN., lib. III, ap. MURATOR. *Scriptor.*, t. VIII, p. 207. — Legati Urbis et totius Lombardiae et Tusciae ad imperatorem vadunt. Mense octobris ex parte Casinensis conventus ad eum quoque duo vadunt... Qui tamen cum aliarum nuntiis civitatum usque Cremonam procedentes et ultra, ipsum videre non potuerunt, quum mense novembris capta civitate Vincentiae propere in Alemanniam redivisset. RICC. DE S. GERM. *Chronicon*, ad ann.

Apud Cremonam, octobri.

(1) Hoc ipso mense, die octavo decimo, civitas Bergomum, ut nos Ronchetti monet, Friderico adhaesit, Lombardorum societate derelicta.

[31 octobris-1° novembris.] Cum marchio [Estensis] et Paduani communiter Rivaltam quae est super Athesim obsiderent, Ecelinus et Veronenses miserunt pro Federico imperatore. ... Qui subito veniens (1) cum militia Theutonicorum et Ecelinus cum populo Veronensi impetuose Vicentiam intraverunt, eamque capientes in festo Omnium Sanctorum crudeliter combusserunt (2). *Monach. Patav. Chron.*, ap. Muratori, *Script.*, t. VIII, p. 675. — A Cremona movit die veneris (31 octobr.) et venit usque ad Sanctum Bonifacium, de quo parte combusta, ibi prope hospitatus est. ... Imperator die sabbati (1° novemb.) praevenit eosdem, quod ante fuit ad civitatem [Vicentiam] cum pleno exercitu quam marchio etiam currendo ibi potuisset adesse. *Gerard. Mauris. hist.* ap. Muratori, *Scriptor.*, t. VIII, p. 44.

---

15 novembris ad finem mensis. Imperator dimisso Gulielmo de Vicedominis pro potestate Vicentiae loco sui, cum exercitu venit in episcopatum Paduae die XV novembris, et devastavit Carturium; deinde ad Citadellam et postea ad Castrum Franchum, et ibi stetit per diem et noctem. Deinde ivit Tervisium et ibi stetit per plures dies juxta Fonta-

(1) « Veluli hirundo per aethera volitando », ut dicit Antonius Godus, imperator unius diei et noctis spatio, triginta fere leucas cum sua militia equitavit. Et dum juxta Sanctum Bonifacium in prato Aycardi sisteret, « tantum illic mora facta est quantum quis cibare panem potuit festinanter. » Cf. Rolandin. ap. Murator. *Scriptor.*, t. VIII, p. 207.

(2) De captione et depraedatione Vicentiae, cf. Gerardum Maurisium, oculatum testem, ap. Muratori, *Scriptor.*, t. VIII, p. 44-45, et Godefridum Coloniensem ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 370.

nellam, existente ibidem Petro Teupolo pro potestate. Et Paduani miserunt ducentos equites Tervisium, et imperator, dimisso Ezelino Vicentiam, ivit ad Plavim, deinde ad Aquilegiam, per Forum Julii et Carentanam et festinanter in Alemanniam. *Chronic. Patav.* ap. Muratori, *Antiq. Ital.*, t. IV, p. 1133. Cf. Rolandin. ap. Muratori, *Scriptor.*, t. VIII, p. 208. — Imperator statim in Alemanniam regressus est, relictis in Marchia [Trevisana] pro negotiis imperii pertractandis comite Gevcardo de Saxonia et comite Simone Theatino. *Monach. Pad. Chronic., Ibidem,* p. 675.

Gregorius papa Aquilegensi et Gradensi patriarchis, Ravennati et Januensi archiepiscopis eorumque suffraganeis episcopum Ostiensem et Sanctae Sabinae presbyterum cardinalem commendat, quibus in Lombardia, Marchia Tervisina, Romaniola et partibus Venetiarum legationis officium commisit, ut ibi pacem reformare procurent (1). Interamne, 29 novembris.

(Extract. ap. Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann. 1236, § XIII, ex regest. Gregor. IX, ann. X, n° 272. Adsunt autem integrae litterae ap. collect. Laporte du Theil in Biblioth. imper. Parisiensi.)

Datum Interamne, III calendas decembris, pontificatus anno X.

Fridericus, Romanorum imperator, conventum Sancti Lam- Apud Gratz, 7 decembris.

(1) Hanc nullum ad tempus effectum fuisse sortitam legationem credimus, quum imperator contra omnium opinionem properato cursu in Alemanniam remeaverit. Rem vero circa finem maii 1237 resumptam infra videbimus.

berti in Grazzluppa (1) cum hominibus, pertinentiis et bonis ejus sub sua et imperii protectione suscipit.

(Memorat. ap. MUCHAR, *Gesch. des Herzogth. Steiermark*, t. V, p. 150 et not. 3, ex *St. Lambrechter Saalbuch.*; notatio anni 1237 perperam in copia additur.)

Datum apud Gratz, VII decembris, decima indictione.

Apud Gratz, 25 decembris. Imperator Natale Domini apud Greze in marchia [Styriae] celebravit et apud Wiennam hiemavit. *Chronic. Salisb.* ap. PEZ, *Script.*, t. I, p. 355. — Imperator profectus est in Austriam, cui ministeriales ducis de marchia Stirensi se tradiderunt. *Annal. Argent.*, ap. BOEHMER, *Fontes*, t. III, p. 110.

Noremberg, decembri. Conradus, Friderici Romanorum imperatoris filius, donationem, quam Hermannus dictus Anguilla et uxor ejus Bertha fratribus hospitalis Sanctae Mariae domus Theutonicorum in Nurinberc, de possessionibus suis ibidem sitis sub quibusdam conditionibus fecerant, confirmat.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, pars 1ª, p. 251, nº 744, ex originali, unde sigillum nonnihil laesum appendet ex filis sericis viridis et caerulei coloris.)

Conr[adus], Dei gratia rex Jerosolimitanus, gloriosi Romanorum imperatoris natus. Per presens scriptum notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod Hermannus dictus Anguilla et uxor ejus Bertha

(1) Monasterium ordinis Sancti Benedicti in Styria, quinque leucis a Judenburg distans.

pari et gratuita voluntate in remedium animarum suarum de consensu legitimorum heredum suorum contulerunt per manus salmanni fratribus hospitalis Sancte Marie domus Theutonicorum in Nuoerinberc, bona sua, videlicet macellos, curtes, et alia que possidebant, sita infra stratam publicam et ecclesiam Sancti Mauricii pleno jure perpetuo possidenda. Tali addita conditione ut iidem Hermannus et uxor ejus ambo pariter vel alter ipsorum, post obitum alterius, in vigilia Nativitatis Christi singulis annis quoad vixerint libram unam Nuoerinbergensis monete nomine census de ipsis bonis solvere debeant fratribus memoratis, nullis eorum heredibus, quos nunc habent vel imposterum habuerint, ad dicta bona ullo tempore successuris. Quod si alter eorum post decessum alterius ad secundas nuptias convolaret, extunc prescripta bona nullo medio mediante transire debent ad fratres et idem hospitale, libera et soluta. Hec itaque prout coram nobis acta, conscribi fecimus et sigillo nostre celsitudinis roborari.

Hujus igitur rei testes sunt : Conradus quondam scultetus dictus Bigenot, ... minister de Kuoedorpf, Eberhardus scultetus, Ulricus dictus Turbreche, Bertholdus et Cunradus Scuteloci, Volkoldus filius Volkoldi, et alii quamplures.

Actum apud Nuoerinberc, anno dominice incarnationis MCCXXXVI, mense decembris, X^{a} indictionis, feliciter. Amen.

Conradus, Friderici Romanorum imperatoris filius, testatur Conradum butegelarium de Nurinberc, auctoritate patris sui Friderici et sua, quasdam areas hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum in Nuremberg olim donatas, super quibus Ulricus de Lintha et Reinmarus de Crumbach nomine suarum uxorum quaestionem movebant, eisdem fratribus sententialiter adjudicasse. Nurimberg, decembri.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, pars 1^{a}, p. 253, n° 745, ex originali cujus

sigillum periit, remanente tantum parte superiore filorum sericorum viridis ac caerulei coloris.)

Conr[adus], Dei gratia rex Jerosolymitanus, gloriosi Romanorum imperatoris natus. Tenore presentium notum fieri cupimus tam presentibus quam futuris, quod cum coram Conrado butegelario de Nuoerinberc, auctoritate domini et patris nostri et nostra judicio presidente (*a*), super bonis que Heinricus et Hermannus filii quondam Her[manni] Ambergarii fratribus hospitalis Sancte Marie domus Theutonicorum in Nuoerinberc per manus salmanni libere contulerunt, inter eosdem fratres ac hospitale ipsorum ex una parte et Ulricum de Lintha et Reinmarum de Crumbach agentium (*sic*) nomine Kunegundis et Mahthildis uxorum suarum ex altera, diu hinc inde questio verteretur; tandem iidem fratres per vivum testimonium et verum salmannum comprobabant quod dicte sorores tempore donationis eisdem bonis, videlicet duabus areis sitis a latere domus lapidee monachorum, uni curti apud Monetam, quinque macellis, duobus scamnis panis, uni cubiculo in quo ferrum venditur, publice cesserint ac eis renunciaverint juxta morem. Unde eisdem Ulrico et Reinmario a causa cadentibus, dicti fratres ejusdem hospitalis optinuerunt sententialiter ipsa bona ad se legitime pertinere. Igitur cum per eundem butegelarium premissa nobis plenius constitissent, in protestationem eorumdem presentes litteras fieri fecimus, et sigilli nostri munimine roborari.

Testes sunt hii: Conradus quondam scultetus dictus Bigenot, ... minister de Cknedorpf, Hermannus quondam scultetus dictus Anguilla, Eberhardus scultetus, Ulricus dictus Tuirbreche, Bertholdus Scutelocus, Conradus Scutelocus, Volkoldus filius Volkoldi, et alii quam plures.

Actum apud Nuoerinberc, anno dominice incarnationis millesimo CCXXXVI, mense decembris, decime indictionis, feliciter. Amen.

(*a*) Ap. *Monum. Boic.*, *presidentis*.

Fridericus, Romanorum imperator, cum magno praeconio scribit Panormitanis sibi de nova consorte sua natam esse filiam; quae quidem masculae sobolis spem certissimam promittit. [Anno exeunte.]

(Edit. in *Petr. de Vin. epist.*, lib. III, c. 71, et ap. INVEGES, *Annal. di Palermo*, t. III, p. 589. — FRANC. BARONE, *de Panorm. majest.*, lib. IV, c. I, ap. BURMANN, *Scriptor.*, t. XIII, p. 409.)

Fridericus secundus, etc., Panormitanis fidelibus suis, etc. Communem et debitam omnium populorum regiminis nostri letitiam expectationum vestrarum votis specialiter deducentes, ad vos imperialium apicum certa descriptione deferimus quod ad aliorum notitiam fama tantummodo veritatis aliquando nescia nunciante defertur. Singularis tamen et purus nostre familiaritatis affectus quem ad vos velut ad nostrum populum specialem et peculiarem habemus, non injustam ceteris causam invidie de nobis vel admirationis adducit. Vos etenim, clarissima predecessorum nostrorum hereditas, successorum indubitata patria aula regum, vos exaltationis nostre fidele principium et sublimationis processus egregius, precipuam gratiam meruistis. Propter quod sicut de manu Domini continuantur nobis bona continue, sic prospera prosperis successive succedunt, sicque desideria vestra provide merito recreamus, de carissima consorte nostra natam nobis nuperrime filiam votivis expectationibus vestris hilariter nuntiantes : utpote qui felicitatis nostre nec minus vestre leticiam vobiscum volumus domestica participatione sortiri. Inter cetera namque de quibus Dei potentia gratificari se nobis communiter eodem beneficio posset, et vobis nullum munus communi voto communius, nullum nostris ac vestris profectibus efficacius arbitramur quam cum nostre fecunditatis gremium prolis nove fetu multiplicat[ur], cum qua tranquillitas vestri status secundiori robore nostri dominii roboratur, et petita pax vobis et posteris confirmatur. Hinc quippe est regnorum omnium salus, hinc vita pacifica populorum, cum regalis mense circuitus legitima sobole circumdatur. Hec

sunt affectionis certissima pignora principis ad subjectos, cum circa latera filiorum generose propaginis sue incrementa circumspicit, quibus fidem et gratiam preparat subditorum. Nam cum vite proprie terminos finiri precogitat, propagari gaudet in sobole gratiam principatus. Et quanquam in prole feminea regnorum jura et regnantium solia non quiescant, grata tamen hec filia debet esse cum masculis; que velut tempestiva paranympha sequentium et arrha certissima masculorum, ex imperatricis novo consortio indubitatam nobis et vobis Domino favente de regibus copiam repromisit.

Datum (1). . . . .

[Anno exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, omnibus civitatibus et fidelibus suis regni Siciliae mandat quod faciant ei subsidium, quum hac vice cum tanto exercitu Lombardiam ingredi disponat quod rebellium suorum protervia conculcetur.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. IV; coll. cum codic. Biblioth. Paris. *Notre-Dame*, p. 202, et *S. Germ. Harlay*, p. 455.)

Fredericus, etc. In invidiam omnium nationum, que quibuslibet orbis regibus et terre principibus sunt subjecte, non solum debite fidei, sed innate cujusdam affectionis zelum fideles regni Sicilie semper ad dominos habuerunt. Sed postquam ad regni nomen terre tam nobilis ambitus, quam inter se per vicarias occupantium injurias Romanorum et Grecorum imperia [non] placidis finibus dividebant, virtuosa majorum nostrorum et prima consolidatione pervenit, in tantum regie dignitatis nomen et solium dilexere regnicole, ut, eisdem antecessoribus nostris ab eis in

(1) De tempore quo haec scripta fuerit epistola satis bene nos Riccardus de Sancto Germano edocet, cum dicat : « Mense februario (1237) litterae imperiales lectae sunt in Sancto Germano de captione Vincentiae et de nova imperatoris *prole feminea* de nova consorte suscepta. »

reges et dominos adoptatis, et fideliter acquisita defenderent, et virtuose subjicere populos barbaros conarentur. Et licet ex memorate virtutis initiis progenitorum fecundata nostrorum satis extiterit generosa plantatio; hanc tamen sub creationis nove propagine, que nascentibus in regno coaluit, nec inferiorem industria credimus nec strenuitate minorem. Sane cum etatem nostram divina potentia tanta felicitate dotaverit ut ad regem vestrum vestre dilectionis lacte nutritum et vestris uberibus ablactatum, Romani culmen imperii celesti consilio pervenisset, vos strenue bellantes cum ipso ad subjugandam sibi perfide rebellionis audaciam, vires et animos assumpsistis. Cumque, collisis multorum potentium viribus qui non nobis, imo divino judicio nostram justiciam dirigenti, temerarie resistebant, ad obtinendam Romani imperii monarchiam, Italie quedam factiosa collectio, velut in granario lolium et putredo remanserit in sentina; nos, ad cujus expugnationem animosa Germania plene nostris exposita manibus se satis viriliter et potenter accingit, expertes vos tante victorie fore non sinimus, nec judicamus indignos, maxime cum credimus quod inter totius imperii nostri presidia, hereditarii regni nostri nobis effectus lucidius debeat apparere, nec successionem nostram generositatis a jure sic volumus habere degenerem, ut ad conterendam perfidiam Lombardorum vos parentum vestrorum vestigia subsequi non velitis et Aphricam aut alias exteras nationes predecessorum nostrorum more ditioni nostre subjicere, qui ne dum fortune terrene discrimina, sed et marine navigationis ambigua tentaverunt. In illo verumtamen priorum nostrorum vias et semitas subsequi devitamus, quando innumerosa multitudine sepissime regnum in hominibus vacuabant, rerum non contenti subsidiis, sed fidelium corpora remotis plerunque fortune dispendiis exponendo. Verum ut ipsorum intentio apud nos excusatione non careat, nobis hoc non est necessarium, sicut necessarium erat eis; multas nam nobis personas Germania germinat, per quas vobis parcere possumus, ex quibus uti debemus secure in talibus non ignotis. Tacere veruntamen hoc sine consciencie pondere non possemus, quod inter alios quos nobis undique divine potentie dextera subjugavit, personas vestras nobiscum libentius haberemus : utpote qui de vestre circumspectionis industria et fide pro-

bata fiduciam gerimus pleniorem. Deesse tamen propter[ea] vos nobis in hac parte libenter eligimus, indubitanter estimantes quod quid gratiose vobiscum vestris parcendo corporibus agimus, in liberali sustentatione rerum vestrarum gratie nostre premium hilariter repensetis. Denique cum hac vice congregatis undique viribus, cum tanto exercitu Italiam ingredi disponamus (1), ut humiliata simul et semel protervia nostrorum rebellium, quietem nobis et vobis ac posteris etiam preparemus; cumque tam magnum negocium sine magnis expensis nequeat expediri, universitatem vestram tenore presentium exhortamur, firmiter injungentes quatenus ad mansuetudinis nostre gratiam, quam in subministratione rerum pro personarum dispendiis permittimus, nec non ad magnitudinem tante rei, in qua fere totus amoris nostri cumulus aggregatur, habendo respectum, ad requisitionem et ordinationem dilectorum fidelium nostrorum . . . et . . . in subventione pecunie sic honorifice atque magnifice providere curetis, ut vestrorum predecessorum vestigiis inherentes, qui nos et predecessores nostros tenerrime dilexerunt, laudabilis operis experimento probemini, nosque perspicaciter videamus vos bonorum nostrorum sollicitos et attentos esse amatores; et ut nobis absentibus affectionis vestre zelo valeamus ascribere quicquid nobis presentibus nostre persone reverentie conferretur.

---

(1) Ex hoc loco de secunda in Lombardiam expeditione nunc agi arbitramur, et scriptam fuisse epistolam quum imperator fuerit in Alemannia reversus. Rem vero ad effectum paulo post ductam comperimus, teste Riccardo de S. Germano, quum dicat : « Eodem mense (scil. martio 1237), imperatore mandante, generalis collecta per totum regnum exigitur. »

FINIS PARTIS QUINTAE.

ADDITAMENTA

AD QUARTAM ET QUINTAM PARTEM

HISTORIAE DIPLOMATICAE

QUIBUS ACCEDUNT SUSPECTA SEU SPURIA DOCUMENTA.

ADDITAMENTA

AD QUARTAM ET QUINTAM PARTEM

HISTORIAE DIPLOMATICAE.

Reate, 4 et 27 septembris 1231.

Gregorius papa Reginensi, Mutinensi, Brixiensi episcopis et electo Mantuano scribit quomodo Fridericus, Romanorum imperator, negotium Lombardiae suo arbitrio fiducialiter commiserit; rogans ut cum idem imperator colloquium pacificum celebrare intendat, rectores societatis Lombardiae ad reconciliationem moneant et inducant.

(Edit. ap. TIRABOSCHI, *Memor. Moden.*, t. IV, probat., p. 106 et 107. — Cf. SAVIOLI, *Annal. Bologn.*, t. III, p. 113.)

Gregorius, etc., venerabilibus fratribus . . . Reginensi, . . . Mutinensi et Brixiensi episcopis et . . . electo Mantuano salutem, etc. Ex injuncte nobis servitutis officio hiis qui prope ac hiis qui longe sunt pacis consilia cogitantes, ad sopiendam dissidiorum materiam libenter quantum dat Dominus intendimus cum effectu, dissidentium voluntates pro posse ad concordiam revocando ut quo gratius acceptatur, eo fortius convalescat. Hinc est quod quieti societatis Lombardie tanto studiosius providere volentes quanto ipsam sue fidei et devotionis meritis exigentibus dilectionis affectu complectimur puriori, ad omnem suspicionis scrupulum inter karissimum in Christo filium nostrum F., Romanorum imperatorem illustrem semper augustum, Jerusalem et Sicilie regem, et societatem eamdem penitus amovendum interponentes ex animo partes nostras, preces, monita et consilia eidem imperatori direximus ut nostris beneplacitis acquiescens se nostre super hoc exponeret arbitrio voluntatis, nobis plene ac plane quid [super] id intenderet responsurus. Unde

ipse nostris consiliis obsecundans arbitrio nostro fiducialiter se commisit, sicut ex litteris ejus aurea bulla munitis, quarum tenorem vobis sub bulla nostra transmittimus, potestis plenius intueri. Cum igitur imperator pacifice cujuslibet violentie suspicione summota, cum filio et principibus suis intendat colloquium celebrare ut reconciliatio plena fiat, nec tantum bonum aliquo valeat obice prepediri, discretionem vestram rogamus et monemus attente per Apostolica vobis scripta mandantes quatenus dilectis filiis rectoribus societatis ejusdem hec omnia exponentes et enumerantes pericula que inevitabiliter imminerent, ipsos moneatis prudenter et efficaciter inducatis ut saluti et quieti sue studeant providere. Que autem vobis duxerint respondenda, nobis celeriter per vestras litteras intimare curetis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Reate, II nonas septembris, pontificatus nostri anno V.

Sequitur altera epistola eisdem directa et illi quam ex Raynaldo dedimus (cf. supra, p. 268) fere quoad sensum consimilis, nisi quod additur : « Ut autem dubitationis scrupulus de vacillantium cordibus melius anferatur, probate fidei virum dilectum filium magistrum domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum, cujus circumspectionis industria reddit ipsum merito gratiosum, ad partes Lombardie imperator ipse transmittit per quem ea tractari speramus que ad pacis pertinent firmamentum. Ideoque fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus quatenus in hiis que idem magister ex parte ipsius imperatoris rectoribus prefatis exponet, sibi taliter assistatis quod per ejus et vestre discretionis studium quod de colloquio premissum est ad honorem Dei et Ecclesie ac imperatoris ejusdem necnon pacem et tranquillitatem provincie Lombardie debitum consequatur effectum. Ceterum ut liqueat vobis qualiter eidem imperatori scripserimus in hac parte, transcriptum litterarum nostrarum ecce vobis sub bulla nostra duximus transmittendum.

» Datum Reate, V kalendas octobris, anno V. »

De re eadem et cum notis chronologicis eisdem scriptum est rectoribus societatis Lombardiae et episcopo Ratisponensi, imperialis aulae cancellario.

Fragmentum de colloquio a rectoribus societatis Lombardiae apud Bononiam celebrato, de adventu legatorum et de inopinato imperatoris a Ravenna discessu. Octobri 1231 Martio 1232.

(Inedit. ex codice Biblioth. imper. Paris., *anc. fonds latin,* n° 4931, fol. 103, recto-verso.)

MCCXXXI, indictione IIII, de mense octubris, societatis Lonbardie rectores in Bononie civitate statuerunt colloquium. Dum autem in ea civitate ipsi rectores convenissent per legatos eorum viros nobiles et prudentes, potestatibus et rectoribus uniuscujusque civitatis societatis ejusdem in mandatis dederunt ut ad illud festinanter deberent accedere colloquium. Cumque in ipsa civitate essent coadunati, de commodo et honore ac utilitate societatis predicte ad invicem tractantes et super negotiis Lonbardie diligenter instantes, omnes unanimiter leto animo et fide pura concorditer statuentes (*sic*) ipsam confirmandi et reformandi societatem. Quo facto et ita ordinato, die dominico VII kaleudas novembris (26 octobris), in plena contione in eadem civitate decenter et magnifice collecta, eamdem juramento reformaverunt et confirmaverunt civitatem (*leg.* societatem). Inter se vicissim pollicentes et sacramento firmantes succursum pariter et auxilium militum, peditum et balestariorum unicuique civitati societatis ipsius et maxime Bononie et Faentie esse daturos contra omnes homines et personas eos offendere et in terram eorum violenter intrare volentes. In presentia horum similiter proponentes distributionem et designationem tria milium equitum et decem milia peditum et mille quingentorum balestariorum pro unaquaque civitate societatis, prout unicuique competit facere, qui semper sint et esse debeant intenti et parati equis et armis et aliis rebus necessariis equitandi et proficiscendi ubique ad voluntatem rectorum. Iterum pro bono pacis et concordie et ne aliqua sintilla mali inter imperatorem et Lonbardos possit

oriri, statuerunt legatos ex eis viros nobiles et prudentes ad summi pontificis magnitudinem dirigere, celsitudinem et excellentiam suam et majestatem humili voce et attentissimis precibus exorantes ipsum et omnimode inducentes ut sic agere[t] et operam efficacem prestare[t] ne imperator ad Lonbardie partes possit nec debeat cum exercitu accedere; significantes ei si hoc facere presumeret, quod incommodum pariter et detrimentum Romane posset inde consequi Ecclesie, [si] cum exercitu suo ad civitatem Ravene accessisset.

Colloquium imperatoris in civitate Ravene.

Eodem tempore et in eadem incarnatione Federicus, Romanorum imperator, statuit colloquium archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, principum, comitum, marchionum, baronum et aliorum virorum nobilium in civitate Ravene in festo Omnium Sanctorum. Cum autem idem imperator percepisset dictum colloquium integre celebrare minime posse propter illorum absentiam qui ipsi colloquio accedere debebant, communicato conscilio prorogavit colloquium usque ad medium martium. Quo facto, idem imperator dedit in mandatis archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, principibus et viris nobilibus ut ad predictum terminum ad illud colloquium accedere deberent. In ipsa vero civitate moram fecit per totam yemem.

Colloquium rectorum Lonbardie et cardinalium in civitate Bononie.

Mense vero proximo februarii, cardinales sancte Ecclesie (a) Jacobus Penestrinus episcopus electus et Otto tituli Sancti Nicholai in carcere Tulliano cardinalis, summi pontificis legati, super concordia inquirenda et componenda inter Federicum, Romanorum imperatorem, et Lonbardos Bononiam accesserunt. Qui cum rectoribus societatis Lonbardie in kalendis martii colloquium in ipsa statuerunt civitate, dantes in mandatis per nuntios suos rectoribus uniuscujusque civitatis societatis Lonbardie ut in eodem termino ad illud cum viris prudentibus deberent accedere colloquium. Ad quod, prout in mandatis habuerant, festinanter perrexerunt, ibi-

(a) In codice *cardinalis Scicilie et.*

dem ad invicem cum eis de ipsa pace et concordia diligenter tractantes. Responsione vero facta ab ipsis rectoribus, iter eorum festinanter Ravenam ad domini imperatoris presentiam dirigere statuerunt. Cumque essent in itinere, idem dominus imperator de eorum intelligens adventu die dominico VII mensis martii inter nonam et vesperas cum parva turba militum de ipsa privatim exiens civitate, equitando ad maris pervenit littora; deinde cursum navigando per Padi undas Loeretum direxit, ibi moram faciens, et cum ambaxatoribus Venetie fuit locutus, dicens et eis proponens limina beati Marchi visitare proposuisse; postulans ut in eadem civitate ipsum cum turba sua recipere deberent. Cum autem cognovissent oracula Sancti Marchi visitare statuisse, conscilio communicato ad eamdem concesserunt accedere civitatem, moram vero ibi faciens per quatuor vel quinque dies. Deinde de ea exiens civitate, per maris undas sic navigando Aquilegiam accedere festinavit, locuturus cum Alamanie principibus. Verum quia cardinales ipsum invenire minime potuerunt et fide relicta indecenter a Ravene civitate secesserat, quod est contra summi pontificis honorem pariter et excellentiam, valde sunt mesti et plurimum turbati. Qui ad Bononie civitatem redientes rectoribus et ambaxatoribus societatis Lombardie in mandatis dederunt ut quilibet ad sua debebat redire propria.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Bambergensis episcopi, monasterio [Sancti Georgii] de Stein telonium apud Merket et monetam in Steine confirmat. Apud Aquilegiam, aprili 1232.

(Extract. potius quam editum ap. Meyer, *Die Bracteaten der Schweiz*, p. 60, in *Mittheilung. der antiquar. gesellsch. in Zurich*, t. III, ex apographo Kirchhoferii. Hujus privilegii quod supra memoravimus, p. 329, nunc partem adesse libenter suspicamur, maxime si ad confirmationem Henrici septimi oculos reducamus. Cf. supra, p. 566.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierosolyme et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis

imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod dilectus princeps noster A. (E.) venerabilis Pabinbergensis episcopus nostro culmini supplicavit quatenus telonium apud Merket (?) et monetam in Steine, quemadmodum per dive recordationis augustum Henricum secundum predecessorem nostrum ipsius monasterii fundatorem dicto monasterio sunt concessa, et idem monasterium ex antiquo possedit et usu (*sic*) extitit usquemodo, dignaremur de nostra gratia confirmare. [Forma autem confirmationis sequitur.]

Datum apud Aquilegiam, anno dominice incarnationis MCCXXXII, mense aprilis, quinte indictionis.

Apud Melfiam, septembri 1232.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Volquini magistri militiae Christi in Livonia, eum et fratres ejus cum omnibus bonis eorum in Livonia, Lettia, Osilia et terris ibidem expressis, sub protectione sua et imperii recipit.

(Inedit. in *Liv.-Esth.-und Curlandische Urkundenb.*, t. I, pars II, p. 164-166 (Revel 1852). Cf. supra, p. 375, not. 1. Fuerit ne idem privilegium quod Napiersky ad mensem julium ejusdem anni memorat, an alterum quod paulo post imperator ordini militiae Christi sub ampliori forma denuo concesserit, non plane scimus.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Cum simus christiane fidei zelatores et in eo tota intentione versemur, quod ipsius cultus amplius et perfectius dilatetur, tenemur venerabilem magistrum et fratres militie Christi de Livonia, fideles nostros, qui fidem eandem non sine multa effusione sanguinis et paganorum strage in Livonia et terris adjacentibus dilatarunt, sollicitudinis instantia confovere, et petitiones eorum sic clementer admittere, quod presentium sit ad gaudium et posteris gratie in exemplum. Inde est igitur quod universis imperii fidelibus, tam presentibus

quam futuris, volumus esse notum, quod Volquiuus, venerabilis magister fratrum militie Christi in Livonia, fidelis noster, celsitudini nostre supplicavit humiliter et devote, ut personam suam, fratres et homines suos et successores eorum, cum omnibus bonis eorum stabilibus et mobilibus, tam ecclesiasticis, quam mundanis, sub protectione et defensione nostra et imperii recipere dignaremur; personas eorum, domos cum possessionibus acquisitis ac deinceps justo titulo acquirendis, in manibus nostris et imperii retinentes, nulli alie persone advocatiam ipsorum aliquo adveniente tempore concedere deberemus. Nos igitur supplicationes ipsorum favorabiliter admittentes, prefatum magistrum, fratres et successores eorum, cum domibus, possessionibus et omnibus bonis suis, tam mobilibus, quam stabilibus, ecclesiasticis et mundanis, que in presentiarum juste possident, videlicet iu Livonia, Lettia, Osilia, nec non et terras Sackele, Moche, Alenboys, Normekuude, Jerwen, medietatem terre Waygele, cum pertinentiis earum, et partem terre, quam possident in Semigallia et Curlandia, et que in futurum in eisdem terris et alibi justo titulo poterunt adipisci, sub protectione ac defensione nostra et imperii recipientes, de solita benignitatis nostre gratia, qua fideles imperii et specialiter Christi servitiis deputatos, consuevimus prevenire, ipsis clementer duximus concedendum, ut omni modo in nostris et imperii manibus conserventur, et nulli persone advocationis jure eosdem de cetero subjiciamus, universis et singulis imperii fidelibus injungentes quatinus nulla deinceps persona ecclesiastica vel mundana, sublimis vel humilis, prefatum magistrum, fratres et successores eorum, contra presentem divalem paginam protectionis et defensionis ipsorum super premissis impedire vel molestare presumat. Quod qui presumserit, preter indignationem nostri culminis, penam centum librarum auri se compositurum agnoscat, medietatem curie nostre et reliquam partem passis injuriam soluturum. Ad hujus itaque memoriam rei et robur perpetue firmitatis, presentem divalem paginam fieri et bulla aurea, typario nostre majestatis impressa, jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt : Berardus (a) Panormitanus, Jacobus Capuanus

(a) In impresso *Per.*

et Jacobus Tranensis (a) archiepiscopi, Richerius Melfiensis, Petrus Raveluensis episcopi, frater Hermannus magister hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jherusalem, comes Thomas de Acerris (b), Manfridus marchio Lantza (c), Rickhardus camerarius, Renesmulus (d), et alii quamplures.

Signum domini Frederici secundi, invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo CC° tricesimo secundo, mense septembris, sexte indictionis, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus duodecimo, regni Jerusalem septimo, regni vero Sicilie tricesimo quinto, feliciter. Amen.

Datum apud Melfiam, anno, mense et indictione prescriptis.

Fogiae, novembri 1232.

Altera forma privilegii a Friderico Romanorum imperatore monasterio Sanctae Marinae de Stella concessi.

(Memorat. ap. Pansa, *Stor. d'Amalfi*, t. II, p. 139, ex *Notam. instrum. in Arch. capit. arch. Amalf.*, n° 346.)

« 1232. Imperator Federicus concedit abbati et conventui Sanctae Marinae de Stella confirmationem omnium immunitatum, videlicet pedagii, passagii, plateatici, dohanatici, herbatici, glannatici, nec non confirmatio[nem] plancae apud Majorum eis concessae, non obstante quod Amalfitana ecclesia vel alia quaevis persona habeat in dicta terra Majori plancas suas, et ab omnibus collectis libera maneat et exempta. »

(a) In impresso *Tramensis*.
(b) Ibidem *de Aceir*.
(c) Ibidem *marchio*, *Lant*.
(d) Verisimiliter *Rindesmulus*. Cf. supra, t. III, p. 232, et passim.

Gregorius papa pacem inter Fridericum, Romanorum imperatorem, et barones regni Hierosolymitani initam confirmat. Laterani, 22 martii 1234.

(Memorat. in *Indice epistol. Gregor. IX*, collect. Laporte du Theil, ap. Biblioth. imper. Paris,, ann. VIII, n° 2.)

Datnm Laterani, XI kalendas aprilis, pontificatus anno octavo.

Gregorius papa nobilem virum Johannem de Ibelino arguit quod Fridericum, Romanorum imperatorem, gravissime offenderit; monens ut eidem per nuntios satisfactionem debitam offerat vel se ordinationi Ecclesiae Romanae committat. Apud Anagniam, 7 augusti 1234.

(Cf. supra, p. 481. Nunc epistolam integram damus ex Mas Latrie, *Histoire de l'île de Chypre sous les princes de la maison de Lusignan*, t. III, p. 640, ex regest. Gregor. IX, ann. VIII, epist. 184, in archivo Vaticano.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, nobili viro Johanni de Bellino spiritum consilii sanioris. Ad aures nostras noveris pervenisse quod tu iniqua suggestione seductus, carissimum in Christo filium nostrum Fridericum illustrem, Romanorum imperatorem semper augustum, Jerusalem et Sicilie regem, gravissime offendisti, celsitudini imperiali non deferens nec precavens tibi ipsi ut hujusmodi difficultatis articulum evitasses. Quia vero congrua est adhibenda vulneri medicina, nobilitatem tuam monemus et hortamur attente et tibi consulimus bona fide quatinus cum consultius esse noscatur ut sibi per se absque coactionis violentia satisfiat, per idoneos nuntios quos ei transmittere non postponas satisfactionem eidem ultroneus offeras de dampnis et injuriis irrogatis. Nos enim de securitate tua et tuorum et te restituendo in gratiam suam

curabimus, prout opportunum fuerit, paterna sollicitudine providere. Quod si aliqua dubitatio a consilio nostro te forte retraxerit, saltem spontaneus te nostre ordinationi committens, offeras satisfacere imperatori predicto sicut Ecclesia Romana duxerit disponendum. Alioquin, cum non possimus nec etiam debeamus ipsi deesse in justitia in qua sumus aliis debitores, exercere in te rigorem justitie juxta commissum a Deo nobis officium compellemur, et tu duritie tue poteris discrimina que inde tibi evenerint imputare.

Datum apud Arronem, VII idus augusti, anno octavo.

Apud Barolum, 28 januarii 1235.

Finis encyclicae qua Fridericus, Romanorum imperator, ad principes imperii scribit de excessibus Henrici Romanorum regis filii sui.

(Cf. p. 524, ubi documentum, ut melius potuimus, variis codicibus collatis edidimus. Nunc vero a Boehmero moniti qui codicem alium sub manibus habuit, finem et notas chronologicas hujus epistolae ex exemplari archiepiscopo Treverensi directo, inserimus. Variantes simul et aptiores lectiones inter *corrigenda* sedulus lector requirat.)

Fredericus, Dei gratia, etc. Ecce facimus universale verbum, etc., *usque ad* fidei tue titulus extollatur. Preterea sollicitamus et hortamur attente circumspectionem tuam quatenus juxta tenorem aliarum litterarum te prepares, nobis in proximo venientibus ad partes Fori Julii occursurus, de felici adventu nostro nullatenus dubitando.

Datum apud Barolum, XXVIII januarii, VIII indictione.

Foggiae, 27 martii 1235.

Fridericus, Romanorum imperator, Gregorio papae scribit se semper ad defensionem Ecclesiae paratum esse, hortâturque ne pacem minus commodam propter suam absentiam concludat.

(Cf. supra, p. 535. Initium et caudam hujus epistolae, quum apud Raynaldum desint, nunc ex collectione Laporte du Theil ad ornamentum documenti addimus.)

Reverentissimo in Christo patri domino Gregorio, Dei gratia summo pontifici, Fredericus eadem gratia Romanorum imperator, etc., salutem et reverentiam filialem. Intelleximus per Apostolicas litteras nobis nuper transmissas et quas honorificentia recepimus consueta, qualiter pax tractetur inter Ecclesiam et Romanos. Nos autem licet materiam non habuimus Romanorum dissidium prosequendi, ob honorem tamen Romane Ecclesie matris nostre, ad vestra et fratrum vestrorum monita inducti fuimus et votis ardentibus incitati graviter offendere qui vos et Ecclesiam offendebant. Et licet multa, etc., *usque ad* Ecclesiam indefensam, sicut magister domus Theutonicorum fidelis noster, qui proximo festo Pasche ad presentiam vestram a nobis missus accedet, super his et aliis in conspectu vestro nostrum propositum plenarie reserabit. Cujus verbis indubitatam fidem poteritis adhibere.

Datum Fogie, *ut supra*.

Fridericus, Romanorum imperator, fidelibus suis in partibus Lombardiae constitutis nuntiat quomodo omnia sibi in Alemannia prospere cedunt, filio suo nulla interposita conditione ad mandatum suum redeunte. Cum autem solemnem curiam apud Maguntiam indixerit, illos monet ut ad curiam eamdem providos et honestos nuntios mittere procurent. [Junio 1235 exeunte.]

(Inedit. ex codice Musaei Britann. Harleiano 3678, fol. 18 verso, 19 recto; unde documenti exemplar vir egregius M. Amari, nuper ab Anglia reversus, ad nos detulit. In codice vero ad mensem junium haec epistola maximi momenti exaratur, notatione tamen anni 1236 per oscitantiam superinducta.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator, Jerusalem et Sicilie

rex, et cetera. Cum de felici processu nostro devota sitis affectione soliciti et ad eorum que circa nos aguntur noticiam aspiretis, universitati vestre presentibus intimamus (*a*), occurrentibus nobis undique principibus nostris qui erant in regione Utini (*b*), tam ipsis quam magnatibus et populis civitatis presenciam nostram recipientibus summo voto; et cum mandatum nostrum per litteras nostras et nuncios emanasset ad multos ut abjurantes omni juramento si quid alicui fecerant, nobis et imperio specialiter fidelitatis juramenta prestarent, tam illi qui jussi fuerant quam ceteri ad quos eventus nostri fama pervenit, zelo fidelitatis accensi, abjuratis quibuslibet juramentis, statuta persona pro parte nostra in receptione (*c*) juramentorum, nobis et imperio sollempniter juraverunt. Sed ubi pervenimus Ratisponiam, conveniente ibidem nobiscum egregia principum comitiva, nobilibus et ministerialibus (*d*) multis ex diversis Alemanie partibus et de ducatu nostro Suevie concurrentibus ad nostram presenciam, de tranquillitate circumjacentis (*e*) provincie plene tractavimus, recipientes ibi nuncios de prospero statu future consortis nostre, sororis illustris regis Anglorum, que post accessum suum in Alemaniam quocumque transivit omni honorificentia principum, nobilium [et] populorum devocione magnifice duximus procedendum (*sic*), prout tanti federis exigit magnitudo. Preterea quia rex filius noster, recedentibus omnibus ab eo post adventum nostrum quos invitos ad se traxerat, de singulis dubitando, incertus utrum ad pedes nostros accederet utrum quod oporteret eum in aliquo castro recipi, cum de (*sic*) quasi de gratia nostra defidens se cum suis in castro Trevelli receptare proponeret, tandem ad cor reversus nuncios suos venientibus nobis apud Nuorembere (*f*) destinavit, per quos devocionem suam plene nobis exponens et indulgentiam postulans obtulit se paratum ad nos juxta man-

(*a*) Sub hoc loco quaedam deesse videntur.
(*b*) In codice *vicini*, male.
(*c*) In codice *recipiant*, pessime.
(*d*) In codice *ministrantibus*.
(*e*) In codice *circunducentis*.
(*f*) In codice *Rourembert*.

datum nostrum nulla interposita condicione venire (a). Ceterum una [cum] omnibus principibus nostris sollempnem et generalem curiam in festo Assumptionis beate Virginis Marie apud Magunciam indiximus celebrandam, in qua disponetur de tranquillo statu tocius imperii nostri et omnium nostrorum fidelium, et super injuriis et offensionibus que hactenus imperio sunt illate, quas excellentia nostra et omnes imperii principes dissimulare ulterius non debemus, quin ad persequendum et ad refrenandum jus imperii de cetero potenter et unanimiter intendamus. Ut ergo zelus fidei vestre super hoc et principum intentiones (b) conveniant, sollenpnes nuncios vestros (c) et ceterorum nostrorum fidelium in eadem curia prefixo termino et loco volumus interesse. Mandantes universitati vestre quatenus honestos et providos nuntios destinetis qui veniant, omnium vestrorum et aliorum nostrorum fidelium comitum, marchionum et vassallorum sub districtu et societate vestra viventium qui venire non poterint, voluntate et devotione plenius informati. Quorum litteras patentes habeant et sigillis pendentibus eorumdem quod omnes vos paratos et promptos in personis et rebus ad honorem nostrum et imperii promovendum et reddente grandia (*sic*) jura nostra in partibus Lombardie et ad confundendum totis viribus omnes et singulos ipsarum partium qui nobis et imperio adversantur; ita quod in generali curia proponant et animent principes et totam curiam et contra infideles imperii et ad promunitionem omnimodam status nostri et vestri. Licet etiam ad hoc voluntas omnium sit firmata, sicut patebit in eadem curia per effectum, multum erit utilis et accepta vestrorum (d) presentia nunciorum.

Datum, etc.

(a) In codice *veniret.*
(b) In codice *intentionem.*
(c) In codice *nostros.*
(d) In codice *nostrorum.*

Augusto, decembri 1236.

Fragmentum de prima Friderici secundi, Romanorum imperatoris, in Lombardos expeditione.

(Inedit. ex codice Harleiano Musaei Britann., n° 3678, fol. 21 recto-verso. Cujus fragmenti copiam nobis liberaliter fecit vir egregius Panizzi, bibliothecae Londinensis primarius custos.)

MCCXXXVI. In proximo mense augusti, imperator Fredericns cum magno Thentonicorum exercitu Veronam accessit, et inde (*a*) semotus venit cum Yzolino de Romano et Veronensibus (*b*) ad flumen Mencii et castrametatus est. Cnm enim vellet Cremonam accedere, Mantuani rebellabant. Brixienses autem cum Mediolanensibus, militibns quoque Bononie, Ferarie, Mantue, Laude, Vercellarum, Cumarum, Novarie, Alexandrie, et aliis cum carociis apud Montemclarum fixis temptoriis resistebant. Interea Cremonenses et Parmenses cum Reginis et Mutinensibns in partibus de Ysollela super flnmine Olii albergati residebant, qui die XI mensis septembris proximi relictis carris pro majori parte sumptis armis tam popnlares quam milites ascherati per terras Brixiensium iteranſes ad flumen Gesii pervenerunt, non distantes ab exercitu Brixie et Mediolani ultra dno miliaria, tota nocte armati et ascherati imperatorem expectantes. Intelligens imperator Cremonenses et Parmenses ei obviare, summo mane tubarum sonitu castra movere jubet. Ascendens in eqno, elevata (*c*) voce coram principibus conqnestns fnit dicens : « Quum peregrini et viatores ambulant ubique, ego autem non sum ausus agredi per terras imperii. » Deinde statim assumpta aquila manu propria, cum principibus cepit flumen Mencii transire et omnis exercitus cum eo, et equitando ad exercitum Cremonensem pervenit. Altera die imperator

(*a*) In codice *inter*.
(*b*) In codice *Veronam*.
(*c*) In codice *elevato*.

semotus cum exercitu suo et Cremonensibus et Parmensibus et aliis apud Godium (*a*) et Voltam Mautuanam trans Mantue (*sic*) castrametatus per duos dies devastavit. Et inde cum exercitu apud Marchariam castrum Mantne pervenit, et habito ipso castro apud Mosium castrum Brixie in quo pedites Mediolani aderant properavit. Qui pedites nocte proxima (*b*) de castello absentantes illud imperatori relinquerunt (*sic*). Et inde per episcopatum Mantne usque ad civitatem devastavit moram ibi faciens per XV dies. Et impositis custodiis in ipsis castellis per pontem de Marcharia transiens venit Cremonam. Cum enim vellet Papiam (*c*) proficisci, Mediolanenses cum carocio, Laudenses, Vercellenses, Novarienses, Cumani (*d*), Alexandrienses et alii (*e*) apud Laudam Vegiam fixis temptoriis resistebant. Propterea Paduani, Vicentini, Tervexani, comes Sancti Bonifacii, marchio de Est cum Veneticis, illis de Feltro et Citadella et aliis, castrum Ripalte Verone obsedebant (*sic*). Unde imperator volens juvamina prestare Yzolino, mense novembris proximi quadam die circa vesperas motus a Cremona cum exercitu Veronam properavit et cum Yzolino juxta exercitum inimicorum sua castra posuit. Intelligentes Paduani et ceteri imperatorem advenisse, statim motis eorum temptoriis ad propria ceperunt remeare. Dum autem sic recederent, Yzolinus cogitavit civitatem Vicentii capere posse. Festinanter cum suis militibus equitans civitatem Vicentii intravit, postquam (*f*) concives ad ipsam accederent civitatem, [et] ignem magnum in ipsam civitatem apposuit. Cognoscentes vero Vicentini a longe eorum civitatem captam fore, terrore magno perterriti ad alias partes diverterunt. Eodem mense novembris, Salienguerra cum Ferrariensibus paruit mandatis imperatoris. Similiter Ghecius de Camino cum aliis de Camino eorum castra imperatori dederunt, episcopatum Trivixii usque ad civitatem devastantes. In proximo mense

(*a*) In codice *Gudim*.
(*b*) In codice *proximo*.
(*c*) In codice *Papia*.
(*d*) In codice *Cumanis*.
(*e*) In codice *aliis*.
(*f*) Sic. Rectius tamen *antequam*.

decembris imperator cum majori parte exercitus sui in Alemaniam properavit (*a*) propter ducem Austrie qui ei (*b*) rebellabat.

Apud Augustam. 5 novembris 1231.

Henricus, Romanorum rex, ad supplicationem Theoderici Treverensis archiepiscopi, monasterio de Hemmenrod ecclesiam Altruppe confert cum omnibus pertinentiis ejus et jure patronatus.

(Cf. supra, p. 537. Privilegium ineditum nunc integrum damus ex exemplari cujus nobis liberaliter copiam fecit Boehmerus. Adest in *Chartular. Hemmenr.* de ann. 1345, vol. III, fol. 60, ap. biblioth. Treverensem.)

Heinricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus, universis imperpetuum. Quia desiderinm nostrum est dilatare redditus ecclesiarnm, pre ceteris tamen ecclesiam Hemminrod speciali amplectimur dilectione ob religiositatem ejusdem ecclesie personarum. Meminuerint igitur presentes et futuri, quod nos, ad petitionem dilecti principis nostri Th. Treverensis archiepiscopi, ecclesie Hymmerodensi contulimus ecclesiam Altruppe (1) cum omni jure libere tenendam et quiete possidendam, tam in pratis quam in silvis et in aquis, et ipsam ecclesiam cum jure patronatus ipsi ecclesie ex providentia consilii nostri duximus confirmandam. Ut autem hec nostra donatio rata permaneat, nec alicujus dolositate cavilletur, mandamus et precipimus sub interminatione gratie nostre, ut nullus sit qui huic nostre donationi audeat malitiose obviare. Quod qui fecerit, Omnipotentis indignationem et nostram se noverit incurrisse.

Datum apud Augustam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo, nonis novembris, indictione V.

(*a*) In codice *preparavit*.
(*b*) In codice *eis*.

---

(1) Scilicet *Altripp*, ad sinistram Rheni ripam inter Spiram et Mannheim.

Henricus, Romanorum rex, universis civibus de Gelnhausen promittit quod nunquam ab aliquo eorum exiget ut sibi accedat vel excipiat sumptus quos faceret ibidem, sed quod ejusdem loci scultetus hoc idem facere debeat. Apud Gelnhausen, 20 februarii 1232.

(Cf. supra, p. 562. Privilegium ineditum nunc integrum damus ex exemplari cujus nobis liberaliter copiam fecit Boehmerus. Adest in *regesto civitatis Gelnhausen* sub seculo XIV exarato.)

Heinricns, Dei gracia Romanorum rex et semper augustus, nniversis imperii fidelibus, quibus presens litera fuerit ostensa, graciam suam et omne bonum. Cum nos ratas esse volumus gracias et libertates qnas fecerimus benigno animo fidelibns nostris, significamus universitati vestre, et tenore presentium profitemur, qnod nos promisimus fidelibus nostris civibus universis de Geilenhusen, qnod nunquam angariemns vel compellamns maliciose aliquem ipsorum, ut nobis accedat vel excipiat sumptus quos faceremus ibidem; sed volumus ut quisque nostrorum sculletorum in ipsa civitate constitutus nobis accedat et excipiat sumptus nostros; et nolumus ut ipsi postmodum de ipsis sumptibus et expensis solvant, quemadmodum dnximus ipsis injungendum. Mandautes per gratiam nostram firmiter precipimus, ut nnllus sit qui veniat contra premissam graciam et libertatem ipsis a nostra serenitate provisam et indultam, qnia minime nobis conferet quod novas consuetudines crearemus (*a*) in ipsa civitate, cum nobis sit per omnia fidelis et devota; nude censemus quod talia nobis conferant servitia, qualia a reliquis civitatibus nostris nobis ministrantur. Qui ergo contra premissum venerit, gravem nostram offensam se noverit incurrisse.

Datum apud Geylnhusen, anno dominice incarnationis millesimo CC° tricesimo secundo, X calendas marcii, indictione V.

(*a*) In regesto *caremus* sive *curemus*, male.

Apud Augustam, 10 aprilis 1232.

Henricus, Romanorum rex, Gregorio papae scribit se spontanee juravisse quod quidquid et quoties imperator pater suus ore vel litteris mandaverit faciendum, id voluntarie et bona fide complebit, ita ut si contra venerit, praeter poenam perjurii, ipsum excommunicatum ipso facto denuntiare papae liceat.

(Cf. supra, p. 565, ubi documentum quod deperditum putabamus, fuisse datum paulo post, scilicet apud Sibidatum in Foro Julii, sat probabili conjectura monuimus. Nunc vero illud tanti pretii instrumentum integerrimum exhibere possumus, cujus nobis summa humanitate sua copiam fecit Boehmerus. Qui quidem hanc epistolam invenit ap. PLATINA, *Liber privileg. Eccles. Roman.*, t. I, fol. 16, MSS. in fol. membr. sec. XVI ineunt., in archivo Vaticano. Breviter quoque extract. in litteris Gregorii papae, ap. WURDTWEIN, *Nov. subsid. diplomat.*, t. I, p. 57.)

Sanctissimo in Christo patri et domino Gregorio, Dei gratia sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, Henricus, eadem gratia Romanorum rex et semper augustus, salutem et reverentiam filialem. Notum sit paternitati vestre quod nos diligentius attendentes paternam erga nos divi augusti patris nostri domini Friderici Romanorum imperatoris, Hierusalem et Sicilie regis illustris, benivolentiam et favorem, ut in nobis ei bene complaceat, et principes et fideles imperii nostra unanimitate letentur, et omnis materies tergiversationis nequitie de medio penitus auferatur, motu proprio et spontanea voluntate juravimus quod quicquid et quotiens idem felix et inclytus pater noster nobiscum disponet, aut ore suo vel litteris suis mandaverit faciendum, voluntarie et bona fide conplebimus, nec erimus in dicto, facto, consilio seu consensu, vel litteris publicis vel occultis aliquid procurabimus aut quicquam faciemus, quod ad incommodum et damnum persone seu terre, honoris et dignitatis seu detrimentum eidem patri nostro cedat. Si quis autem vel si que verbis vel factis privatis vel manifestis aliquid suggesserit vel persuaserit, quod sit contra eundem patrem nostrum : statim per litteras vel

per nuntium eidem domino nostro patri studebimus suggerentium intimare personas, et nullatenus verba illa vel facta patiemur contra eum habere processum. Ad majorem quoque cautelam, ut preter jurisjurandi penam, que triumphantis Ecclesie judicio irrogatur, si contra veniremus censure subjaceamus Ecclesie militantis, super hoc nos mandato et jurisditioni sancte Romane Ecclesie de expressa et gratuita voluntate nostra subicimus. Ita videlicet, ut nobis contravenientibus in aliquo vel in totum, liceat vobis et successoribus vestris ad requisitionem dicti patris nostri, nulla admonitione premissa vel strepitu judicii observato, ratione perjurii excommunicatos nos denuntiare, et sic pro excommunicatos habere, quousque proinde Deo et predicto domino patri nostro satisfaciamus ad plenum, ac si contra nos sollemnis excommunicationis sententia lata foret. Ad cujus rei memoriam, presens scriptum fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Datum apud Augustam, anno dominice incarnationis M.CC.XXX.II, quarto idus aprilis, indictione quinta (1).

Henricus, Romanorum rex, confirmat donationem a praeposito Aquensi canonicis Aquensibus factam; scilicet ut pro hospitalitatis incommodis quinque de centum marcis de oblationibus ecclesiae percipiant. Apud Franchenfurt, 1ᵃ augusti.

(Cf. supra, p. 577. Privilegium ineditum nunc integrum damus ex exemplari cujus nobis liberaliter copiam fecit Boehmerus. Adest originale cum sigillo in archivo Düsseldorfensi.)

H., Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus, quibus presens scriptum exhibitum fuerit, graciam suam et

(1) Legitur autem in libro Platinae : « Ann. dom. incarn. *MCCXXXIII*, quarto id. april., indictione *secunda*. » Quas notas evidenter mendosas correximus, dum neque ad ann. 1233 neque multo minus ad 1229 cui secunda respondet indictio, documentum referri possit.

omne bonum. Ad noticiam universorum cupimus pervenire, quod cum dilectus consanguineus et capellanus noster, prepositus Aqnensis, concanonicis suis pro multiplicibus laboris (*sic*) et expensis et aliis incomodis, que sustiuere dinoscuntur propter peregrinos de diversis mundi partibus venientibus, de oblationibus ecclesie Aquensis concesserit sub hac forma, ut semper de centum marcis quinque marcas percipiant; ceterum si in majori vel in minori summa proveniat sicut de centum quinque, ita proporcionaliter percipere debent de habitis, et tantum presentes canonici sollempne (*sic*) festivitati Dedicationis ecclesie prenotate et de oblacionibus ejusdem festivitatis percipere debent; ad instanciam et peticionem memoratorum capellanorum nostrorum prenominatam concessionem duximus confirmandam. Et ad majorem certitudinem presens scriptum sigillo nostre celsitudinis communitum ipsis precipimus exhiberi; prenotata vero duximus confirmanda illis qui intersunt horis sepefate festivitatis.

Datum apud Franchenfurt, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo secundo, kalendis augusti, indictione quinta.

Apud Frankenfort, 8 augusti 1232.

Henricus, Romanorum rex, Wormatiensibus civibus mandat se inter eos et episcopum eorum concordiam fecisse, hoc pacto ut consilium et confraternitates dimittant, mandatque ut archiepiscopo Maguntino, marchioni Badensi, Gerlaco de Budingen et dapifero de Walpurg quos in proximo ad eos mittet, credant et intendant.

(Inedit. ex exemplari in archivo civit. Wormatiae, unde transcripsit vir doctus Arnold, luculenti hujus auctor operis cui titulus : *Verfassungs-Geschichte der Deutschen Freistädte*. Cum hoc documento cujus Arnoldus Boehmero et Boehmerus ipse nobis copiam fecit, cf. quid supra notavimus, p. 581, not. 1.)

Heinricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, fidelibus

suis universis civibus Wormaciensibus gratiam suam et omne bonum. Significandum duximus [vobis] quod nos inter episcopum vestrum et vos concordiam fecimus et reconciliavimus vos ad plenum, volentes ut consilium vestrum et confraternitates vestras dimittatis super consilium nostrum et juretis banni justiciam super nos et consilium nostrum. Decrevimus itaque in instanti festo Decollationis sancti Johannis Baptiste (1) dilectos familiares nostros venerabilem Maguntinum archiepiscopum, marchionem de Baden, Gerlacum de Butingen et dapiferum de Walpurc ad vos a latere nostro transmittere, quod inter vos auctoritate nostra et imperii statuant et componant ad honorem nostrum et imperii; mandantes vobis et firmissime precipientes quatenus dictis familiaribus nostris credatis in hiis que vobis dixerint et preceperint facienda.

Datum apud Frankenfort, VI idus augusti, indictione V.

Notitia documentorum de quibus non sat bene constat.

1232. In questi tempi l'imperadore Federico secondo diede in feudo la quarta parte d'Alice, terra nel Monferato, a Bonifazio Guasco [civi Alexandrino]; il quale poscia e i suoi discendenti, acciocche si conossero differenti dagli altri di quella famiglia, furono chiamati Guaschi d'Alice. Ghilini, *Annal. d'Alessandr.*, p. 33.

Frédéric II accorde à Pons d'Astouaud, en 1232, un droit de péage sur les terres que lui avait données le comte de Toulouse. Pithon-Curt, *Hist. de la nobl. du comté Venaissin*, t. I, p. 98.

1232. Confirmation impériale en faveur de l'évêque de Gap. *Note envoyée par M. Gautier, bibliothécaire de la ville de Gap.* (Le privilége paraît perdu.)

---

(1) Scilicet 29 augusti.

1234. Fridericus II jus succedendi masculis gentis dictae *della Marra*, exclusis feminis, usque ad decimum gradum concedit, « ne antiquitas status sive statuum ipsorum per mulierum successionem diminueretur. » Quod privilegium rex Robertus et Johanua I° confirmaverunt. L'originale di questi stanno nel processo tra Giov. Domenico della Marra et il principe di Stigliano sopra il contado d'Altauo, et iu summaria nella banca di Florio o del suo successore. MAZELLA, *Famigl. nobili*, p. 635. Valde dubium.

1235. Imperator hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum quasdam ecclesias ab imperio dotatas in vicinia Magdeburgi positas concedit. Cf. VOIGT, *Gesch. von Preussen*, t. II, p. 269.

Privilegium Friderici II de anno Domini MCCXXXVI pro communitate Brenzoni (Porto Brenzoni ad lacum Gardae), per quod aliud privilegium Friderici I confirmatur. Memoratur in privilegio Caroli quinti de anno 1543. MEILLER, *Notizenblatt*, ann. 1853, n° 7, p. 102.

DOCUMENTA SPURIA.

Neapoli, 24 augusti 1232.

Fridericus, Romanorum imperator, Guglielmo de Burgio pro suis et suorum antecessorum devotis servitiis, castrum Calatajeronense et totam vallem Neti ipsius vita durante gubernandam committit.

(Edid. SEB. PAULI, *Cod. diplomat. del sacro ord. di Malta*, t. I, p. 82, ex exemplari quod sibi a Fr. Giuseppe de' Nobili transmissum fuisse dicit. Cf. *Opuscoli degl. aut. Sicil.*, t. VII, p. 99. Inspecto tamen privilegio, falsum, imo falsissimum esse ex uno oculorum ictu nemo non fatebitur.)

Fridericus, imperator Romanorum, rex utriusque Siciliae et dux Sueviae, tibi dilecto et fideli militi nostro Guglielmo de Burgio de terra

nostra Xaccae salutem. Cnm nou laudabilis res erit in serenitate nostra augnstissima tua multa et tuorum quamplurima antenatorum servitia non recognoscere, ideo habita consideratioue ad merita tuorum Burgentinm antenatorum acqnisita pro tot servitiis prestitis Northmannis nostris invictissimis autecessoribus regibus, et presertim a Rnberto et Guglielmo tuo patre et avo, quorum Guglielmns, utpote uuns ex nostris regni baronibus, in coronatione nostri [antecessoris] regis Gnglielmi secundi interfuit Panormum auno 1166 et inter eos ripartitus qui purpureum pallinm snper regios hnmeros imposuerunt, ut iu rollo legitur, et de Ruberto qui mihi oblatns est quamvis in decrepita etate mecum in bello Iicrosolymitano sese transferre, veluti sequens vestigia Ferrandini et Nicasii dicti Guglielmi fratrum, in supradicto hospitali crucesignati iu eorumque cousortio aggregati, nt in literis rectoris et magistri ejnsdem dicto regi Gnglielmo scriptis in laudem dictorum fratrum legitur, qni iu humanae et divinae majestatis servitinm sangninem effunderunt; de tuis postea augustissimo culmini nostro praestitis superfluum erit loquere, dum mei ipsi oculi testes esse possunt de tuis prodigiis, cnm tuo extremo valore cum pericnlo vitae castrum Calataieronense a rubellis (a) invasnm expugnasti. Ideo uos recognoscentes tua tuorumqne egregia servitia, tibi nostro dilecto et extreuuo militi Gnglielmo de Burgiorum familia castrum a te expugnatum Calataieronense donamns ejnsdemque terrae guberuium concedimus tua vita durante tuis laboribus debitnm, cum omnibus illis jnribus et pertinentiis quibus gaudere usns fuit noster milcs de Landolina; et ut magis nostrae gratitudinis largitudinem nostramque munificentiam agnoscas, tibi dilecto nostro militi Gnglielmo nou solum gubernium castri et terrae Calataierouis tua vita dnraute coucedimus, vernm etiam et totius vallis Neti in nostro Siciliae nltra Farnm regno vicegerentem volumns, creamus et recognoscimns, per quod nostras vices durante nostra absentia gerere valeas et debeas. Propterea officialibus omnibns nostris cujuscnmque gradus in nostro Siciliae nltra Farum regno constitutis tam supremis qnam infimis dicimus, precipimus, ordinamus

(a) Sic, verisimiliter pro *rebellibus*.

atque mandamus ut tibi dicto nostro militi Guglielmo habeant, teneant, obediant et honorent utpote nostram ipsamque personam, tanquam nostrum vicegerentem et vicarium, et hoc sub pena nostrae iudignationis et punitionis ipsi Guglielmo nostro vicario heuevisa. In cujus certitudinis veritatem presentem diplomatem fieri jussimus nostro imperiali sigillo impeudenti munitum.

Datum in nostra civitate Neapolis, die vigesimo quarto augusti, 1232 (1).

De maudato augustissimi regis Friderici vidit de Caraffa Rinaldus Bona vicecancellarius.

Apud Veronam, 4 aprilis 1236.

Fridericus, Romanorum imperator, Ugutioni et Zuffredo de Trissino fidelibus suis privilegia a praedecessoribus suis eorum majoribus indulta confirmat, novasque concessiones adjicit, inter quas jus ornandi scutum armorum imperialis aquilae effigie.

(Edider. Ughelli, *Ital. sacr.*, t. V, p. 1051, ex Pauli Benii Trissina historia. — Lunig, *Cod. Ital. diplomat.*, t. II, p. 655. Hoc privilegium nisi omnino spu-

---

(1) Aliud quoque gentilitium privilegium omnino falsum et spurium invenisse meminimus ap. Schiaffino, *Annal. eccles. della Liguria*, MSS. in bibl. Berii apud Januam, a Friderico nostro rege Romanorum et Siciliae anno 1214, ut dicunt, Ottoni Belmosto, Rubaldi filio, Januensi concessum. Cujus fragmenta exhibere nunc satis erit, ut fusius explicemus qua arte, quo dolo ad suam gentem exornandam quidam nobiles uterentur: « ... Considerantes presertim in presenti bello quo pacto te gesseris hic et cum diu in re militari peritiam [tuam] optime conspeximus, jure etiam ipso incitati atque advecti sumus ut teipsum egregiasque virtutes tuas honoribus exornemus et titulis illustremus. Quanquam autem ampliora insignioraque in teipsum conferenda voluntas nostra intendat meritaque tua postulent,... de certa nostra scientia propriique animi motu, meritis quidem tuis hoc exposcentibus, in familiarem et familiam nostram [te] adscimus, adscribimus et annumeramus in civitate nostra Neapolis, ac volentes quod pro nunc ob testimonium et memoriam bone voluntatis nostre insignibus tuis effigiem nostram cincto atque coronato capite figuratam valeas [adjungere], etc. — Datum in castro Capuano (!!), die XIII mensis augusti. »

rium, rescriptum tamen et adulteratum fuisse, tum ex ipsius tenoris forma, tum ex notis chronologicis asserimus. Ex Verci (*Stor. degl. Ecelin*, t. II, p. 108), tantummodo comperimus dominos de Dressino, dum marchionem Estensem sibi offensum haberent, a civitate Vicentia secessisse, anno 1236 ineunte.)

Federicus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, et rex Sicilie. Majestatis imperialis precipuum est officium fideles suos privilegiis decorare et beneficiis afficere munificentissime. Quamobrem cum nobis dilecti et fideles Ugutio et Zuffredus de Trissino, omnibus periculis contemptis, nostris litteris obedientes ad nos venerint et egregia servitia diversis temporibus tam predicti quam majores sui pro majestate Romani imperii preliando strenue et egregie exhibuerint, eorum insignem devotionem erga imperialem nostram majestatem compensare convenit. Cum igitur multa privilegia coram nobis produxerint que a predecessoribus nostris Romani regni imperatoribus concessa fuerunt nobili familie de Trissino a qua originem suam habent, et presertim strenuo et nobili viro Nicolao de Trissino qui quondam Vicentini oppidi cum emplissima potestate dominorum Henrici et Conradi Romanorum imperatorum predecessorum nostrorum vicarius fuit, illa omnia de novo confirmamus et auctoritate nostra renovamus. Castra etiam omnia vallis que dicitur de Agno ditionis Vicentine, que sub jurisdictione fuerunt strenui quondam Meliorantie de Trissino, in perpetuum predicto Ugutioni et Zuffredo et suis descendentibus concedimus et donamus, presertim castrum Trissinum cum tota sylva adjacente, Quargnentam, Cornetum et Arcignenum que a majoribus suis constructa et edificata fuisse cum multis aliis ejusdem vallis de Agno notissima res est, obligantes predictos et successores suos ad solvendum in anno quolibet pro feudo imperiali camere nostre marcas viginti. Declaremus etiem predictos Ugutionem et Zuffredum cum suis descendentibus comites et scutum ermorum familie sue aquila imperiali ornatum esse volumus; euthoritatem etiam illis concedentes notarios creendi et illegitimos ad omnes et quascumque dignitates habilitandi. Insuper fidelem predictum Ugutionem de Trissino capitaneum volumus esse equitum omnium qui ad imperialis majestatis nostre custodiam designati sunt. Nulla igitur persona alta vel infima,

ecclesiastica vel secularis, huic nostre concessioni contravenire vel aliquid in contrarium attemptare presumat sub pena mille marcharum. Ad hujus itaque concessionis nostre perpetuam memoriam et roboris firmitatem, presens privilegium per manus Tomaxii de Caldetio notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario nostro impressa jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum apud Veronam, anno dominice incarnationis MCCXXXVI, IV die mensis aprilis, indictione IX, domini nostri Federici, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti et regis Sicilie anno XXVI, Sicilie XXXVIII.

INDEX DOCUMENTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE EXHIBENTUR SIVE MEMORANTUR.

1232			
		negge ministeriali suo collatam et a fratribus monasterii ejusdem redemptam.	330
maio.	Apud Sibidatum in Foro Julii.	— Cum filio suo Henrico rege conveniens, rogatus a principibus, privilegia ipsis ab eodem rege Wormatiae anno 1231, 1° maii, concessa, cum quibusdam tamen modificationibus renovat et confirmat.	331
maio.	Ap. Utinum in Foro Julii.	— Renovationem privilegiorum quae praecedit denuo promulgat, bulla aurea munitam.	332
maio.	Ap. Utinum in Foro Julii.	— Ad requisitionem Henrici Wormatiensis episcopi, cives Wormatienses constitutioni in curia Ravennatensi editae de cassandis communitatibus civitatum obedire recusantes, proscribit.	335
maio.	Ap. Utinum in Foro Julii.	— Henrico Wormatiensi episcopo dat in mandatis ut domum communitatis in Wormatia funditus dirui faciat, ei insuper concedens fundum ejusdem domus in proprietate ecclesiae Wormatiensis.	336
maio.	Ap. Utinum.	— Contractum inter archiepiscopum Salzburgensem et Henricum comitem de Ortenburg de pueris mutuorum ministerialium inter ipsos aequaliter dividendis initum, confirmat.	337
maio.	Ap. Utinum in Foro Julii.	— Ad supplicationem Adolphi comitis Holsatiae, concessionem quam idem comes monasterio monialium in Poretz fecit, confirmat.	338
maio.	Ap. Utinum in Foro Julii.	— Ad instantiam Adolfi comitis Holsatiae, novae civitati in Hamburg juxta Alstriam confirmat concessiones et privilegia a patre ejusdem comitis eidem civitati jampridem indulta.	340
maio.	Ap. Utinum in Foro Julii.	— Ad instantiam Adolfi comitis Holsatiae, antiquae civitati in Hamburg confirmat concessiones et privilegia a patre ejusdem comitis eidem civitati jampridem indulta.	341
maio.	Ap. Utinum.	— Civibus Papiensibus amplissima privilegia ab avo et patre suo et a seipso anno 1219, 29 augusti, eorum civitati concessa, renovat et confirmat.	342
10 maii.	Ap. Portum Naonis.	— Henrico seniori et Henrico juniori de Plawen, propter eorum contra inimicos Ecclesiae strenuitatem, auri et argenti fodinas et omnia metalla quae in territoriis eorum reperire poterunt concedit, cum facultate aureos grossos et denarios monetandi.	342
10 maii.	Ap. Portum Naonis.	— Hermannum magistrum hospitalis Theutonicorum nuntium et procuratorem suum ordinat in discordiis quae vertuntur inter se et civitates Societatis Lombardiae.	344

1232		
sept.	Capuae.	— Hermanno magistro hospitalis Theutonicorum et successoribus ejus medietatem castri sul Muntickelli juxta Radicophanum, Castellumcellum, Fabrica et Crusianum cum omnibus earum terrarum pertinentiis, in perpetuum concedit et confirmat. 392
4 oct.	[Capuae?]	— Nicolao de Bisantio procuratori demaniorum Basilicatae mandat ut Johannem abbatem monasterii Sancti Michaelis de Monte Caveoso et conventum ejus in possessionem libertatum et jurium revocatorum apud Montem Caveosum, Pomaricum et Genusium restituat. 395
octobri.	[Capuae?]	— Omnia bona ab avo suo Friderico I indulta abbatiae Knechstedensi juxta Zons confirmat, et eam cum personis et rebus sub protectione sua speciali recipit. 398
15 nov.	Foggiae.	— Universis praelatis et nobilibus regni Burgundiae mandat ut ad se in maio proximo cum armatorum comitiva veniant et super subsidio exhibendo Caillae de Gurzan efficaciter intendant. 403
novemb.	Fogiae.	— Omnibus officialibus suis in regno Siciliae mandat ne abbatem et conventum monasterii Sanctae Marinae de Stella in juribus et possessionibus eorum molestare praesumant, eidemque monasterio plancam apud Majorum confirmat, non obstante quod Amalfitana ecclesia vel alia persona plancas suas in dicta terra habeat. 404 et 942
decemb.	Apud Precinam.	— Pro gratis servitiis Eccelini de Romano et Alberici fratris ejus, ipsos cum eorum hominibus et possessionibus sub protectione sua speciali recipit. 406
3 dec.	Precinae.	— Paduano, Vicentino et Tarvisino episcopis notificat se Eccelinum et Albericum de Romano sub sua speciali protectione recepisse, et mandat eis ut solemniter privilegium publicare debeant. 408
3 dec.	Precinae.	— Gregorio papae de individua unione sacerdotii et imperii scribit, suadens ut commissos sibi et papae gladios in perversores fidei et rebelles imperii unanimiter exacuant, mittitque legatos qui papae et cardinalibus suam aperiant voluntatem. 408, 409
decemb.	Apud Precinam.	— Ad supplicationem praepositi et capituli Sancti Servatii in Trajecto, privilegium ab Henrico quarto Romanorum imperatore anno 1087 eidem ecclesiae indultum, renovat et inserendo confirmat. 411, 412
1233		
26 jan.	Bari.	— Ad querelam prioris Sancti Bartholomaei de Trisulto, jus-

1233		
		ticiariis, camerariis et universis officialibus suis mandat ut in terris demanii sui tam veteribus quam noviter revocatis idem monasterium immunitate quam ipse concessit, uti pacifice permittant. 420
februar.	Apud Canusium.	— Eberhardum abbatem de Salem et monasterium ejus cum personis et rebus in protectione sua speciali recipit, omnia eorum privilegia confirmans et specialiter immunitatem eisdem ab Henrico filio suo concessam. 424
martio.	Apud Policorum.	— Conrado filio suo civitatem Gaietae cum pertinentiis ejus concedit, et quosdam nobiles qui Ecclesiae contra ipsum adhaeserant eidem in vassallos donat. 426
8 maii.	Messanae.	— Ad requisitionem Leonardi Cavensis abbatis, Robberto Malerbae provisori castrorum suorum in Principatu mandat ne homines casalis Caveae ad reparandam Roccam suam Pimontis venire compellat, nisi prius inquisitione diligenti facta. 427
maio.	Messanae.	— Ad supplicationem fratris Symboltonis de domo Theutonicorum et ex litteris archiepiscopi Bremensis, burgensibus Stadensibus immunitatem theloneí per totam Bremensem dioecesim concedit de rebus eorum et mercimoniis, in eundo et redeundo. 429, 430
15 junii.	Messanae.	— Gregorio papae nuntiat se contra haereticos regni sui manifeste convictos poenam incendii decrevisse et cuilibet justiciario mandasse ut cum uno praelato de statu regionum super hoc inquirat, etc. 435
junio.	Messanae.	— Berardo archiepiscopo et ecclesiae Panormitanae in excambium domus apud Messanam ab eis receptae concedit et donat vineam de Comitaria in flumaria de Camaris, quam olim Temouerius proditor suus tenuit. 436
junio.	Catanae.	— Machario electo et conventui Sancti Salvatoris apud Messanam omnia privilegia a praedecessoribus suis eidem monasterio indulta confirmat. 438
12 julii.	Syracusis.	— Scribit papae de compromissione super negotio Lombardiae quod cum litterae suae patentes nec non et regis filii sui a Sede Apostolica requirantur, responsum differre proponit usque ad reditum magistri domus Theutonicorum. 441
12 julii.	Syracusis.	— Quid de eadem compromissione papae responderit Raynaldo Ostiensi et Velletrensi episcopo nuntiat, et conqueritur quod non sit de injuriis imperio illatis congrua satisfactio subsecuta. 442

1234		
sept.	Ap. Montem Flasconis.	— Privileginm renovat quo totum negotium de Lombardia, marchia Trevisii et Romaniola provisioni, compositioni et laudationi summi pontificis committit. 490
28 oct.	Salpis.	— Henrico de Morra magnae suae curiae magistro justitiario mandat ut in singulis justitiariatibus regni inquisitionem fieri faciat, et quos turbatores pacis et noxios invenerit, a fidelium incolatibus dividere procnret. 495
[octobr. vel nov.]	. . . .	— Universis scholaribus Bononiae notum facit se studium apud Neapolim in integrum reformare, eosque invitat ut ad praedictam civitatem sub securitate et protectione sua in kalendis proximi septembris conveniant. 496, 497
. . . . .	. . . .	— Ad petitionem Vercellensium, mittit eis magistrum V. juris civilis professorem qui scholares edoceat, hortaturque nt ipsum honore debito recipiant. 498
novemb.	Apud Precinam.	— Hermanno marchioni Badensi contra violentias Henrici Romanorum regis filii sui obligationem suam de duobus millibus et trecentis marcis argenti super civitates Laufen, Sinsheim et Eppingen oppignoratis, restituit et confirmat. 499, 500
novemb.	Apnd Precinam.	— Filios Heinrici de Ravensburg ad bona feodalia et proprietates quibus propter infamiam parentum suorum multo tempore fuerant spoliati, de principum sententia restituit. 501
novemb.	Precinae.	— Ad supplicationem archiepiscopi Maguntini, concedit nt filius quondam Sifridi ecclesiae Maguntinae marescalci, licet ex parte matris suae ministerialis sit imperii, ministerialis ecclesiae fiat et ratione feodi archiepiscopo debitum servitium exsolvat. 502
15 nov.	Fogiae.	— Notum facit se ad ordinationem Gregorii summi pontificis acceptavisse ducere in uxorem Isabellam sororem regis Angliae, et procuratorem suum generalem statuisse Petrum de Vinea, magnae suae curiae judicem, tam de constitutione dodarii quam de dotibus sibi dandis. 503
novemb.	Foggiae.	— Ad supplicationem Sifridi Maguntini archiepiscopi, renovat et confirmat generale privilegium quod quondam in favorem principum ecclesiasticorum imperii pro juribus eorum conservandis concessit. 506
novemb.	Foggiae.	— Sententias principum promulgat : scilicet ut nullus episcopus Theutoniae aliquem infeodet praeter assensum imperatoris; ut nullus advocatus in cives cathedralis civitatis exactionem faciat; ut nullus comes vel advocatus in immu-

1235		illos monet ut ad curiam eamdem providos et honestos nuntios mittere procurent. 945
julio.	Apud Wormatiam.	— Abbatissam et conventum de Dusseren cum omnibus bonis earum sub protectione sua speciali recipit, mandans ne aliquis eas in aliquo molestare praesumat. 728, 729
augusto.	In solemni curia Maguntiae.	— Constitutionem generalem promulgat sub quindecim capitulis distinctam, ad statum imperii in observantia pacis et executione justitiae reformandum. 740
augusto.	Apud Maguntiam.	— Ad preces Walteri abbatis Sancti Gisleni, inserit et renovando confirmat privilegium a patre suo Henrico imperatore anno 1191, 17 junii, eidem monasterio concessum. 749
augusto.	Maguntiae.	— Notificat sententiam in sua curia generali latam qua jubetur ut Clementia filia comitis Stephani de Burgundia a comite Egenone de Urach nequiter detenta liberetur, eique castrum Burgdorf cum omnibus bonis eidem in dotem concessis restituatur. 753
augusto.	Maguntiae.	— Ottonem de Luneburg, consanguineum suum, qui flexis coram se genibus sibi castrum Luneburg cum aliis castris in proprietatem resignavit, principem imperii creat, de civitate Brunswick et castro Luneburg cum eorum attinentiis ducatum ei constituens. 754
23 aug.	Maguntiae.	— Ad supplicationem Conradi Hildeshemensis episcopi, ratam habet emptionem quarumdam advocatiarum justo titulo factam a capitulo majoris ecclesiae Hildeshemensis. 758
[august.,	in colloquio Maguntino.]	— Papae nuntiat ex deliberato cum principibus imperii consilio se Lombardiam ineunte futuro aprili hostiliter ingressurum, nisi negotium Lombardiae quod ipsi papae commisit, in festo Natalis Domini proximo terminetur. 759
augusto.	Apud Hagenowe.	— Notum facit quod in generali curia sua Walterus de Limburg pincerna Gottifredo de Hohenlohe comiti Romaniolae pro restauratione damnorum per se ipsi illatorum mille marcas argenti solvendas promisit, et super solutione castrum suum Schenckenberg obligavit. 760
augusto.	Apud Hagenowe.	— Notum facit quod in generali curia sua Ludewicus de Schipf Gottifredo de Hohenlohe comiti Romaniolae pro restauratione damnorum per se ipsi illatorum mille marcas argenti solvendas promisit, et super solutione castrum suum Schipf obligavit. 762
9 sept.	Hagenowe.	— Ad supplicationem praepositi et capituli Sancti Servatii in Trajecto, sententiam quondam coram filio suo latam confirmat

1255		
		qua fuit diffinitum eamdem capellam ad jurisdictionem imperii pertinere neque episcopo Leodiensi in aliquo teneri. 764
sept.	Hagenowa.	— Conrado burgravio de Nuremberg et haeredibus ejus emptionem castri Virnsberg quod Gotfridus de Hohenloch a Ludewico de Virnsberg pro recompensatione damni per eumdem sibi illati receperat, confirmat. 765
sept.	Hagenowe.	— Ad conquestionem abbatis Murbacensis, universis imperii fidelibus mandat ut nullus sit qui bona ejusdem ecclesiae alienare praesumat, sed si qua illicita alienata fuerint, ad jus ipsius ecclesiae debeant revocari. 766
sept.	Hagenowe.	— Innovat et confirmat privilegium ab Henrico sexto patre suo anno 1195, octavo decimo die octobris, indultum, quo abbatiam de Altenberg ab omni theloneo tam in terra quam in aqua perpetuo liberam constituit. 767
sept.	Hagenowe.	— Abbatissam et conventum monasterii Lilienthal, Bremensis dioecesis, cum omnibus earum bonis in sua protectione recipit, eisque specialiter confirmat loca quae dicuntur Trupa et Vallarbroke. 769
sept.	Hagenowe.	— Abbatem Sancti Trutperti, conventum, monasterium et omnia bona ejus sub sua et imperii protectione recipit. 770
25 oct.	Augustae.	— Buticlario de Nurenberch, ad querelam praepositi et conventus de Speinshart, mandat ut causa inquisita super advocatia villarum quarumdam arrogata, lantgravios de Waldeck, de Leuchtenberg et Henricum de Turndorf ab omni molestatione dicti praepositi compescat. 783
octobri.	Augustae.	— Ecclesiam in Kitzingen cum personis et possessionibus omnibus in speciali protectione sua et imperii recipit. 784
octobri.	Apud Augustam.	— Rudolpho abbati Fauconsi privilegium anno 1219 (verius 1218) super restitutione provinciae Aschowa a se indultum, innovando confirmat. 785
octobri.	Apud Augustam.	— Ad supplicationem Hermanni magistri domus Sanctae Mariae Theutonicorum, ei et fratribus ejus ecclesiam in Kunitz cum ecclesiis in Berne et Ivernstorf, quas olim eisdem jam concessit, denuo concedit et in perpetuum confirmat. 787
31 oct.	Apud Augustam.	— Ministerialibus infra comitatum Stadensem constitutis et ad dominium de Brunswick attinentibus mandat ut duci Ottoni de Luneburg tanquam domino suo obediant, ipsi fidelitatis juramentum exhibentes. 789
31 oct.	Apud Augustam.	— Universis civibus de Staden mandat ut Ottoni de Luneburg quem in principem suum creavit, restituant ea quae tenent

1235		de haereditate pertinente ad dominium de Brunswick, quam eidem contulit in feudum.	790
novemb.	Augustae.	— Hermanno magistro hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum in Jerusalem donationem et venditionem quorumdam bonorum ibidem expressorum domui eidem a Bertrando Porcelet et Isabella uxore ejus coram legato suo factam, ratam habet et confirmat.	792
novemb.	Augustae.	— Cives Novi Fori et Nurnberg propter vicinitatem qua eorum negotia communia fiunt, a jure teloneorum inter se solvendorum immunes esse declarat; salvo quod utriusque civitatis incolae tam in his civitatibus quam per alias telonea imperio debita exsolvant.	795
decemb.	Hagenowe.	— Donat, concedit et confirmat Raymundo comiti Tolosano affini et fideli suo terram Venesinam totamque aliam quam in imperio sive in regno Arelatensi et Viennensi idem comes tenere consuevit, et restituit eum in dignitatem marchionatus Provinciae.	799
decemb.	Hagenowe.	— Raymundo comiti Tolosano affini et fideli suo dominos villae Insulae, civitatis Carpentoratis, castri de Interaquis et aliorum locorum perpetuo in vassallos concedit.	800
31 dec.	Hagenowe.	— Dominis villae Insulae, Carpentoratis, castri de Interaquis et aliorum locorum donationem supradictam notam facit, ut comiti Tolosano tanquam domino suo de caetero obediant.	802
decemb.	Hagenowe.	— Ad instantiam archiepiscopi Treverensis, abbatem et ecclesiam de Vnadegozingen cum omnibus bonis praesentibus et futuris sub sua et imperii protectione recipit.	803
decemb.	Hagenowe.	— Duas partes judicii, advocatiae et collectarum in valle Sancti Gregorii a monasterio Sancti Gregorii se accepisse testatur; quod monasterium vicissim sub sua speciali protectione recipit.	804
1236 januar.	Apud Hagenowe.	— B. episcopo Vivariensi et successoribus ejus confirmat omnia privilegia a praedecessoribus suis et a seipso ecclesiae Vivariensi indulta.	805
januar.	Apud Hagenowe.	— Priorem et conventum ecclesiae Sanctorum Petri et Pauli apud Rügisberg in districtu Bernensi sub imperiali protectione recipit.	807
februar.	Apud Hagenowe	— Ad petitionem Johannis de Mecklemburg, omnia bona et jura quae tam in aquis quam in terris hactenus hic legitime tenuit, eidem confirmat.	807

1236		
martio.	Apud Argentinam.	— Controversiam inter se et Bertholdum Argentinensem episcopum diu agitatam per compositionem terminat, qua ipse ab episcopo in feudum recipit civitatem Mulhausen cum aliis possessionibus et vicissim eidem episcopo renuntiat in castris et possessionibus ibidem expressis. 814
martio.	Apud Columbariam.	— Cives Argentinenses pro devotis eorum servitiis in sua speciali defensione recipit, eorum proprietates ab omni precaria eximit, jus quo extra civitatem in judiciis trahi non debeant confirmat, eisque alia privilegia impertitur. 818
7 mart.	Apud Hagenowe.	— Civium Argentinensium mercimonia per imperium devehenda in suam et imperii specialem tutelam suscipit. 821
martio.	Apud Hagenowe.	— Ad supplicationem Petri Raceburgensis episcopi, qui investituram temporalium bonorum hujus ecclesiae a se susceperit, eum, successores ejus, capitulum, possessionesque et jura ecclesiae sub protectione sua et imperii recipit, eidem ecclesiae bona omnia confirmans. 821, 822
martio.	Apud Hagenowe.	— Sententiam Alberti de Rossewag, imperialis curiae suae justiciarii, datam Hagenau 20 febr. 1236 confirmat, qua in lite quae inter abbatem Sancti Galli et comitem de Toggenburg vertebatur, castri de Utznaberg pacifica possessio praedicto abbati adjudicatur. 824
aprili.	Apud Hagenowe.	— Privilegium a se ipso civibus de Mollesheim tempore regni sui anno 1220 indultum renovat et inserendo confirmat. 827
16 april.	Ap. Spiram.	— Querelas papae redarguit de injuriis quae in regno suo ecclesiis et praelatis illatae dicuntur; de Saracenis vero Siciliae quos in Capitanata fecit morari, exponit quantum id christianitati proficiat; rogat etiam ne contra Veronenses qui a societate Lombardorum in fidelitatem imperii redierunt, excommunicationem immeritam ferat, etc. 828
aprili.	Ap. Spiram.	— Monasterio Paterniacensi (Peterlingen) confirmat privilegium eidem a Friderico primo avo suo 15 februarii 1153 concessum, quo jura et possessiones ejusdem recensentur. 832
aprili.	Ap. Spiram.	— Ad querelam hominum de Supramonte qui ab Aldrigeto episcopo Tridentino et gastaldionibus ejus exactionibus indebitis gravabantur, quae rationes moderatae ab eisdem hominibus et ab aliis villis ibidem nominatis ecclesiae Tridentinae solvendae sint diffinit. 835
aprili.	Ap. Spiram.	— Cum Alrammus de Halse pro damnis multiplicibus ecclesiae Sanctae Mariae superioris monasterii in Ratispona illatis satisfecisset et per nuntium abbatissae curiae imperiali rationem

1236		
		forum ebdomadale sine praejudicio juris ullem, in qualibet feria tertia celebrandum, concedit. 887
julio.	Ap. Werde.	— Ad petitionem Salzburgensis archiepiscopi, dictante sententia principum, vetat ne quis revocet homines a strata publica quin vadant ad forum, nisi habeat proprios quos revocare potest. 888
11 julii.	Apud Augustam.	— Gebhardo de Arnstein nuntiat se, licet quatuor exercitus in Austriam transmiserit, nunc cum maximo potentatu versus Italiam ab Augusta castra sua movere, hortaturque ut in suo servitio confortetur. 889
13 julii.	Apud Augustam.	— Philippo de Rychenberc procuratori comitis Henrici de Werda caeterisque judicibus mandat ut erga cives Argentinenses privilegia eisdem concessa observent, specialiter ne extra urbem in jus trahantur cum in civitate sua justitiam facere sint parati. 890
23 julii.	In castris in praediis Augustae.	— Generales nundinas apud Lubeck annis singulis a festo Pentecostes usque ad festum Sancti Jacobi celebrandas statuit, omnibusque fidelibus mandat ut ad eas sub sua et imperii securitate veniant. 891
julio.	Apud Augustam.	— Pro devotis servitiis civium Maguntinorum, eis gratiam facit ut nullus extra civitatem eos ad suum judicium trahere possit, nisi in civitate sua conquerentibus de ipsis justitiam denegaverint exhibere. 892
julio.	Apud Augustam.	— Scribit officiatis in quorum jurisdictione bona civium Maguntinorum sita sunt, ut eadem bona contra antiquam libertatem novis collectis et precariis amodo impetere desistant. 893, 894
julio.	Ap. Gunzenle in castris.	— Oblatam sibi a Bertholdo abbate Ottobeurnensi advocatiam praedii Helchenriet acceptat, et post tempus accurate designatum una cum advocatia monasterii usibus suis subjectam esse declarat. 895
[circa julium.]	. . . .	— Comiti Sabaudiae pro devotis ejus et acceptis servitiis grates agit, nuntians se mox ei militiae decus concessurum, monetque ut cum in Lombardiam veniet, ipse comes aspectibus suis occurrat. 896
augusto.	In castris ap. Brixinam.	— Episcopo Brixinensi in cujus terra propter imbecillitatem ejus justitia vigere desiit, concedit ut regalia ecclesiae in suis manibus resignet, quae ipse custodiri et procurari faciet, quibusdam pro sustentatione vitae ejusdem episcopi reservatis reditibus. 897

Gregorius IX summus pontifex :

1231		
27 sept.	Reate.	— Eisdem de eodem argumento scribit, addens quod cum imperator magistrum Theutonicorum pro pace tractanda in Lombardiam mittat, ipsi eidem magistro assistant, ita ut de colloquio praedicto bonus effectus proveniat. 936
1232		
12 julii.	Spoleti.	— Scribit Friderico, Romanorum imperatori, quod cum Gebardus legatus ejus in Tuscia non comparuerit apud Laudam de pace cum Lombardis tractaturus, coram se causam evocavit ad proximum festum Omnium Sanctorum. 366
. . . . .	Spoleti.	— Regni Siciliae praelatis mandat ne quis eorum officialibus imperatoris occasione defendendi patrimonium Ecclesiae ipsos gravare volentibus, respondeant et intendant. 367, not. 2.
24 julii.	Reate.	— Fridericum Romanorum imperatorem hortatur ut in succursum Ecclesiae contra rebelles exurgat. 376
26 julii.	Reate.	— Patriarchae Antiocheno mandat ut habito consilio magistrorum Templi et Hospitalis, nobiles regni Hierosolymitani, cives Acconenses et alios ad devotionem Friderico imperatori et filio ejus exhibendam inducat. 376
26 julii.	Reate.	— Magistro et fratribus hospitalis Hierosolymitani mandat ut assistant iis qui in regno Hierosolymitano jura imperatoris adversus rebelles tuentur. 378
26 julii.	Reate.	— Geroldum patriarcham Hierosolymitanum, Apostolicae Sedis legatum, revocat ne suspicio quam in ipsum Fridericus imperator concepit, aliquid nocumenti tractandae concordiae afferre possit. 379, not. 1.
21 oct.	Anagniae.	— Friderico Romanorum imperatori nuntiat R. Ostiensem electum et T. Sanctae Sabinae presbyterum cardinalem a se Viterbium fuisse missos, postulatque ut ad Viterbienses pro coeunda cum Romanis pace ipse scribat. 401
27 oct.	Anagniae.	— Friderico Romanorum imperatori grates agit quod referentibus ejus nuntiis, pium propositum conceperit et spiritu charitatis Ecclesiae sit unitus; unde promittit quod in negotio fidei et in restauratione jurium imperii ipsi Ecclesia non deerit. 401, 402
3 dec.	Anagniae.	— Friderico Romanorum imperatori conqueritur quod Saraceni Apuliae ecclesiam Sancti Petri in Bangio Fojetano funditus diruerint, lapides et lignamina ejus deportando Luceriam pro suis aedificiis construendis. 405
1233		
3 febr.	Anagniae.	— Fridericum Romanorum imperatorem instanter hortatur ut ad loca sibi vicina sine mora et omnibus aliis postpositis

1234		
		rem in apparatu pacifico venire properant, liberum transitum permittant. 470
1° julii.	Reate.	— Ad supplicationem Henrici et Conradi fratrum lantgraviorum Thuringiae, hospitale Sancti Francisci apud Marpurg cum omnibus ejus juribus domui hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum confert. 478, not. 1.
3 julii.	Reate.	— Lombardis scribit quod, si eis mandaverit ut liberum transitum darent militibus ad imperatorem pro subsidio Ecclesiae contra Romanos venientibus, non in aliquo modo moveantur, dum non cesset pro eorum statu conservando opportuna consilia cogitare. 471, 472
5 julii.	Reate.	— Treverensem archiepiscopum monet se Henrico Friderici Romanorum imperatoris filio scripsisse ut juxta promissionem suam patri suo devotus et obediens existat. Alioquin archiepiscopo mandat ut eumdem Henricum pro perjurio excommunicatum per Teutoniam nunciet et nunciari faciat. 473
13 julii.	Reate.	— Ad preces Friderici Romanorum imperatoris, electo Curiensi concedit ut fructus beneficiorum quae prius canonice obtinebat, usque ad suum beneplacitum retinere possit. 476
7 aug.	Ap. Arronem.	— Nobilem virum Johannem de Ibelino arguit quod Fridericum Romanorum imperatorem offenderit, eique mandat ut satisfaciat. 481 et 943
8 aug.	Spoleti.	— Omnibus praelatis Hierosolymitani regni nuntiat, se cum Terrae Sanctae subsidio subveniendum providerit, ad partes illas destinare Theodericum Ravennae archiepiscopum, Apostolicae Sedis legatum, cui super pace ibi reformanda intendere procurent. 481
8 aug.	Spoleti.	— Praelatis et universis regni Hierosolymitani mandat ut pacem inter ipsos et imperatorem initam inviolabiliter observent; alioquin se archiepiscopo Ravennati injunxisse ut omnia in eum statum reducat in quo ante subortam discordiam fuisse noscuntur. 482, 483
4 sept.	Spoleti.	— Universos fideles per Angliam constitutos monet quod quum vicinus sit terminus treugarum ab imperatore cum soldano initarum, quisque ad Terrae Sanctae subsidium viriliter se accingat. 482, not. 1.
27 oct.	Perusii.	— Rectoribus Societatis Lombardiae scribit imperatorem totum negotium quod inter ipsum et Lombardos vertitur, provisioni Ecclesiae praecise commisisse; unde petit ut sibi pa-

1233		
8 mart.	Apud Boppardiam.	— Bertholdum episcopum Argentinensem, familiam ejus, consilium et universos cives Argentinenses, ex intimo foederis vinculo quo sibi sunt adstricti, sub sua speciali protectione recipit, ita ut ubicumque per imperium regio patrocinio defendantur. 604
9 mart.	Apud Weselam.	— Ad petitionem civium Bremensium, ratum habet quod archiepiscopus Bremensis statuendum duxerit super delendis teloneis et exactionibus quae non ex debito jure habebantur. 605
23 mart.	Apud Sunnisheim.	— Paupertati ecclesiae Uterinae Vallis compatiens, quum illam ad omnia caritatis et hospitalitatis opera oporteat esse paratam, ecclesiam suam in Annweiler, cum vacabit, eidem coenobio confert. 606
30 mart.	Ap. Werdam.	— Ratam habet et confirmat donationem quam Fridericus ministerialis de Nordlingen hospitali Sancti Spiritus de Nordlingen de praediis suis fecit. 607
[martio.]	Werdae.	— Fratribus Minoribus in Ratispona et ecclesiae eorum, nimirum Sancti Salvatoris, duo horrea in vicinitate sita donat. 608
10 april.	Apud Ratisponam.	— Gregorio papae nuntiat se ad mandatum imperatoris patris sui paratum esse in conferendo subsidio Ecclesiae et forti militia in Italiam mittenda. 609
23 april.	Spigelberg.	— Henrico Constantiensi episcopo concedit libertatem construendi et habendi forum septimanale in suburbio castri Mersburg. 610
21 maii.	Apud Hagenowe.	— Conventui Omnium Sanctorum in Nigra Sylva confert bona quaedam in privilegio nominata, quae Bertholdus de Winterbach a se in feudum tenebat. 611
2 junii.	Apud Esslingen.	— Cives Spirenses, ad petitionem Conradi Spirensis episcopi, ab exactione thelonei in Oppenheim liberat. 611
2 junii.	Apud Esslingen.	— Donationem areae et cujusdam viae adjacentis, fratribus Praedicatoribus a civibus suis in Ezzlingen factam, ratam habet et confirmat. 612
4 junii.	. . . .	— Hospitali noviter fundato in Wimpina jus patronatus apud Fline in donum concedit. 613
5 junii.	Apud Esslingen.	— Officiatis et procuratoribus suis in Uri mandat ut monasterium de Wettingen defendant neque in homines ejus exactiones indebitas exerceant. 613, 614
[junio,	Hallis.]	— Profitetur Cunradum de Nortenberg sibi tertiam partem

1234		
1° febr.	Apud Frankfurt.	— Principum dictante sententia, possessionem argenti fodinarum et fossionum montium per Brisgauviam super qua inter marchionem de Baden et comitem de Urach lis vertebatur, ad Henricum episcopum et ecclesiam Basiliensem pertinere decernit. 629
5 febr.	Apud Frankenfurt.	— In protectionem suam suscipit monasterium sanctimonialium Himmelthal, specialiter concedens ut quaecumque bona a ministerialibus sive inbeneficiatis aut servis regiis acquisita et deinceps acquirenda, eidem rata permaneant. 631
5 febr.	Apud Frankenfort in solemni curia.	— Profitetur ministerialem suum Giselbertum de Eschborn una cum Cunegunde ipsius uxore claustro de Arnsburg curtem ipsius in Herlisheim cum omnibus pertinentiis de assensu suo per manus suas contradidisse. 632
6 febr.	Apud Frankenfort in solemni curia.	— Abbati et conventui de Porta, Nuenburgensis dioecesis, concedit ut quascunque possessiones quocumque titulo a fidelibus imperii obtinuerint, sine omni contradictione in perpetuum possideant. 633
10 febr.	Apud Frankenfort in solemni curia.	— Notam facit sententiam in praesentia sua latam et ab abbate Sancti Galli publicatam : scilicet quod nullus seculari foro proscriptus vel ecclesiastico judicio excommunicatus facultatem habeat a domino suo jus feudale exquirendi. 634
10 febr.	Apud Frankenfort in solemni curia.	— Notum facit universis, sententiam dictante comite Egenone de Urach, a se diffinitum fuisse quod si treugae violatae fuerint, illi cujus interest incumbit probatio, vel si testes habere non potuerit, in monomachia cum reo congredi debet. 635
11 febr.	Apud Frankenfort.	— Constitutiones generales promulgat de reisis publicis, de haereticis, de exhibitione justitiae, de guerris privatis movendis, de violatione treugarum, de sententiis proscriptionis, de monetis falsis et injustis theloneis amovendis, etc. 635, 636
13 febr.	Apud Frankenfort in solemni curia.	— Postquam Conradus Hildeshemensis episcopus sibi conquestus fuerit quod cives Hildesheimenses judicium sanguinis exercuerint in clericos in quos degradationis sententia non processerat, eisdem civibus mandat ut tantam praesumptionem emendent. 637, 638
13 febr.	Apud Frankenfort.	— Ad petitionem Gerardi Bremensis archiepiscopi, cives Bremenses et Stadenses a praestatione thelonei in civitate Lubecke absolvit. 638

1233		
26 aug.	In castris ap. Ratisponam.	*Bertholdus Argentinensis episcopus* super facto claustri de Gengenbach visitatoribus Sedis Apostolicae scribit. 620, not. 1.
1234		
[anno ineunte.]	. . . . . .	*Hugo Murbacensis abbas* per sententiam diffinit homines Sancti Ursi ad ecclesiam Solodorensem pertinere et burgenses Solodorenses nullam de jure in ipsis hominibus habere potestatem. 641
[circa medium aprilem.]	. . . .	*Sifridus Maguntinus archiepiscopus* et *frater Bernardus* de ordine praedicatorum papae rescribunt quomodo a Conrado de Marburg fuerit in negotio haereticorum processum; nuntiant se primo apud Francofurtum, deinde apud Moguntiam comitem de Seine et alios infamatos in pristinum statum restituisse, etc. 649
17 dec.	Mediolani.	*Anselmus de Justingen marescalcus* et *Waltherus de Thannberg capellanus Henrici Romanorum regis* ineunt concordiam cum Mediolanensibus et ambassatoribus societatis Lombardiae, sub certis conditionibus ibidem expressis quas jurare debebunt idem rex et Alemanniae principes. 704
. . . . .	. . . . . .	*Sifridus Moguntinus archiepiscopus* Conrado Hildesheimensi episcopo scribit se ab imperatore vocatum, diei et placito inter ipsum episcopum et ducem de Brunswick constituto interesse non posse. 502, not. 1.
1235		
22 febr.	Ap. Westmonasterium.	*Henricus rex Angliae* in dotem Isabellae sororis suae Friderico imperatori maritandae, triginta millia marcarum argenti optimi sterlingorum solvenda ad terminos ibidem statutos promittit. 523, not. 1.
1236		
24 febr.	Apud Windsoram.	Friderico Romanorum imperatori gratias agit quod ei placuerit casum inauditum qui in partibus Alemanniae accidit sibi communicare; magistrum Gualterum [de Ocra] imperatoris clericum quem adhuc penes se retinuit, sub proximo remissurus. 809
30 junii.	Apud Bristollam.	Fridericum Romanorum imperatorem monet se papae et cardinalibus super negotio Lombardorum pro ipso supplicasse; et de solutione quindecim millium marcarum in quibus imperatori tenetur, inducias sibi concedi petit. 883, 884 et not. 2.
1235		
22 febr.	Ap. London.	*Petrus de Vinea, imperialis curiae judex,* Friderici Romanorum imperatoris procurator et nuntius, contractum matrimonialem inter eumdem imperatorem et Isabellam regis Angliae sororem redigi jubet, et de dodario assignando juramentum praestat. 522

1235		
[martio exeunte.]	Apud Spigelberg.	*Hermannus miles de Rietberg* donationem bonorum suorum in Ulvensheim ecclesiae Uterinae Vallis a se factam tertio protestatur, Henrico rege apud Spigelberg praesente et consentiente. 722
3 maii.	Ap. Westmonasterium.	*Henricus dux Brabantiae* de mandato Romanorum imperatoris, in praesentia regis, episcoporum et magnatum Angliae, sacramentum praestat tam de domina Isabella desponsanda et coronanda ab imperatore quam de ea per terram suam ducenda et, si casus sinister acciderit, in Angliam reducenda. 541
[20 julii circiter.]	. . . . . .	*Conradus Hildeshemensis episcopus* Gregorio papae gratulatur de pace refurmata, nuntiatque imperatorem, filio ipsius ad ejus gratiam accedente, suas apud Wormatiam nuptias celebravisse et curiam solemnem ad Moguntiam indixisse. 729, 730
[circa julium.]	. . . . . .	*Fridericus comes de Zollern* Friderico Romanorum imperatori scribit quomodo apud Achalm obsessus damna in servientibus et ministerialibus suis a marscalco [de Justingen] et domino de Niffen fuerit perpessus, auxilium et subsidium implorans. 732
[circa julium.]	. . . . . .	*Conradus de Hohenloch, Heinricus marscalcus de Bappenheim* et *C. de Blochingen* imperatori nuntiant quomodo comes Egeno de Friburg se in Urach muniverit, dum ipsi viribus destituti castrum Niphen obsidere non possint. 733
[octobr.]	Apud Augustam.	*Otto, comes palatinus Reni et dux Bawariae*, in praesentia Friderici Romanorum imperatoris, cum Henrico abbate de Tegernsee dividit in matrimoniis contractis aut contrahendis inter suos et ejusdem ecclesiae ministeriales. 791
1236		
decemb.	Nuremberg.	*Conradus, Friderici Romanorum imperatoris filius*, donationem quam Hermannus dictus Anguilla et uxor ejus Bertha fratribus hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum in Nurinberc de possessionibus suis ibidem sitis sub quibusdam conditionibus fecerant, confirmat. 926
decemb.	Nuremberg.	Testatur Conradum butegelarium de Nuremberg, auctoritate patris sui et sua, quasdam areas hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum in Nuremberg olim donatas, de quibus quaestio movebatur, eidem hospitali sententialiter adjudicasse. 927

INDEX

NOMINUM ET PERSONARUM QUAE IN HOC QUARTO VOLUMINE CONTINENTUR.

(Personae ad sua nomina, non ad cognomina disponuntur. Quando nomina seu initiales litterae defuerint, quaerendum ad litt. N.)

INDEX

LOCORUM SIVE GEOGRAPHICUS.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 36, lin. 3, Dohane de secretis, *legendum* Dohane[rii] de secretis.

P. 37, lin. 7, doane, *legendum* doane[rios].

P. 42, lin. 13, requisita, *legendum* requisitas.

P. 44, lin. 15, licet, *legendum* etiam.

P. 149, TITULUS LXIV, *legendum* TITULUS XLIV.

P. 150, TITULUS LXV, *legendum* TITULUS XLV.

P. 197, lin. 6, dohane, *legendum* dohane[rius].

P. 270, lin. 16, parentium, *legendum* parentum.

P. 271, lin. 10, item, *legendum* ita.

Ibid., lin. 14, [marchio], *legendum* pater.

P. 293, lin. 26, *addendum in margine* Ravennae, januario.

P. 303, not. 1, lin. 3, *post* tom. II, *addendum :* p. 208.

P. 323, lin. 30, *ad calcem addendum :* Adest originale in archivo Carlsruhense, unde pendet sigillum albae cerae filis sericis amaranthini coloris.

P. 337, lin. 7, nos, *legendum* nostre.

P. 370, not. 1, lin. 6, bardos, *addendum :* (verisimiliter pro *pardos*).

P. 404, lin. 2, imperiii, *legendum* imperii.

Ibid., lin. 9, dictum, *legendum* dilectum.

P. 426, lin. 19, apud Politorum, *legendum* Policorii.

Ibid., lin. 20, *post* mense martii *addendum :* indictione VI, anno imperii XIII, regni Jerusalem VIII, Sicilie XXXV.

P. 441, *ad calcem notae 2 addendum :* In indice epistol. Gregor. IX, ann. VII, sub n^{is} 212, 213, 214 memorantur litterae quibus cives Gaietanos Fridericus in gratiam suam admiserat.

P. 499, *ad calcem notae* 1 *addendum :* Anno tamen 1233 huic societati civitas non plane adhaerebat, quum noscamus ex instrumento ap. Pertz citato (*Archiv*, t. I, p. 279; — t. IV, p. 301), die vicesimo augusti ejusdem anni ancianos et rectores societatis Lombardiae a nuntiis Vercellensibus requisivisse an sententiam in controversia cum Friderico a papa latam, eadem civitas approbaverit.

P. 524, lin. 25, membra, *legendum* memoria.

P. 525, lin. 17, nobis a remotioribus, *legendum* nobis remotioribus.

Ibid., *ibid.*, firmati, *legendum* fama.

P. 526, lin. 11, in oblivionem, *legendum* in abjurationem.

Ibid., lin. 12, post adventum *talium* quos ad nostram presentiam destinavit, *corrigendum ex alio codice:* post adventum dilectorum principum nostrorum venerabilis Maguntini archiepiscopi et Babinbergensis [episcopi] quos ad [nos] nuntios destinavit.

Ibid., lin. 18, contra plures, *legendum* contra patres.

P. 536, *ad calcem notae* 1 *addendum :* Varia instrumenta ubi fusius de hac pace agitur, extant inter litteras Gregorii IX, anno IX, in *collect. Laporte du Theil*, ap. bibliothecam imper. Parisiensem.

P. 553, lin. 12, A. de Herrenstein, *addenda nota* (*a*) : forsitan A. de Harnestein.

P. 567, lin. 24, *post* indignationem, *addendum* nostram.

P. 568, lin. 2, de Waldeck, *legendum* de Waldenberg.

Ibid., lin. 4, de Amxenburg (?), *legendum* de Clingenburg.

Ibid., *ad calcem notae* (*b*) *addendum :* In quodam codice Monachensi unde Boehmerus copiam recensuit, scribitur *Chividatum.*

P. 599, lin. 6, illi, *legendum* illis.

P. 622, not. 2, pauco ante, *legendum* paulo ante.

P. 650, lin. 1, missa est a magistro, *legendum* missa est magistro.

Ibid., lin. 7, congerit, *legendum* coegerit.

Ibid., lin. 12, buffonem tactum (?), *legendum* buffonem, cattum.

Ibid., lin. 23, dominus servum, *legendum* servus dominum.

P. 705, lin. 6 et 7, sequuntur tres litterae, quarum primas ad integrum, secundas vero et tertias compendiario exhibuimus p. 695 et 696, *delendum et supplendum ut sequitur :* — Henricus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, dilectis suis potestatibus, rectoribus, consulibus et communitatibus

civitatum Lombardie fidelibus imperii gratiam suam et omne bonum. Dilectos fideles nostros, etc., *ut supra, p.* 695, *usque ad* transmittendos; dantes eis auctoritatem et plenariam potestatem tractandi, ordinandi, promittendi, promissiones accipiendi, in animam nostram jurandi, juramenta a nobis recipiendi et alia faciendi que nobis viderint expedire; ratum et firmum habituri quicquid per ipsos super premissis fuerit ordinatum. Ut autem ab universitate vestra predictis fides plenior adhibeatur, presentem litteram super hoc conscribi fecimus et sigillo nostre celsitudinis insigniri. Datum apud Ezelingen, idus novembris, indictione octava.

P. 708, lin. 6, *addendum in margine* Ap. Spiram, 21 decembris.

P. 727, lin. 6, AD MENSEM SEPTEMBREM, *corrigendum* AD MENSEM JANUARIUM.

P. 739, not. 2, *post* arbitramur, *addendum :* Quod expressius notat Albertus Stadensis ad ann. 1235, his verbis : « Imperator medio augusto curiam Moguntiae celebravit. Ibi filium suum Henricum sibi oppositum regno privavit et eum in Calabriam detinendum misit. »

P. 802, *ad calcem notae* 1 *addendum :* Alibi quoque legitur *de Mometaniis*, quod D. Vaissete interpretatur *Mometaines.*

P. 818, lin. 14 et 15, civibus Argentinensibus pro devotis eorum servitiis eos in sua speciali, etc., *legendum* cives Argentinenses pro devotis eorum servitiis in sua speciali, etc.

P. 837, lin. 6, N. Secowensis episcopus, *legendum* H. Secowensis episcopus.

P. 940, lin. 19, *post* non plane scimus, *addendum :* Notandum tamen est, ut nos Staelinus monuit, hoc diploma primo fuisse editum ad fidem cujusdam veteris germanicae versionis in archivo Konigsbergense asservatae, ubi legitur : « Im iare der geburt des Herren MCCXXXII, im VII monden, etc., » quum perperam translator *septimo* pro *septembri* legerit. Quo errore vicissim Napiersky deceptus, idem documentum ad mensem julium, utpote anni septimum, memoravit.

P. 941, lin. 20, omni modo, *legendum* ammodo.

Ibid., lin. 29, soluturum, *legendum* soluturus.

INDEX MATERIARUM

VOLUMINIS QUARTI

TAM IN PRIMA QUAM IN SECUNDA PARTE.

PARIS. TYPOGRAPHIE HENRI PLON, RUE GARANCIÈRE, 8